G. SCHWIEDER

LATINE LOQUOR

EDITIO ALTERA

HERDER
ROMAE - FRIBURGI BRISG. - BARCINONE
1963

© 1963, Casa Editrice Herder Roma

Hoc quicumque cupis carmen cognoscere lector,
Cum praecepta ferat: quae sunt gratissima vitae,
Instrue praeceptis animum: nec discere cessa;
Nam sine doctrina, vita est quasi mortis imago;
Commoda multa feres: sin autem spreveris illud,
Non me scriptorem, sed te neglexeris ipse.
Cum recte vivas, ne cures verba malorum:
Arbitrii nostri non est, quid quisque loquatur.

PROOEMIUM

Opusculum qualecumque hoc eo tantum spectat, ut legentem latine colloqui edoceat, grammatice quidem sed et latine animi sensa ad vitae nostri temporis usus facile ac perspicue promere.

Nemo igitur numerosam ab eo expetat Tullii facundiam, nemo Taciti constrictam et contractam elocutionem; non enim litterarum elegantias opella haec anquirit, sed ea studet nostrae aetatis lectoribus adiumenta suppeditare, quibus facile quisque ad communia vel ad ea, quae haec tulerunt tempora, exprimenda paratus, prompte valeat latine ubique terrarum colloqui.

Quae ideo in cotidianis vitae commerciis hodie passim occurrunt, ab adulescente aetate ad extremam usque senectam, facile tibi, amice lector, hisce in paginis invenies, ut: qua ratione mane surgendum; qua scholae praeparandae; qua salutandi familiares et amicos; qua ad scholam festinandum; quid in schola quidve in via vel domi agendum; quid per urbem cum amicis vel cum extraneis cavendum; quid in deambulando, in colloquendo, in disputando, in ludendo aliisque in id genus sescentis negotiis expediendis.

Nihilominus latinitas hic facilis quidem sed semper emendata, perspicua, profluens; haud raro Tulliana prorsus, aureae dixeris aetatis; saepius ex inferioribus hausta scriptoribus; interdum ex novo plane excusa idque nec sine causa nec sine arte.

Legens igitur catus ac sedulus ita sensim amica veluti manu ducitur ut expedite tandem latinum, eumque quasi patrium sermonem adhibeat.

Amico igitur vultu fidentique animo excipiat opusculum hoc cuiusque gentis lector, quo citius pleniusque in seipso studium experiatur delectabile idemque perutile huius linguae, quam non immerito sapientiores viventem vivificamque praedicant, pacis verae veraeque unitatis nobilissimum pignus et signum.

Abi igitur, opusculum meum, fidenter abi quoquoversus certum te esse animorum amice colloquentium adiumentum; perge longe lateque per orbem et omnium, cumprimis iuvenum, animos flagrante incende et ale virtutum ardore. Nil enim pretiosius, nil incundius, nobilius nihil sibi exspectat Auctor.

DATUM ROMAE, VII KAL. AUGUSTAS A. MCMLIII.

AD EDITIONEM ALTERAM

Iteratim ab Editore rogatus et ab amicis impulsus, interveniente etiam Apostolica Constitutione « Veterum Sapientia » de latinitatis studio provehendo, tandem animum induxi ad alteram huius operis editionem parandam.

Haud pauca emendavi et indicem rariorum vocabulorum adieci.

Utinam haec editio eandem benevolentiam ac illa prior nanciscatur.

DATUM ROMAE, A. D. II ID. DEC. MCMLXII.

LIBER PRIMUS

QUI EST DE RUDIMÉNTIS ET PRIMIS STUDIÓRUM INÍTIIS, ET QUO PRIMUM DISCIPULÓRUM INTER SE, DEÍNDE IPSÓRUM CUM PRAECEPTÓRIBUS COLLÓQUIA CONTINÉNTUR.

Collóquium I.

Arguméntum: Duo discípuli ad praelectiónem repeténdam se parant. Quae quis in schola didícerit, saepe repeténda.

MARCUS, NICOLÁUS.

Marc. Eámus una repetítum. *Nicol.* Quid ego répetam? Nonne satis est, quod solus repetíverim? *Marc.* Si tantum semel aut bis repetíeris, id parum est ad ediscéndum. *Nicol.* Immo círciter décies repetívi. *Marc.* Si vis certíssime, quae didicísti, réddere coram praeceptóre, opus est cum áliquo repetivísse. *Nicol.* Istud ego nesciébam: sed tibi libénter asséntior. *Marc.* Faciámus ergó, quod ego te mónui. *Nicol.* Équidem non recúso: íncipe.

ELOCÚTIO.

Ire repetítum.
Repétere ediscénda.
Non satis est, quod solus repetíveris, opus est, ut cum áliquo répetas.
Léctio lecta placet, décies repetíta placébit.
Quid vis ámplius?
Réddere, quae quis dídicit, coram praeceptóre.
Non opus est, ut répetam cum Petro.
Assentíri alícui.
Faciéndum est, quod praecéptor mónuit.
Recusáre áliquid.
Non recúso.
Non recúso quo minus hoc fiat.

Collóquium II.

Arguméntum: ***Exórdium est repeténdae praelectiónis.***

CONRÁDUS, DOMÍNICUS.

Conrad. Quid agis? *Dominic.* Répeto mecum. *Conrad.* Quid répetis? *Dominic.* Praescríptum hodiérnum praeceptóris. *Conrad.* Tenésne memória? *Dominic.* Sic opínor. *Conrad.* Repetámus una: sic utérque nostrum réctius pronuntiábit coram praeceptóre. *Dominic.* Tu ígitur íncipe, qui me provocásti. *Conrad.* Age, atténtus esto: ne me síveris aberráre. *Dominic.* Sum prómptior ad audiéndum, quam tu ad pronuntiándum.

ELOCÚTIO.

Repétere scholam philosóphicam.
Repeténdum est mihi praescríptum hodiérnum.
Téneo, quae in schola dídici, memória.
Utérque ténuit.
Neuter illórum recte pronuntiávit.
Recitáre coram praeceptóre ... coram patre.
Discípuli non sunt atténti.
Aberrásti, Petre.
Prómptior sum ad audiéndum quam tu ad pronuntiándum.
Promptior sum manu mea dextra quam tu sinístra.
Frater tuus prómptior est ad garriéndum quam ad discéndum.

Collóquium III.

Arguméntum: ***Idem cum próximo superióre.***

EDUÁRDUS, FRANCÍSCUS.

Eduard. Visne mecum repétere praelectiónem? *Franc.* Volo. *Eduard.* Tenésne? *Franc.* Non satis recte fortásse. *Eduard.* Age, faciámus perículum. *Franc.* Quid ígitur expectámus? *Eduard.* Ubi vis, íncipe. *Franc.* Atqui tuum est pótius incípere. *Eduard.* Quid

ita? *Franc.* Quia invitásti me. *Eduard.* Aequum dicis, atténde ígitur. *Franc.* Istic sum.

ELOCÚTIO.

Non satis recte téneo praelectiónem.
Fácere perículum.
Exspectáre áliquem ... patrem, fratrem, matrem.
Íncipe ubi vis.
Tuum est incípere.
Tuum est, ad te spectat, tui est offícii.
Invitáre áliquem: ad núptias, ad prándium, ad cenam.
Aequum dícere.
Atténde quid dictúrus sim.
Atténtus in áliqua re.
Atténdere ad áliquid.

Collóquium IV.

Arguméntum: ***Exórdium est colloquéndi. Qui bene agit, non timet, ne reprehendátur. Prudénter ígitur facit, qui praecéptum illud usúrpat: Sic age, ne tímeas.***

Gábriel, Hierónymus.

Gabr. Iamne tenes, quae reddénda sunt hora tértia? *Hier.* Téneo. *Gabr.* Ego quoque. *Hier.* Ergo confabulémur paulísper. *Gabr.* Sed si intervénerit observátor, putábit nos garríre. *Hier.* Quid times, ubi nihil timéndum est? Si vénerit, non deprehéndet nos in ótio aut in re mala: aúdiat, si velit, nostrum collóquium. *Gabr.* Óptime lóqueris: secedámus áliquo in ángulum, ne quis nos impédiat.

ELOCÚTIO.

Téneo, quae reddénda sunt hora tértia.
Quid hódie nobis reddéndum est?
Confabulári cum amícis.
Observátor intervéniet.
Observátor si intervénerit, notábit te.

Praecéptor audívit nos garríre.
Non tímeo observatórem.
Quid times, ubi nihil timéndum est?
Timére áliquem ... Deum, magístrum.
Deprehénsus est in ótio ... in furto.
Deprehéndere áliquem ... fures deprehénsi sunt ... suspénsi sunt.
Aúdiat, si velit, nostrum collóquium.
Lóqueris bene, mélius, óptime, male, peius, péssime.
Secédere in locum áliquem.
Impedíre áliquem.
Impedíri in áliqua re ... impedíri morbo, aetáte.

Collóquium V.

Arguméntum: ***Admonítio brevis, sed discípulis aptíssima.***

IOÁNNES, LEONÁRDUS.

Ioan. Non decet hic otiári, aut garríre, dum praecéptor exspectátur. *Leon.* Quid ais, non decet? Immo vero non licet, nisi vólumus vapuláre. *Ioan.* Tu ígitur audi me, dum praelectiónem prodúntio: ego deínde te aúdiam. *Leon.* Age, pronúntia.

ELOCÚTIO.

Non decet discípulos semper otiári ... lúdere ... garríre.
Proféssor exspectátur.
Pronuntiáte dictum áliquod sacrárum litterárum, quod memóriae mandástis.

Collóquium VI.

Arguméntum: Idem est arguméntum ac supérius: Praetérea, qui errat, corrígitur ab áltero et admonétur. Laudátur memória, et divínum esse donum agnóscitur.

MARCUS, NICOLÁUS.

Marc. Tenésne memória praelectiónem? *Nicol.* Propémodum. *Marc.* Visne repetámus una? *Nicol.* Máxime velim. *Marc.* Íncipe ígitur. *Nicol.* Fáciam libénter: sed tu atténte audi, ut me córri-

gas, si quid errávero. *Marc.* Ágedum. *Nicol.* Profer exémplum. *Marc.* Iam errásti, incipiéndum fuit ab hestérna praelectióne. *Nicol.* Bene ádmones; nunc incípiam. Irátus de re incérta noli conténdere. Impedit ira. *Marc.* Peccas accéntu: ítera. *Nicol.* Impedit ira ánimum. *Marc.* Distíngue post ánimum. *Nicol.* Impedit ira ánimum: ne possit verum cérnere. Affer exémplum própere, cum res desíderat ipsa. Dandum étenim. *Marc.* Iterum peccas accéntu: répete. *Nicol* Dandum étenim est áliquid, cum tempus póstulat aut res. *Marc.* Vidésne te erravísse quater? *Nicol.* Vídeo. *Marc.* Et observásti locos? *Nicol.* Observávi. *Marc.* Sic tibi facílius cavébis. *Nicol.* Me míserum! putábam me recte tenére. *Marc.* Sic mihi quoque solet accídere, quóties memória non est bene confirmáta. *Nicol.* Felix, qui memóriam bonam habet. *Marc.* Magnum Dei benefícium. Sed tempus ábiit: audi nuc me. *Nicol.* Aúdio, pronúntia. *Marc.* Irátus de re incérta conténdere noli. *Nicol.* Hem, praecéptor adest: tace, ut eum salutémus.

ELOCÚTIO.

Tenére praelectiónem memória.
Corrígere áliquem ... alícui áliquid.
Incípere ab áliqua re.
Conténdere de re áliqua ... conténdere de libro ... de charta conténdere.
Impedíre áliquem ... peccáre accéntu.
Erráre bis, ter, quater ...
Cavére sibi ab áliquo.
Putábam me tenére.
Sic mihi quoque solet accídere.
Habére bonam memóriam ... magnum Dei benefícium.
Tempus ábiit ... tempus praetériit.
Salutáre áliquem ... salutáre praeceptórem veniéntem.

Collóquium VII.

Arguméntum: Otto et Paulus certant, uter mélius pronúntiet áliquid eórum, quae in schola edidícerint. Praetórius iudex. Exémplum honésti studiórum certáminis.

OTTO, PAULUS, PRAETÓRIUS.

Ot. Optátus mihi ades, Paule, quaerébam, qui mecum certáre vellet: sed omnes ad lusus certámen currunt: tu vero quid ais?

Paul. Quid ego malim, quam tecum de nostris stúdiis tranquille conténdere? *Ot.* Sed quod petis certándi arguméntum? An de repeténdis Cicerónis epístulis? *Paul.* Malo de Catóne. *Ot.* Cur? *Paul.* Quia restant mihi discéndae áliquot praelectiónes de Ciceróne. Scis enim me aegrotásse duas fere hebdómadas? *Ot.* Mémini. Vis ígitur dicámus secúndum librum morálium distichórum? *Paul.* Est longus nimis in hanc horam. *Ot.* Quid ita? *Paul.* Quia nobis aliquámdiu ludéndum est, ut corpus exerceámus ad valetúdinem conservándam. *Ot.* Dicámus ergo librum tértium, qui est brevíssimus. *Paul.* Sed iúdicem volo. *Ot.* Praesto est Praetórius, qui me ob eam rem séquitur. *Paul.* Vis ígitur audíre nos? *Praet.* Quid dictúri estis? *Ot.* Tértium librum distichórum morálium. *Praet.* Nonne altérni dicétis? *Paul.* Scílicet suum utérque dístichon. *Praet.* At, púeri, ne errétis, nolo vos audíre tamquam iudex. *Ot.* Cur non? *Praet.* Ne forte mea senténtia altéruter ex amícis offendátur. *Paul.* In quo ígitur nobis eris adiútor? *Praet.* Notábo in chártula diligénter utriúsque lapsus: deínde referétis ad praeceptórem. *Paul* Quid tum fiet? *Praet.* Ille ei, cui vidébitur, victóriam et praémium adiudicábit. *Ot.* Eris ígitur nobis tantum testis. *Praet.* Sic intéllego. *Paul.* Óptima sane vidétur mihi rátio. *Ot.* Mihi quoque valde probátur. *Praet.* Sed unum restat. *Paul.* Quid est? *Praet.* Vultísne praeter lapsus maniféstos, haesitatiónes etiam notari? *Paul.* Sic volunt praeceptóris leges super hac re. *Praet.* Date mihi librum in manum, quo cértius observáre possim. *Ot.* Tene meum. *Paul.* Incipiámne? *Ot.* Aequum est: quia tu a me provocátus es. *Paul.* Audi, quaeso, Praetóri, sed diligénter. *Praet.* Tu vero cave dicas neglegénter.

ELOCÚTIO.

Optátus mihi ades.
Certáre cum áliquo ... de re áliqua.
Cúrrere ad lusum.
Conténdere de stúdiis cum áliquo ... conténdere de re áliqua.
Repétere epístulas Cicerónis ...
Frater meus aegrotávit duas hebdómadas ... liber iste nimis longus est.
Ludéndum nobis aliquámdiu.
Exercére corpus ad conservándam valetúdinem ... conserváre valetúdinem.
Pétere iúdicem.
Frater praesto est.

Sequi áliquem ... sequi Christum ... audíre áliquem.
Quid dictúri sunt condiscípuli mei? ... Récita dístichon tuum.
Ne errétis ... vide, ne erres ... offéndere áliquem.
Notáre lapsus in chártula.
Referre áliquid ad áliquem.
Adiudicáre alícui praémium.
Petrus est mihi testis ... est mihi testimónio.
Óptima vidétur mihi rátio ... haec rátio mihi probátur.
Notáre haesitatiónes.
Dare alícui librum in manum ... tene librum.
Aequum et iustum est ... provocátus sum a Petro.
Cave dicas neglegénter, quae in schola didicísti.
Instrúere ánimum praecéptis ... cessáre díscere ... ferre cómmoda multa.
Sine doctrína vita est quasi mortis imágo.
Non curo verba malórum ... quod quisque velit loquátur.

Collóquium VIII.

Arguméntum: ***Robértus et Saturnínus ante lusum tractant studiórum áliquid. A lusu ad stúdium redítur difficílius. Exémplum iúvenum studiosórum.***

ROBÉRTUS, SATURNÍNUS.

Robert. Euge, dimíssi sumus ad lusum: audístin? *Saturn.* Quidni audíerim? Cum égomet afúerim. *Robert.* Placétne paulísper confabulári? Deinde ludémus una. *Saturn.* Malim ego príus lúdere. *Robert.* Atqui difficile est ludum abrúmpere. *Saturn.* Plane verum dicis: et ego in me sic expérior. *Robert.* Quóniam ígitur placet tibi mea rátio, da nobis áliquid arguménti ad confabulándum. *Saturn.* Immo tuum est dare, ut qui me lacessíveris. *Robert.* Aequum dicis: redde nómina latíne, quae tibi germánice propónam. *Saturn.* Qua de re propónes? *Robert.* De supelléctili. *Saturn.* Conábor respondére, modo ne plura quam decem propónas. *Robert.* Numerábo dígitis, ne forte númerum excédam. Audi ígitur. *Saturn.* Istic sum. *Robert.* Ein Rechenbrett. *Saturn.* Ábacus. *Robert.* Ein Sessel. *Saturn.* Sella. *Robert.* Ein Leuchter. *Saturn.* Candelábrum. *Robert.* Ein Kessel. *Saturn.* Aënum. *Robert.* Ein Blasebalg. *Saturn.* Follis. *Robert.* Ein Polster. *Saturn.* Pulvínus. *Robert.* Ein Hauptkissen. *Saturn.* Cervical. *Robert.*

Eine Bettdecke. *Saturn.* Línteum. *Robert.* Ein Hafen, ein Topf. *Saturn.* Olla. *Robert.* Eine Weinkanne. *Saturn.* Oenóphorum. *Robert.* Errasti semel. *Saturn.* Ubi? *Robert.* Dixísti línteum pro lódice. *Saturn.* Fáteor, debeo tibi semel victóriam. *Robert.* Nunc vicíssim propóne, ut rédimas, si potes. *Saturn.* Vis respondére de edúliis? *Robert.* Ut libet. *Saturn.* Frisches Fleisch. *Robert.* Caro recens. *Saturn.* Schweinefleisch. *Robert.* Suílla. *Saturn.* Wildbret. *Robert.* Ferína. *Saturn.* Gesottene Milch. *Robert.* Lac decóctum. *Saturn.* Molke. *Robert.* Serum vel serum lactis. *Saturn.* Frischer Käse. *Robert.* Cáseus recens. *Saturn.* Fleischbrühe. *Robert.* Ius cárnium. *Saturn.* Gesottener Fisch. *Robert* Piscis alíxus. *Saturn.* Eine Sosse. *Robert.* Condiméntum. *Saturn.* Fálleris. *Robert.* Quid ergo est? *Saturn.* Intínctus. *Robert.* Condiméntum volo. *Saturn.* At ego nolo conténdere. *Robert.* Quis conténdit? Consulámus. *Saturn.* Quin prius ludámus: illud fiet postérius. *Robert.* Age, fiat: ne amittámus ludéndi occasiónem.

ELOCÚTIO.

Praecéptor dimísit discípulos ipsa hora décima.
Qua hora dimíssi estis e schola?
Quidni audíerim?
Égomet áfui.
Confabulári paulísper.
Lúdere una.
Abrúmpere ludum ... sermónem.
Orátio abrúpta.
Plane verum dicis.
Experíri rem áliquam ... arcána.
Non placet mihi lúdere.
Consílium tuum dísplicet mihi.
Áliquid arguménti ... áliquid pecúniae.
Lacéssere áliquem ad lusum.
Aequum dicis ... aequum est, ut.
Réddere áliquid latíne.
Propónere áliquid germánice.
Propónere áliquid de supelléctili.
Conári áliquid.
Quot vocábula propónes?
Numeráre dígitis.
Excédere númerum.

Redímere áliquem ... sánguine ... pecúnia.
Nolo conténdere cum Philíppo.
Amíttere occasiónem ludéndi.
Abúti occasióne ... témpore.
Consúlere áliquem ... consúlere salúti suae ... consúlere honóri alicúius.

Collóquium IX.

Arguméntum: ***Attíngitur differéntia inter hortum et hortos. Rerum nómina tenére non satis est, nisi res ipsas cognoscámus.***

TIMÓTHEUS, VINCÉNTIUS.

Timoth. Quae sunt árbores in horto vestro? *Vinc.* Hortum habémus suburbánum, in quo sunt ólera, quibus véscimur cotídie; praetéra sunt in fundo nostro uno horti, váriis arbóribus cónsiti. *Timoth.* In horto quae sunt ólera? *Vinc.* De hoc mater mélius respondébit. Nam illic saepe versátur, aut seréndi causa, aut sarriéndi, aut áliquid colligéndi. *Timoth.* Sed tamen dic mihi áliquot ólerum nómina. *Vinc.* Parum próderit nómina tibi recensére, nisi res ipsas víderis; quin eámus in rem praeséntem. *Timoth.* Potes ire, quando libet? *Vinc.* Possum quidem, matre permitténte. *Timoth.* Fac, amábo, permíttat, sed ea lege, ut me tibi cómitem assúmas. *Vinc.* Id facíllime fiet: tantum hic me exspécta: mox redíbo. *Timoth.* Quid, si ea domi non est? *Vinc.* Tamen huc tibi renuntiábo. *Timoth.* Bene vertat Deus.

ELOCÚTIO.

Multae árbores sunt in horto nostro.
Habémus hortum suburbánum.
Vesci re áliqua ... cáseo ... lacte.
Non vescor cáseo.
Hortus noster váriis arbóribus cónsitus est.
Respondére de re áliqua.
Respondére ad áliquid.
Respondére alícui.
Versári in áliquo loco.
Inter manus versári.

In angústiis versári.
Ante óculos versári.
Mater mea est in horto. Quid agit illic? Serit, sarrit, cólligit áliquid.
Parum mihi hoc prodest.
Recensére áliquid.
Vidi rem ipsam.
Ire in rem praeséntem.
Matre permitténte ... matre ínscia ... praeceptóre ínscio.
Pastor mihi permísit.
Ea lege permítto, ut.
Assúmere sibi áliquem cómitem.
Exspectáre áliquem ... exspécta me.
Mox redíbo.
Mater non est domi.
Renuntiáre alícui áliquid ... Renuntiáre hospítium alícui.
Deus bene vertat.

Collóquium X.

Arguméntum: ***Nóminum secúndae declinatiónis repetítio. Repetitiónes confirmándae memóriae sérviunt.***

ANDRÉAS, BERNÁRDUS.

Andr. Visne repetámus una? *Bernard.* Quidnam? *Andr.* Id quod nobis praescríptum est. *Bernard.* Équidem volo, sed quo génere repeténdi utémur? *Andr.* Audiámus nos vicíssim. *Bernard.* Sic praecéptor nos monet saepe. *Andr.* Recte monet: sed male parémus. *Bernard.* Uter incípiet? *Andr.* Ego, si tibi ita placet. *Bernard.* Máxime placet: íncipe ígitur. *Andr.* Secúndae declinatiónis nómina his exémplis latíne declinántur: Magister, puer, dóminus, lánius, Antónius, regnum. *Bernard.* Quae sunt hodie declinánda? *Andr.* Hestérnum nomen quidem est lánius, hodiérnum vero Antónius. *Bernard.* Cur nos id repétimus cotídie, quod pridie reddídimus? *Andr.* Quia sic praecéptor iubet. *Bernard.* Id satis scio: sed cur iubet? *Andr.* Ad confirmándam memóriam. *Bernard.* Age, declína nomen lánius. *Andr.* Nom. hic lánius, Gen. huius lánii, etc, ad finem usque. *Bernard.* Declína nomen Antónius. *Andr.* hic Antónius. Gen. huius Antónii. Dat. huic António, etc.

ad finem usque. Antónius est nomen viri. *Bernard.* Cur dicis nomen viri, tu nondum es vir. *Andr.* Fáteor, sed sunt álii Antónii, qui viri sunt. *Bernard.* Útinam aliquándo vir evádas. *Andr.* Evádam Deo iuvánte. *Bernard.* Atténde nunc, ut vicíssim áudias me. *Andr.* Istic sum: dic audácter. *Bernard.* Secúndae declinatiónis omnia. *Andr.* Désine, praecéptor adest. *Bernard.* Aúdio tussiéntem, desinámus: ne putet nos garríre.

ELOCÚTIO.

Praescríbere ediscénda.
Praecéptor nondum praescrípsit praelectiónem in crástinum.
Uti re áliqua.
Quo génere ludéndi utémur ... ludámus pila ... sphaeris ebúrneis ... latrúnculis?
Audíre se vicíssim.
Praecéptor nos monet in dies, ut repetámus praelectiónes in futúrum perículum Paschale.
Monet quidem praecéptor recte, sed male parémus.
Uter incípiet? Petrus.
Placet mihi.
Incípere declináre.
Réddere praelectiónem.
Confirmáre memóriam.
Aúdio praeceptórem tussiéntem.
Desínite garríre.

Collóquium XI.

Arguméntum: ***Nóminum tértiae declinatiónis repetítio. Témpore non est abuténdum. Praecéptor non est metuéndus in re bona.***

Cornélius, Dániel, Diodórus.

Cor. Quid agis, Daniel? Instat praeceptóris advéntus. *Dan.* Scílicet instat: nondum est semihóra post secúndam. *Cor.* Tamen non debémus ínterim témpore sic abúti: repetámus. *Dan.* Non stabit per me, ego enim sum parátus. *Cor.* Íncipe ígitur. *Dio.* Exspectáte parúmper, quaeso: ego quoque sum vestrae decúriae. *Cor.* Matúra. *Dan.* Dicámus suum quisque casum órdine, ut

intérdum nos docet praecéptor. *Cor.* Satis est verbórum: atténdite. *Dio.* Quid áliud ágimus?

Cor. Tértiae declinatiónis nómina his exémplis latíne in casus declinántur: pater, lumen, rupes, messis, pars, sedíle, vectígal, láquear. *Dan.* Nominatívus: hac rupes. *Dio.* Gen. huius rupis. *Cor.* Dat. huic rupi. *Dan.* Acc. hanc rupem. *Dio.* Voc. o rupes. *Cor.* Ablat. ab hac rupe. *Dan.* Nom. plur. hae rupes. *Dio.* Gen. harum rupum. *Cor.* Córrige errátum. *Dan.* Gen. harum rúpium. *Cor.* Dat. his rúpibus. *Dan.* Acc. has rupes. *Dio.* Voc. o rupes. *Cor.* Ablat. ab his rúpibus. *Dan.* Verte germánice: rupis g.f. eines Felsens. *Cor.* Pone in oratióne. *Dan* Non est in libro nostro. *Cor.* Sed praecéptor dócuit. *Dan.* Alta rupes, ein hoher Fels. *Dio.* Nom. sing. haec messis. *Cor.* Gen. huius messis. *Dan.* Dat. huic messi, etc, usque ad finem huius nóminis: deinde *pergunt cólloqui.* Dio. Ambo errástis. *Dan.* Errávi, fáteor. *Dio.* Ego quoque: sed uter vincétur? Praecéptor iudicábit. *Dan.* Aequum dicis. *Cor.* Vultísne dicámus íterum ad memóriam confirmándam? *Dio.* Quidni? *Dan.* Quid si praecéptor intervéniat? *Cor.* Quid tum? Laudábit nos ore pleno. *Dio.* Sed mutándus est ordo. *Cor.* Non est dúbium. Íncipe, Dániel. *Dan.* Tértiae declinatiónis nómina etc.

ELOCÚTIO.

Quid ágitis?
Instat praeceptóris advéntus.
Dies novíssimus (extrémus, últimum iudícium) instat.
Semihóra post secúndam, tértiam, quartam.
Abúti témpore . . . abúti penna.
Non stabit per me.
Parátus sum ad reddéndam praelectiónem.
Ego sum órdinis vestri quoque.
Dic órdine síngula.
Satis verbórum . . . satis pecúniae.
Áliquid pecúniae.
Sapiéntiae parum.
Haec vox non est in meo índice verbórum.
Ambo errástis ... utérque errávit.
Errávi, fáteor.
Victus es a me.
Dícere aequum.
Confirmáre memóriam.

Pater intervénit.
Laudáre áliquem ore pleno.
Mutáre órdinem.
Non est dúbium, quin sit ventúrus.

Collóquium XII.

Arguméntum: ***Adiectívi tértiae declinatiónis repetítio.***

EUDÓXUS, FRIDERÍCUS.

Eud. Visne repétere mecum? *Frideric.* Cur tam cito? *Eud.* Ne observátor nos deprehéndat garriéntes aut otiósos. *Frideric.* Age, repetámus: sed uter incípiet? *Eud.* Ego, quia victor sum. *Frideric.* Dic ígitur. *Eud.* Nomen adiectívum prudens sic declinátur in génera. Hic prudens g.m., haec prudens g.f., hoc prudens g.n. Idem nomen sic declinátur in casus:

Nominat.	hic	haec		hoc	prudens
Gen.	huius	huius		huius	prudentis
Dat.	huic	huic		huic	prudenti
Acc.	hunc	hanc	prudentem	hoc	prudens
Abl.	hoc	hac		hoc	prudenti

ELOCÚTIO

Repeténda est mihi tecum catechésis... vel grammática.
Repeténda est mihi tecum catechésis.
Observátor deprehéndit discípulos otiósos et garriéntes.
Uter incípiet? Neuter nostrum... Minor fratrum.

Collóquium XIII.

Arguméntum: ***Nóminum tértiae et quartae declinatiónis repetítio. Repetitiónes saépius iterándae.***

GERÁRDUS, HENRÍCUS.

Ger. Mox áderit praecéptor, repetámus. *Henr.* Quid opus est mihi repetitióne? solus repetívi satis: ómnia téneo memória. *Ger.*

Quid tum? quanto saépius repetíveris, tanto melius tenébis. *Henr.* Bene mones: hábeo tibi grátiam. *Ger.* íncipe: tempus abit. *Henr.* Quartae declinatiónis. *Ger.* Erras, Henríce. Incipiéndum est ab exémplo hestérno. *Henr.* Errávi. fáteor. *Ger.* Dic ígitur nunc recte. *Henr.* Nom. sing. hoc sedíle. Gen, huius sedílis, etc. ad finem usque. Quartae declinatiónis nómina hoc exémplo declinántur: Nom. sing. hic sensus. Gen. huius sensus. Dat. huic sénsui. *Ger.* Háctenus: aúdio praeceptórem.

ELOCÚTIO.

Praecéptor áderit opinióne celérius.
Non opus est mihi repetitióne.
Opus est mihi cálceis.
Opus est vobis libris.
Opus est cívibus nummis.
Nummi sunt cívibus opus.
Ibo repetítum solus.
Quanto (quo) saépius repetíveris, tanto (eo) mélius tenébis.
Habére grátiam.
Tempus abit... praéterit... défluit... lábitur.
Íncipe ab hestérna praelectióne.
Dic recte... distíncte... clara voce.
Errávi, fáteor... fáteor me errásse.

Collóquium XIV.

Arguméntum: ***Verbi secúndae coniugatiónis repetítio. Lúsibus statuéndus est modus. Stúdia iucúnde conferénda.***

IGNÁTIUS, LÚCIUS, MÍCHAEL.

Ign. Hic dies nobis est feriátus: et iam satis lúsimus. *Luc.* Satis, opínor. *Ign.* Vultis ergo, ut ánimi grátia conferámus de stúdiis nostris? *Luc.* Sane mihi gratum féceris. *Mich.* Mihi vero gratíssimum. *Luc.* Sed quid tractábimus? *Ign.* Conémur declináre áliquod verbum latíne simul et germánice. *Mich.* Íncipe ígitur, quia nos provocásti. *Ign.* Fáciam, quando ita placet vobis. *Luc.* Audiámus. *Ign.* Indicatívi modi praesens tempus: dóceo, ich lehre, doces, du lehrst, docet, er lehrt. Plural. Docémus, wir lehren, do-

cétis, ihr lehrt, docent, sie lehren. *Ign.* Praetéritum imperféctum, singuláriter: docébam, ich lehrte, docébas, du lehrtest, docébat, er lehrte. Plural. Docebámus, wir lehrten, docebátis, ihr lehrtet, docébant, sie lehrten.

Mich. Praetéritum perféctum, singuláriter: dócui, ich habe gelehrt, docuísti, du hast gelehrt, dócuit, er hat gelehrt. Pluráliter. docúimus, wir haben gelehrt, docuístis, ihr habt gelehrt, docúerunt, vel docuére, sie haben gelehrt. *Luc.* Praetéritum plusquamperféctum, singuláriter: docúeram, ich hatte gelehrt, docúeras, du hattest gelehrt, docúerat, er hatte gelehrt etc. Sic pergant, quátenus placet.

ELOCÚTIO.

Studiórum grátia.
Gratus alícui... gratus in áliquem... gratus erga áliquem.
Gratus esto pro benefíciis in te collátis.
Crástinus dies nobis erit feriátus.
Fratres tui satis lusérunt.
Conférre de stúdiis.
Conférre se ad áliquid.
Ánimi grátia.
Gratum mihi fecísti, quod.
Tractáre plene, copióse áliquid.
Gratum mihi fecísti, quod fecísti me certiórem celériter de lítteris Caésaris... Imperatóris...

Collóquium XV.

***Arguméntum:* Verbi tértiae coniugatiónis repetítio. Studiórum collátio comis esse debet, nec austéra. Gratulándum áliis, si offícium recte fáciunt.**

NICOLÁUS, OLIVÁRIUS.

Nicol. Cur es otiósus? *Oliv.* Non sum omníno. *Nicol.* Quid agis ígitur? *Oliv.* Cógito de praelectióne reddénda. *Nicol.* Ego quoque id ago: repetámus una. *Oliv.* Fiat: sed quam ratiónem tenébimus? *Nicol.* Age praeceptóris partes, ego discípuli. *Oliv.* Valde mihi placet condício. *Nicol.* Sed ne sis mihi austérior. *Oliv.* Ne tímeas: nosti me satis. *Nicol.* Novi. *Oliv.* Declináto lego

in modo infinitívo. *Nicol.* Infinitívi modi tempus praesens et praetéritum imperféctum, légere, praetéritum perféctum et plusquamperféctum, legísse. *Oliv.* Perge. *Nicol.* Sine me paulísper respiráre, quaeso, praecéptor. *Oliv.* Perge nunc. *Nicol.* Futúrum indefinítum, lectúrum esse.

Gerúndia: legéndi etc. ad finem usque. *Oliv.* Gaúdeo te recte fecísse offícium. *Nicol.* Ego vero mihi grátulor: sed est Dei grátia. *Oliliv.* Recte dicis, útinam ex ánimo. *Nicol.* Ex ánimo certe. *Oliv.* Bene habet, desinámus, aúdio praeceptóris advéntum. *Nicol.* Eccum, adest.

ELOCÚTIO.

Cur discípuli sunt otiósi?
Cogîtáre de re áliqua.
Cogitáre de reddénda praelectióne... Grammática, História...
Praeléctio mihi reddénda est.
Repétere una philosóphiam, lógicam...
Tenére ratiónem.
Ágere partes praeceptóris... ágere partes discípuli.
Condício placet mihi.
Tímeo, ne sis mihi austérior.
Praeféctus studiórum nimis austérus est.
Ne tímeas, né métuas, grex parve.
Sine condiscípulum tuum respiráre.
Gaúdeo Christóphorum fratrem tuum fecísse offícium suum... functum esse offício.
Gratulári alícui de re áliqua... áliquam rem... áliqua re.
Gaúdeo patrem recte valére... gaúdeo, quod scribis (quod scribas).
Aúdio praeceptóris advéntum... Dícere ex ánimo... Incípio dícere ánimo cum metu.
Eccum adest.

Collóquium XVI.

*Arguméntum: **Verbi quartae coniugatiónis repetítio. Utílitas pública ómnibus modis procuránda.***

PHILÍPPUS, RUDÓLPHUS, STÉPHANUS, THOMAS, VALÉRIUS.

Phil. Heus iúvenes, nos hic sumus quinque; repetámus hodiérnum verbum, ut solémus coram praeceptóre. *Rud.* Nemo

ut opínor contradícet. *Steph.* Íncipe ígitur, Philíppe, qui primus sedes. *Phil.* Optatívi et subiunctívi modi praesens tempus: *Steph.* Aúdiam. *Rud.* aúdias. *Steph.* aúdiat. *Thom.* audiámus. *Val.* audiátis. *Phil* áudiant. *Rud.* Praetéritum imperféctum. *Steph.* audírem. *Rud.* audíres. *Thom.* audíret. *Val.* audirémus. *Phil.* audirétis. *Rud.* audírent. *Steph.* Praetéritum perféctum. *Steph.* Singular: audíverim. *Thom.* usque ad finem verbi hoc pergant órdine.

ELOCÚTIO.

Primus sedet.
Sedent táciti.
Sedet secúndus, tértius...
Recitáre coram praeceptóre... coram patre, praesénte patre, matre, família tota.

Collóquium XVII.

Arguméntum: ***Andréas cuiúsdam oratiónis partes et adiúncta audit ex Beáto.***

ANDRÉAS, BEÁTUS.

Andr. Dic latíne: Lasst uns unsere Lektion wiederholen. *Beat.* Repetámus una praelectiónem. *Andr.* Haec orátio quot habet partes? *Beat.* Tres. *Andr.* Discérne síngulas nominátim. *Beat.* Repetámus, est verbum: una, advérbium, praelectiónem, nomen. *Andr.* Declára paulo plénius. *Beat.* Tu ígitur praeíto mihi, ut solet praecéptor. *Andr.* Repetámus. *Beat.* Répeto, répetis, repétere, coniugatiónis tértiae, sicut lego, legis, légere. Praetéritum, repetívi. Supínum: repetítum. Particípia: répetens, repetitúrus. *Andr.* Una *Beat.* Non declinátur, quia est advérbium hoc loco. *Andr.* Praelectiónem. *Beat.* Praeléctio, praelectiónis, g.f. eine Lektion.

ELOCÚTIO.

Declaráre rem áliquam.
Praeíre alícui et áliquem... praeíre alícui voce.

Verba praeíre.
Discérnere áliquid.
Alba et atra discérnere novit.

Collóquium XVIII.

Arguméntum: ***Duo púeri diligénter répetunt, quae sunt in auditório redditúri. Exémplum diligéntiae in púeris, pro captu aetátulae. Útinam aetáte et doctrína provécti hoc imitaréntur exémplum.***

CRISPUS, DESIDÉRIUS.

Crisp. Repetámus nómina cotidiána, ut cértius reddámus ea praeceptóri. *Desid.* Bene mones, praeíto mihi hestérna. *Crisp.* Dic latíne, ein Auge. *Desid.* Óculus. *Crisp.* Das rechte Auge. *Desid.* Óculus dexter. *Crisp.* Das linke Auge. *Desid.* Oculus sinister. *Crisp.* Beide Augen. *Desid.* Ambo óculi. *Crisp.* Probe tenes. *Desid.* Nunc audi, an recte solus dicam. *Crisp.* Age, aúdio. *Desid.* Ein Auge. *Crisp.* Debes numeráre dígitis, ut docet praecéptor. *Desid.* Quid prodest istud? *Crisp.* Ad memóriam iuvándam. *Desid.* Quid hoc sibi vult? *Crisp.* Non audivísti tóties? *Desid.* Ego sum oblivióosus: quid ágam? *Crisp.* Esto diligéntior ad ea retinénda, quae percéperis. *Desid.* Quod me fidéliter mones, pergrátum facis. *Crisp.* Age, ad rem redi. *Desid.* Ein Auge, óculus. Das rechte Auge, óculus dexter. Das linke Auge, óculus sinister. Beide Augen, ambo óculi. *Crisp.* Quam recte ómnia dixísti. *Desid.* Repetámus etiam hodiérna. *Crisp.* Placet. At tu vicíssim praeíto mihi. *Desid.* Eine Hand. *Crisp.* manus. *Desid.* Die rechte Hand. *Crisp.* manus dextra. *Desid.* Die linke Hand. *Crisp.* manus sinístra. *Desid.* Beide Hände, *Crisp.* na. *Crisp.* Placet. At tu vicíssim praeíto mihi. *Desid.* Eine Hand. manus. Die rechte Hand, manus dextra. Die linke Hand, manus sinístra. Beide Hände, ambae manus. *Desid.* O útinam tam bene dicerémus coram praeceptóre. *Crisp.* Quid obstat? *Desid.* Quia timémus. *Crisp.* Et tamen erráta nostra satis humániter córrigit. *Desid.* Néscio, quid hoc sibi velit: ego semper sum tímidus in princípio. *Crisp.* Istud est quodámmodo naturále omnibus, ut audívimus ex praeceptóre. *Desid.* Nunc repeténdum esset latíne et germánice, sed praeceptórem veniéntem vídeo *Crisp.* Ingrediámur.

Réddere praelectiónem praeceptóri... coram praeceptóre.
Praeíre alícui... vel áliquem.
Probe tenére.
Numeráre dígitis.
Dixítne solus? dixit.
Hoc mihi non prodest.
Iuváre memóriam.
Quid hoc sibi vult?
Quidam iúvenes ádmodum obliviósi sunt.
Retinénda sunt, quae discípuli percepérunt.
Pergrátum mihi facis, quod mones me.
Redíre ad rem... ad institútum.
Corrígere alicúius erráta humániter... mores corrígere.
Néscio, quid sibi velit iste concúrsus hóminum.
Tu nimis tímidus es... tímidus lucis... tímidus mori.
Hoc vítium mihi naturále est.
Audíre áliquid ex áliquo... ab áliquo.
Íngredi concláve... muséum... in muséum.
Egréditur urbem.
Vídeo praeceptórem veniéntem.
Vídeo praeceptórem veníre.

Collóquium XIX.

Arguméntum: ***Discípulus ultro salutátum venit praeceptórem, cómiter ab illo excípitur, reddit, quae praescrípta fuérunt. Laudátur a magístro. Deum laudat, munúsculis blandis invitátur. Exémplum ad iúvenes blande et cómiter in schola tractándos, ne severitáte disciplínae absterreántur.***

Erásmus, Praecéptor.

Erasm. Salve, praecéptor. *Praec.* Salvus sis, mi Erásme. Unde venis tam multo mane? *Eras.* E cubículo nostro. *Praec.* Quando surrexísti? *Eras.* Paulo ante sextam, praecéptor. *Praec.* Quid ais? *Eras.* Sic est ut dico. *Praec.* Tu nimis es matutínus: quis te expergefécit? *Eras.* Frater meus. *Praec.* Esne precátus Deum?

Eras. Cum primum frater me pexit, precátus sum. *Praec.* Quómodo? *Eras.* Flexis génibus et coniúnctis mánibus dixi precatiónem Domínicam, cum gratiárum actióne. *Praec.* Qua lingua? *Eras.* Latína. *Praec.* O factum bene, quis te misit ad me? *Eras.* Nemo. *Praec.* Quid ergo? *Eras.* Ultro veni. *Praec.* Mi anímule, quam pulchrum est sápere! Nonne est ientándi tempus? *Eras.* Nondum esúrio. *Praec.* Quid vis ígitur? *Eras.* Volo réddere nómina cotidiána, si tibi placet audíre me. *Praec.* Quidni placeat? tenes ígitur memória? *Eras.* Téneo, grátia Dei. *Praec.* Age, pronúntia. *Eras.* Sed mihi soles praeíre germánice et ego latíne respóndeo. *Praec.* Bene mones: paene istud oblítus sum, responde ígitur. *Eras.* Exspécto, ut propónas. *Praec.* Das Haupt. *Eras.* Caput. *Praec.* Der Scheitel. *Eras.* Vertex. *Praec.* Der Vorderkopf. *Eras.* Sínciput. *Praec.* Der Hinterkopf. *Eras.* Ócciput. *Praec.* Nunc respónde germánice, caput. *Eras.* Das Haupt. *Praec.* Vertex. *Eras.* Der Scheitel. *Praec.* Sínciput. *Eras.* Der Vorderkopf. *Praec.* Ócciput. *Eras.* Der Hinterkopf. *Praec.* Quid si nunc solus dicas ómnia? *Eras.* Fácile dicam. *Praec.* Ego vero te libénter aúdiam. *Eras.* Das Haupt, caput, der Scheitel, vertex, der Vorderkopf, sínciput, der Hinterkopf, ócciput. Nonne bene dixi, praecéptor? *Praec.* Quam óptime. *Eras.* Laudétur dóminus Deus. *Praec.* O pulchrum verbum! ito nunc petítum ab ancílla ientáculum. *Eras.* Malim abs te accípere, praecéptor, si tibi non est moléstum. *Praec.* O! quam te amo de isto verbo, age, séquere me, dabo tibi áliquid boni: quia tuum recte fecísti offícium. Quid est hoc? *Eras.* Panis cándidus, Weissbrot. *Praec.* Quid haec sunt? *Eras.* Ficus áridae, dürre Feigen. *Praec.* Númera. *Eras.* Una, duae, tres, quattuor, quinque, sex. *Praec.* O lépidum capítulum! ienta nunc otióse.

ELOCÚTIO.

Salve, Nicoláe.
Salvus sis, Erasme.
Gaúdeo te salvum advenísse.
Gaúdeo, quod mater tua salva huc vénerit.
Unde venis tam multo mane?
E cubículo.
Quando Bartholomáeus surréxit?... paulo ante quartam... quintam... sextam.
Aiunt Petrum surrexísse hora tértia.
Sic est, ut dico.

Tu nimis es matutínus.
Precári Deum religióse, ardénter, ex ánimo.
Frater pexit me. Pexit me péctine ebúrneo.
Precári Deum génibus flexis et coniúnctis mánibus.
Dícere precatiónem Domínicam... precatiónem matutínam... preces vespertínas, precatiónem vespertínam.
Dícere precatiónem lingua latína.
Míttere áliquem ad áliquem.
Praecéptor misit clavígerum ad rectórem.
Veníre ultro.
Tempus est ientándi.
Instat tempus recitándi praelectiónem vel recitándae praelectiónis.
Frater meus ésurit.
Non placet mihi audíre te.
Tenére memória paradígmata declinatiónum et coniugatiónum.
Grátia sit Deo.
Praeíre alícui... praeíre discípulis latíne.
Respondére latíne ad interrogáta.
Oblivísci rem áliquam.
Deus laudétur.
Ire petítum ientáculum... librum.
Accípere áliquid ab áliquo.
Moléstum est mihi.
Calor solis mihi moléstus est.
Amáre áliquem de re áliqua.
Sequi áliquem... sequi Christum.
Friderície, si diligénter studúeris, pater dabit tibi áliquid boni... pulchri.
Dabo tibi áliquid pecúniae.
Fácere recte offícium... bene fungi offício suo.
Ientáre, prandére, cenáre otióse.

Collóquium XX.

Arguméntum: ***Discípuli extra órdinem ludéndi véniam petunt.***

FABER PUER, PRAECÉPTOR, GUILLÉLMUS et HENRÍCUS.

Fab. Salve, praecéptor. *Praec.* Sit vobis salus. Iamne repetivístis? *Fab.* Étiam, praecéptor. *Praec.* Quis dócuit vos? *Fab.*

Alter a praefécto. *Praec.* Quid nunc vultis? *Guil.* Ut per te líceat nobis parúmper lúdere. *Praec.* Non est ludéndi tempus. *Hen.* Non petimus pro omnibus, sed pro nobis párvulis tantum. *Praec.* Atqui pluit, ut vidétis. Guil. Ludémus in pérgula. *Praec.* Quo lusu? *Hen.* Pila. *Praec.* Quid mihi dábitis? *Fab.* Dicémus nómina. *Praec.* Dícite ígitur. *Fab.* Papier, charta. Tinte, atraméntum. *Guil.* Ein Buch, liber. Ein Büchlein, libéllus. *Hen.* Eine Kirsche, cérasum. Baumnüsse, iuglándes. *Praec.* Quam belli estis homúnculi. Lúdite ad cenam usque. Discípuli: Grátias ágimus, praecéptor.

ELOCÚTIO.

Salve, praecéptor.
Salvéte páriter omnes.
Praecéptor, licétne nobis per te paulum lúdere?
Impetrávimus a praeceptóre potestátem ludéndi.
Non est nunc tempus ludéndi, sed discéndi.
Non ludéndi sed discéndi grátia missus est Athénas.
Pétere véniam ab omnibus condiscípulis suis.
Ego malo vénia carére, quam pétere eam.
Quid vultis vos párvuli?
Rogámus, ut des nobis véniam ludéndi, praecéptor.
Saxa pluunt.
Lúdere in pérgula... in foro... in platéa.
Lúdere pila... álea... lúdere par impar... latrúnculis lúdere.
Dare alícui áliquid.
Belli estis homúnculi.
Lúdere ad cenam usque... ad seram usque vésperam.
Lúdere lusum, áleam vel álea.
Agere grátias alícui.
Agéndae sunt praeceptóribus grátiae pro fidéli informatióne.
Ago tibi grátias, quam possum máximas.

Collóquium XXI.

Arguméntum: ***Magíster a discípulo interrogátus, respóndet humániter. Bonus praecéptor bene optat discípulis. Régula citra exceptiónem vix ulla est. In dúbiis grammáticis consuléndae sunt régulae. Studiósus doctos ad imitándum observáre debet. Praeclára ópera***

longióre témpore índigent. Experiéntia. Patrum indoctórum stultítia. Tempus exspectándum. Sciéntia magnis labóribus comparátur. Exémplum boni praeceptóris et discípuli studiósi.

IACÓBUS, PRAECÉPTOR.

Iac. Praecéptor, licétne pauca? *Praec.* Lóquere, quidquid vis. *Iac.* Cum intérdum dicis alícui nostrum, ubi est follis? Vel cedo follem: non appáret, utrum follis sit masculíni an feminíni generis. *Praec.* Non appáret, fáteor: quid tum? *Iac.* Unde ígitur scire póssumus? *Praec.* Cur me de hoc numquam *rogátis?* *Iac.* Tam multa tam saepe interrogámus, ut vereámur, ne tibi molésti simus. *Praec.* Contra, eo magis amo vos, quo me rogátis saépius. Quid enim magis cúpio, quam ut aliquándo vos vídeam et óptimos et doctíssimos? *Iac.* Habémus grátiam máximam, praecéptor humaníssime. Dic, quaeso, follis cuius géneris est? *Praec.* Masculíni. *Iac.* At ego pótius femiríni díxerim. *Praec.* Quam ob rem? *Iac.* Quia huiúsmodi est pellis, quod est in rudiméntis pro exémplo pósitum. *Praec.* Non abs re id coniciébas. Nam « is » finita, quale est pellis, magna ex parte feminína sunt. *Iac.* Non ígitur ómnia. *Praec.* Vix ulla est tam generális régula, quae exceptióne cáreat. Follis ígitur sub exceptiónem cadit: quia masculíni géneris est. Sic áliquotália, ut ignis, piscis, axis etc. *Iac.* Sed unde illa dignóscam? *Praec.* Fácile cognósces, cum pervéneris ad grammáticae régulas. Sed ínterim latíne loquéntes atténte obsérva, teque ad eórum imitatiónem diligénter accómmoda. *Iac.* At istud longum est, praecéptor. *Praec.* Non fiunt nisi longo témpore praeclára aedifícia. *Iac.* Experiéntia nos istud docet. At pater meus vellet me ánnuo spátio doctum vidére. *Praec.* Ego vero istud uníus diéi spátio vidére vellem. Sed quid agas? Ómnibus in rebus exspectándum tempus est. Pater tuus, quia non dídicit lítteras, nescit, quid doctrína váleat, neque quantis labóribus comparétur. *Iac.* Verum dicis: sed quid illi respondébo, cum apud me conquerétur de témporis longi spátio in discéndis lítteris? *Praec.* Docébo inter cenándum, nunc ito lusum cum céteris, ut me in muséum recípiam. *Iac.* Ignósce mihi, quaeso, praecéptor, quod te interpelláverim. *Praec.* Nihil me interpellásti: non enim occupátus eram. Praetérea, si te audíre mihi moléstum fuísset, nonne póteram te in áliud tempus reícere? *Iac.* Tuo iure id póteras. *Praec.* Abi ígitur.

Licétne pauca?
Licétne mihi nunc deambuláre?
Lóquere quid velis, sed quam póteris tardíssime.
Dícere alícui áliquid ... vel ad áliquem.
Dixi alícui vestrum.
Cedo librum ... índicem verbórum.
Rogáre áliquem de re áliqua ... vel áliquid ... hoc te rogo.
Interrogáre multa, retinére pauca.
Interrogábo te de síngulis ...
Frater tuus interrogátus est de multis, sed nihil appósite respóndit.
Véreor, ne moléstus sim tibi.
Metúimus perículum, verémur étiam virtútem.
Prae se ferre ... amórem, benevoléntiam.
Eo magis amat praecéptor discípulos, quo saépius rogant.
Nihil magis paréntes cúpiunt, quam ut aliquándo líberos suos vídeant probos.
Cúpiunt paréntes hoc fíeri, i.e. ut hoc fiat.
Debémus omnes Deo grátiam.
Det tibi Deus bonam voluntátem.
Faciat Deus, ut benefíciis príncipis in nos collátis bene utámur.
Estne haec vox in rudiméntis vestris pro exémplo pósita?
Unde hoc cónicis, cólligis?
Ex tua natúra cónicis álias.
Vix ulla regula tam generális est, quae cáreat exceptióne.
Hoc vocábulum cadit sub exceptiónem.
Custos atténte obsérvat latíne loquéntes.
Accommodáre se ad imitatiónem alicúius.
Accommodáre se ad nutum alicúius.
Praeclára aedifícia non fiunt, nisi longo témpore.
Experiéntia, quae magístra rerum est, me hoc dócuit.
Pater meus ánnuo spátio velit me vidére doctum.
Philíppus spátio trium quattuórve annórum non fiet doctor.
Spátio uníus diéi haec memóriae mandáre non possum.
Multórum discipulórum paréntes quia non didicérunt lítteras, nésciunt, quid váleat doctrína.
Comparáre sibi eruditiónem multis vigíliis et labóribus.
Quid mihi nunc respóndes? Ad hoc ... respónde patri.
Discípuli plerúmque conquerúntur de severitáte praeceptórum.

Cónqueri de re áliqua ... ob áliquid vel álíquid.
Mater mea conquésta est de severitáte praeceptóris.
Ire lusum ... ire captum pisces.
Recípere se domum ... in muséum.
Ignóscere scéleri alicúius ... alícui scelus.
Ignósce mihi, dómine, quod interpellaverim te.
Interpelláre áliquem idem est ac interrúmpere áliquem.
Mater est occupáta ... ligna disponéndo ... in lignis disponéndis.
Moléstum est mihi audíre istum nugatórem.
Reícere in tempus áliud et commódius.
Reiécit comes rústicum in tempus áliud.

Collóquium XXII.

Arguméntum: ***Paedagógus a púero ratiónem stúdii éxigit: reddit puer alácriter: Admonétur, ut a mendácio cáveat. Fórmula ad verbórum declinatiónem púeris bréviter indicándam, postquam exémpla generália didícerint.***

PAEDAGÓGUS, LAMBÉRTUS.

Paed. Esne parátus ad reddéndam stúdii tui ratiónem? *Lamb.* Parátus, ut mihi vídeor. *Paed.* Redde ígitur, et esto praesenti ánimo. *Lamb.* Hoc matutíno témpore primum pronuntiávimus carmen ex Catóne: deínde eius interpretatiónem latíne reddídimus: postrémo bini tractávimus síngulas partes oratiónis cum attribútis et significatióne. *Paed.* Recténe fecísti offícium tuum? *Lamb.* Puto me satisfecísse praeceptóri magna ex parte. *Paed.* Vide, ne mentiáris. Nam ego illum percontábor. *Lamb.* Ut vis, praecéptor: nihil hac in re métuo. *Paed.* Age, pergámus. Merídie quid est vobis reddéndum? *Lamb.* Debémus declináre verbum possum, latíne et germánice. *Paed.* Nihil praetérea? *Lamb.* Nihil. *Paed.* Ego te istud álias docui: Nonne tenes memória? *Lamb.* Non ausim affirmáre, donec tentávero. *Paed.* Declína in primas persónas: cétera tibi erunt facíllima. *Lamb.* Indicatívus: possum, ich kann; póteram, ich konnte; pótui, ich habe gekonnt; potúeram, ich hatte gekonnt; pótero, ich werde können; Imperatívus deest. Optatívus, útinam possim, ach, dass ich könnte; útinam possem, ach, dass ich könnte; útinam potuíssem, ach, dass

ich gekonnt hätte. Subiunctívus: ut possim, dass ich könne; ut possem, dass ich könnte; quamvis potúerim, obwohl ich gekonnt habe; quamvis potuíssem, obwohl ich gekonnt hätte; cum potúero, wann ich gekonnt haben werde. *Paed.* Declína totum infinitívum. *Lamb.* Infinitívi modi praesens et praetéritum imperféctum, posse können; praetéritum perféctum et plusquamperféctum, potuísse, gekonnt haben. Cétera desunt. *Paed.* Cur hoc verbum, possum, caret futuro indefiníto, cur item particípio in « rus »? *Lamb.* Quia non habet supínum. *Paed* Quid tum? *Lamb.* Illae enim voces a supíno formári solent. *Paed.* Da exemplum in áliquo verbo íntegro. *Lamb.* Ut a supíno « lectum » fit lectúrus, et a lectúrus fit lectúrum esse. *Paed.* Recte sane. Sed cur praetermisísti particípium praesens quod derivátur a verbo possum, cum sit in usu, potens, poténtis? *Lamb.* Quia ut saepe nos docuísti potens non est particípium, licet a verbo possum veniat. *Paed.* Quid ergo est? *Lamb.* Nomen adiectívum. *Paed.* Probe meminísti, útinam sic pergas semper. *Lamb.* Spero in dies melióra, per Dei grátiam. *Praed.* Ego quoque item tecum spero. Nunc restat, ut dicas praetéritum cum prole. *Lamb.* Pótui, potúeram, potúerim, potúero, potuíssem, potuísse. *Praed.* Dic significatiónem.*Lamb.* Possum, ich kann; posse, können. *Paed.* Háctenus, ecce vocámur ad prándium.

ELOCÚTIO.

Paráti sunt omnes quaestóres ad reddéndam ratiónem accépti et expénsi.
Redde ratiónem dispensatiónis tuae.
Réddere ratiónem studiórum.
Parátus (promptus) est ad ómnia ... ad moriéndum.
Ad utrúmque parátus.
Esse ánimo praesénti.
Redde interpretatiónem praelectiónis ... germánice, gállice, itálice ... ánglice.
Fácere recte offícium.
Satisfácere praeceptóri ... de re áliqua ... in áliqua re.
Vide, ne mentiáris, alióquin vapulábis ... mentíri in áliquem.
Percontári áliquem.
Nihil hac in re métuo.
Nihil métuo in praelectióne philosóphica.
Métuo, tímeo, véreor, ut fiat ... ne fiat.
Merídie quid est nobis reddéndum? ... quid habémus iniúnctum?

Ténui dudum memória.
Non ausim (ausus sim) affirmáre certo.
Non ausim affirmáre, donec tentávero.
Carére re áliqua ... pennis, atraménto, pecúnia.
Praetermisísti cómmata multa.
Probe meminísti.
Spero in dies melióra ... vocámur ad prándium.
Curre significátum patri cibos omnes esse appósitos.

Collóquium XXIII.

Arguméntum: ***Discípulus magístrum de dúbio quodam cónsulit. Magíster benígne respóndet. Analógiae non ubíque fidéndum. Latínitas quibus constet máxime. Aetátis progréssus quid requírat. Omnis proféctus noster Deo tribuéndus.***

MARCÉLLUS, PRAECÉPTOR.

Marc. Praecéptor, licétne pauca? *Praec.* Dic líbere. *Marc.* Cur non dícimus, hic arbor, sicut hic labor? Item cur genetívum árboris non proférimus paenúltima longa, ut fere in céteris nomínibus terminatiónis eiúsdem? *Praec.* Quia loquéndi usus áliter approbávit. Nec enim ubíque locum habet analógia: sed ubi déficit, sequéndus est eórum usus, qui recte et pure locúti sunt. Nam ipsa latínitas usu et auctoritáte magis quam ratióne constat. *Marc.* Da ígitur auctoritátem de nómine arbor. *Praec.* « Árboris exésae truncus », apud Vergílium. Nonne hic maniféste vides et genus et accéntum? *Marc.* Vídeo, praecéptor, sed suntne alia eódem accéntu? *Praec.* Imprímis graeca ómnia, ut Castor, Cástoris, sic Hector, Nestor hisque simília. Item haec duo neutríus géneris, aéquor, aéquoris, mármor, mármoris. Sunt et adiectíva quaedam, ut memor. Tália quoque sunt ex « decus » et « corpus » compósita, ut índecor, indécoris; tricórpor, tricórporis. Sed haec apud grammáticos annotáta fácile per te invénies. Nam ista aetas tua maiórem in dies requírit diligéntiam. Huc accédit, quod haec ipsa, quae tuo labóre ac diligéntia invéneris, firmióre tenébis memória. *Marc.* Ago tibi grátias, humaníssime praecéptor, quod me tanta humanitáte non solum doces, sed etiam ádmones. *Praec.* Bene facis: sed ínterim volo memíneris, soli Deo accéptum referre, quidquid boni ex labóre meo in te proficíscitur. Frustra enim docéndo laborámus, nisi labóribus nostris divínus favor

accésserit. Nosti illud Apóstoli: Neque qui plantat est áliquid, neque qui rigat: sed qui dat increméntum Deus. *Marc.* Essémus profecto plumbo stupidióres, si ista ignorarémus, quae nobis tam saepe incúlcas tamque diligénter. *Praec.* Tanto diligéntius vos opórtet tum meminísse, tum recordári. Sed iam tempus est, ut ad cotidiánum pensum te réferas: ego vero intérea me abdo in muséum.

ELOCÚTIO.

Dícite líbere ... quid velítis.
Proférre syllabam longam.
Usus ita approbávit.
Hoc provérbium non ubíque habet locum.
Hic analógiae non est locus.
Sequéndus est usus.
Latínitas usu et auctoritáte magis, quam ratióne constat.
Réliqua fácile per te invénies.
Aetas tua maiórem requírit diligéntiam in dies.
Invenire áliquid suo labóre et diligéntia.
Praeceptóres docent summa humanitáte discípulos, púeros.
Volo, memíneris.
Meminísse alicúius ... offícium suum ... benefícium.
Soli Deo accéptum réfero, quidquid boni in me est.
Ex labore paedagógi mei hoc in me profféctum est.
Paréntes, praeceptóres et paedagógi, frustra docéndo labórant, nisi labóribus ipsórum divínus favor accésserit.
Favor divínus accédat stúdiis vestris.
Plumbo stupídior essem, si haec ignorárem, quae mater mea mihi tóties inculcávit.
Inculcáre alícui áliquid.
Referre se ad áliquid ... referre alícui est narráre, expónere.
Referre ad senátum est in senátum propónere.
Ábdere se in muséum.

Collóquium XXIV.

Arguméntum: ***Discípuli, qui in cotidiáno sermóne ad latíne loquéndum diligénter exercéntur, multa discunt sine régulis grammáticis. Bene precándum ómnibus, máxime nóstris.***

PRAECÉPTOR, NICÓMACHUS.

Praec. Dic latíne: ein Buch. *Nicom.* Liber. *Praec.* Liber cuius géneris? *Nicom.* Masculíni. *Praec.* Qui scis? *Nicom.* Ex bene

loquéndi usu et consuetúdine. *Praec.* Osténde usum. *Nicom.* Nam cotídie loquéntes, sic dícimus: hic liber cuius est? Dícimus item saepe número: liber meus, liber tuus, bonus liber et simília. *Praec.* Bene respondísti: sed quis loquéndi usum te dócuit? *Nicom.* Tu ipse, praecéptor. *Praec.* Érgone tenes omnem usum linguae latínae? *Nicom.* Si tenérem, iam non essem discípulus. *Praec.* Quid ígitur? *Nicom.* Magíster, fortásse. *Praec.* Abi, respónso tuo conténtus sum. *Nicom,* Gaúdeo sane. *Praec.* Age grátias Deo, qui tibi dedit ingénium et mentem bonam. *Nicom.* Útinam semper agnóscam eius in me benefícia. *Praec.* Útinam ille favóre suo tua stúdia prosequátur. Nicómache, quid hoc sibi vult? *Nicom.* Quod mihi bene precáris. *Praec.* Ergo tu quoque meménto bene ex animo precári ómnibus, praecípue vero condiscípulis tuis. *Nicom.* Meminero, praecéptor. *Praec.* Addéndum fuit, Deo iuvánte. *Nicom.* Oblítus sum, fáteor.

ELOCÚTIO.

Dic latíne, da latíne.
Hoc scio ex usu et consuetúdine.
Cuius est hic liber? Petri.
Ad quem spectat hic liber? Ad Geórgium; hic liber cuius est? meus, tuus, ipsíus, Pauli.
Usus loquéndi ita fert.
Si ómnia tenérem, non essem discípulus.
Conténtus re áliqua.
Nemo sua sorte conténtus.
Gaúdeo sane Deum tibi dedísse mentem bonam.
Gaúdeo fratrem tuum habére bonum iudícium ... quod praéditus sit, váleat ingénio.
Agnóscere benefícia alicúius.
Agnósco benefícia príncipis in me colláta.
Prósequi áliquem favóre ... amóre.
Útinam Deus stúdia nostra suo favóre prosequátur.
Quid hoc sibi vult, Andréa?
Precári alícui bene ... precári alícui male.
Ómnibus bene precári ex ánimo ... praecípue condiscípulis.
Deo iuvánte huius rei semper memor ero.

Collóquium XXV

Arguméntum: Párvulus puer ludéndi cópiam sibi et condiscípulis ímpetrat.

OBÉRTUS, PAEDAGÓGUS.

Obert. Praecéptor, licétne pauca? *Paed.* Lóquere audácter! *Obert.* Ego et condiscípuli mei hoc fere toto tríduo libris affíxi fúimus, licétne paulísper ánimum ludo relaxáre? *Paed.* Dic ígitur áliquam senténtiam. *Obert.*

« Interpone tuis interdum gaudia curis:
Ut possis animo quemvis sufferre laborem ».

Paed. Quam recte dixísti ómnia! *Obert.* Est Dei grátia. *Paed.* Addéndum posthac erit áliquid. *Obert.* Praecéptor, quidnam? *Paed.* Qui dedit mihi ingénium et mentem bonam. *Obert.* Sed quis docébit me illa verba? *Paed.* Ea scribam tibi in commentaríolo tuo, ut ediscas. Sed dic mihi, quaeso, quis te dócuit istam oratiónem, quam pronuntiásti? *Obert.* Campánus heri déderat mihi scriptam: et ego memóriae mandávi. *Paed.* Profécto ego te amo, mi Obérte, ob istam diligéntiam. *Obert.* Ago tibi grátias, praecéptor. Permittísne ígitur, ut ludámus? *Paed.* Sane, abi, renúntia condiscípulis tuis. *Obert.* Fáciam. *Paed.* Quid dicis illis? *Obert.* Id quod me docuísti aliquándo. *Paed.* Sed volo prius ex te audíre. *Obert.* Gaudéte púeri: en áfferro vobis iucúndum núntium. Ego vobis impetrávi ludéndi potestátem. *Paed.* Euge, probe meminísti, ito nunc iam.

ELOCÚTIO.

Loqui audácter ... caute ... incondíte ... submísse ... submíssa voce.
Toto fere hoc tríduo affíxus fui libris.
Affíxus est libris ... stúdio contínuo ... nullum facit studiórum suórum finem ... nullam stúdiis suis interpónit moram.
Toto die stúdui ... stúdui per totum diem.
Relaxáre ánimum ludo.
Dícere senténtiam áliquam.
Senténtia mihi dicénda est.
Interpónere gaúdia curis.
Sufférre labórem néqueo ... non sum huic labóri feréndo.
Tenére memória.
Recte dicta sunt abs te ómnia.
Áddere alícui áliquid.

Lánius matri meae áddidit áliquid mantíssae loco.
Deus dedit fatri meo bonum ingénium.
Scríbere in libro áliquid ... in librum.
Observátor scripsit garriéntium nómina in tábula.
Edíscere praelectiónem ... mandáre memóriae.
Pronuntiáre oratiónem.
Dabo tibi exercítia scripta.
Dedit mihi exercítia describénda.
Amo te ob diligéntiam istam ... de ista diligéntia.
Praecéptor non permíttet, ut ludámus.
Renuntiáre alícui áliquid ... renúntia mihi quid péllio dixerit.
Docére áliquem áliquid ... Quis dócuit te arithméticam?
Audívi ex patre, ex matre ... a patre ... de matre.
Gaudéte, quod impetrávi vobis potestátem ludéndi.
Gaudéte me impetrásse ...
Aúdio fratrem tuum valde gavísum esse, cum audivísset me vobis impetrásse véniam.
Spero omnes discípulos gavisúros esse, cum attúlero ipsis iucúndum núntium.
Omnes discípuli gaudébunt, cum audíverint praeceptórem dedísse ipsis véniam.
Credo Philíppum gavisúrum esse valde, cum te salvum víderit.

Collóquium XXVI.

Arguméntum: ***Exémplum ad discípulos in rebus latínis germánice verténdis paulátim exercéndos.***

PRAECÉPTOR, PETRUS.

Praec. Atténde, Petre, ut discas latína bene germánice vértere. *Pet.* Atténdo, praecéptor. *Praec.* At diligénter. *Pet.* Immo diligentíssime et ex ánimo. *Praec.* Bene facis. *Pet.* Propóne igitur mihi latína, ut nobis intérdum soles. *Praec.* Quid opus est? *Pet.* Was ist vonnöten? *Praec.* Gallínae. *Pet.* einem Huhn. *Praec.* ut. *Pet.* dass. *Praec.* illa. *Pet.* sie. *Praec.* sit. *Pet.* sei. *Praec.* bona. *Pet.* gut. *Praec.* Recte vertísti. Nunc ad síngulas partes huius oratiónis respónde nominátim. *Pet.* Respondébo, quoad pótero, dúmmodo mihi praeíeris. *Praec.* Quid. *Pet.* Est pronomen. *Praec.* Opus. *Pet.* Nomen. *Praec.* Est. *Pet.* Verbum. *Praec.* Gallínae. *Pet.* Nomen. *Praec.* Ut. *Pet.* Coniúnctio hoc in loco. *Praec.* Illa.

Pet. Pronómen. *Praec.* Sit. *Pet.* Verbum. *Praec.* Bona. *Pet.* Nomen. *Praec.* Age, dicámus íterum, quo síngula paulo plénius intéllegas. *Pet.* Quid nunc respondébo? *Praec.* Índica bréviter singulárum pártium declinátum, ut vos docére sóleo. *Pet.* Praeíto ígitur, ut coepísti. *Praec.* Quid. *Pet.* Quid, cuius nomen substantívum anómalum. *Praec.* Opus. *Pet.* Hoc opus, óperis, ut onus, óneris. *Praec.* Fálleris, Petre. *Pet.* Quid ita? *Praec.* Quia opus hic est adiectívum. *Pet.* Eho adiectívum? quómodo declinátur? *Praec.* Est indeclinábile. *Pet.* Me míserum! numquam istud audíeram. *Praec.* Addéndum fuit, quod sciam, vel quod memínerim. *Pet.* Cur? *Praec.* Quia fortásse audíeras, sed meminísti male. *Pet.* Fíeri potest: sed perge, quaeso, me docére. Quid vernácule signíficat istud nomen? *Praec.* Non solet germánice verti, nisi iunctum cum verbo, sum, es. *Pet.* Da exémplum. *Praec.* Cotídie in ore habes exémpla. *Pet.* Nunc mihi non occúrrunt. *Praec.* Nonne soles dícere et audíre ex condiscípulis, opus est mihi charta, atraménto, pecúnia et simílibus? *Pet.* Saepe dico, fáteor, et saepe aúdio: sed parum advérto. *Praec.* Nunc ígitur advérte et manda memóriae. Opus est mihi pecúnia ad libros eméndos. *Pet.* Da item áliud exémplum, quaeso. *Praec.* Opus est tibi virgis, ut tua expellátur pigrítia. *Pet.* Fáteor équidem, praecéptor: sed Deus, ut spero, mei miserébitur. *Praec.* Ómnium miserétur Deus, qui pie illum ínvocant. Sed de nómine opus, iam satis multa, quod ad vos áttinet: ad cétera rédeo. Est. *Pet.* Sum, es, est, verbum anómalum. *Praec.* Gallínae. *Pet.* Gallína, gallínae, ut mensa, mensae. *Praec.* Ut. *Pet.* Non declinátur, quia est conniúnctio. *Praec.* Illa. *Pet.* Ille, géneris masculíni: illa femininí, illud, neutríus. *Praec.* Declína in femininó. *Pet.* Illa, illíus, illi etc. *Praec.* Sit. *Pet.* Iam dictum est. *Praec.* Bona. *Pet.* Bonus gen. masculíni: bona, femininí: bonum, neutríus: nomen adiectívum. *Praec.* Confer ad exémplum. *Pet.* Iustus, iusta, iustum: bonus, bona, bonum. *Praec.* Nunc mútuo vos interrogáte, quo plénius ómnia tractétis.

ELOCÚTIO.

Vértere latína germánice.

Frater meus sedet domi vertens germánicum exercítium latíne.

Atténdere diligentíssime ... alícui.

Propónere alícui aliquid.

Respondére alícui ... ad áliquid.

Respondére ad interrogáta.

Interrogátus respónde ... interrogátus respóndit.

Praeíre alícui ... voce.
Dic íterum, quo plénius intéllegam.
Petre, fálleris ... láberis.
Numquam hoc audívi, quod sciam ... quod memínerim.
Perge me docére.
Quid vernácule significat istud nomen?
Hoc mihi occúrrit.
Nunc mihi exémpla non occúrrunt.
Occúrrere alícui ... óbviam alícui ... subsídio alícui.
Haec vox mihi éxcidit.
Audíre áliquid ex áliquo ... a patre ... de matre.
Opus est mihi charta.
Opus est discípulis nova mensa.
Opus est homínibus véstibus advérsus frigus ... vestes sunt opus homínibus.
Opus est mihi pecúnia ad libros eméndos ... libri sunt mihi opus.
Nunc advértite.
Mandáre memóriae ... imprímere memóriae.
Expéllere pigrítiam virga, báculo.
O Deus, miserére mei ... Deus miserétur ómnium hóminum, qui pie illum ínvocant ... pie ipsum invocántium.
Sed hac de re satis ... quod ad me áttinet.
Conférre sermónes cum áliquo ... conférre se ad áliquem.
Conférre ad exémplum áliquid.
Interrogáre se mútuo ... interrogáre áliquem de re áliqua.
Tractáre quaestiónem áliquam plénius ... tractáre áliquem male ... iniurióse, humániter.

FINIS LIBRI PRIMI

LIBER SECUNDUS

Qui est de litterárum stúdiis rebúsque eo pertinéntibus et exercitatiónibus lúdicris.

Collóquium I.

Arguméntum: ***Discípulus de diligéntia in lítteris admónitus, frustra ait se monéri, quod áliquam artem malit díscere, quam lítteras. Cui ars discénda sit ingénio suo apta.***

ADÓLPHUS, BEÁTUS.

Adol. Miror ego, quid tibi velis, tu fere semper es otiósus, aut garris, aut inéptis. *Beat.* Quid vis fáciam? *Adol.* Ut lítteris des óperam diligénter. *Beat.* Cur me istud mones? *Adol.* Pro meo in te amóre, tuáque utilitáte. *Beat.* Frustra mones. *Adol.* Quid ita? *Beat.* Quia non est mihi ánimus in lítteris. *Adol.* Quid ergo velles? *Beat.* Díscere áliquam artem aptam ingénio meo. *Adol.* Iamne cogitásti, quaenam ars tibi pláceat potíssimum? *Beat.* Iam pridem. *Adol.* Cur ergo patrem non ádmones? *Beat.* Numquam ausus sum. *Adol.* Cur non? *Beat.* Véreor, ne mihi irascátur. *Adol.* Roga praeceptórem, ut illi dicat. *Beat.* Immo te oro, mi Adólphe, dic tu ipse praeceptóri meis verbis: nam verecúndia me ímpedit. Faciésne, quod rogo? *Adol.* Fáciam certe, idque libentíssime. Valde enim taedet me vidére te ádeo remíssum. *Beat.* O quam mihi gratum féceris! *Adol.* Sed praecéptor te appellábit. *Beat.* Quid tum? Obláta occasio me audácem reddet ad mentem meam líbere aperiéndam. *Adol.* Recte iúdicas. *Beat.* Tu ígitur fac promíssi memíneris: deinde renúntia mihi, quid ille tibi respónderit. *Adol.* Alióqui essem tibi núntius inútilis.

ELOCÚTIO.

Mirári áliquem.
Miror te ad me nihil scríbere.
Non mirum est, quod frater tuus non fáciat progréssus maióres in stúdiis, quia fere semper est otiósus, aut garrit, aut inéptit.
Non pótui satis mirári.

Miror, quid tibi velis ... nolis.
Quid hoc sibi vult? ... Tu semper es otiósus.
Domi sedet otiósus.
Scabiósus numquam est otiósus ... senténtiae otiósae.
Garríre nugas ... garríre in aurem ... garriéntes notándi sunt.
Garriéntium nómina notáta sunt in tábula ... Quis ita garrit?
Praecéptor, omnes mei condiscípuli gárriunt et inéptiunt.
Lubens illud fáciam ... nihil fáciam libéntius.
Hoc fácio invítus ... volo stúdeas.
A téneris annis, ab ineúnte aetáte diligénter stúduit.
Robértus his sex ménsibus diligénter studébit, lítteris óperam dabit.
Cur non studuísti in muséo?
Studére áliquid fácere ... studére lítteris.
Cur me istud monuísti?
Monére áliquem lítteris ... monére áliquem de re áliqua.
Hoc unum te móneo ... hoc unum te admónitum velim.
Móneo te, ut cáveas ab illo ... quóties ista mónitus es? et adhuc cotídie ea monéris.
Móneo te, pro amóre meo in te, tuáque utilitáte.
Monébo ipsum ex mandáto patris ... frustra illum mones.
Sédulo quidem et mones et hortáris, sed frustra.
Non est mihi ánimus lítteris ... non amo lítteras.
Hábeo ánimum a lítteris aliénum ... abhórreo a lítteris.
Capit me ódium vel satíetas stúdii.
Est mihi ánimus in pátinis.
Sit tibi ánimus.
Volo díscere artem áliquam aptam ingénio meo.
Dídici hanc artem usu ... díscere ex lítteris alicúius ... díscere ab áliquo.
Díscere ex áliquo áliquid ... díscere fídibus.
Ingénium meum linguae graecae non est aptum.
Aptus alícui rei vel ad áliquid ... cálceus aptus pedi vel ad pedem.
Aptus stúdiis.
Discam artem mechánicam aptam ingénio meo.
Vestis est apta (convéniens, cóngrua) patri.
Iamne cogitásti, quaenam ars tibi pláceat potíssimum?
Stúdia non mihi placent ... valedícam stúdiis.
Mercatúra mihi placet potíssimum.
Nolo placére ómnibus, quia nec omnes mihi placent.
Placet sibi.
Álteri placet theológia, álteri medicína.
Admóneo te huius rei, hanc rem, de re hac ... admonére patrem.

Admonére áliquem offícii sui.
Putávi ea de re discípulos esse admonéndos; visum est mihi ea de re discípulos admonére.
Admonére áliquem alicúius rei (sic diligéntiae, promíssi, débiti).
Admonéri ab amícis ... audére áciem ... audére perículum in aperto.
Véreor, ne princeps irascátur mihi ... véreor dícere ... véreor, ut possim.
Véreor, ne praecéptor ómnia rescíscat.
Véreor conspéctum praeceptóris ... véreor caritátem annónae.
Irásci alícui de áliquo ... irásci cum áliquo.
Nihil commísi, cur mihi irascáris.
Veheménter mihi irátus est ... infénsus est mihi.
Rogáre áliquem de áliqua re ... rogáre áliquem mútuam pecúniam.
Rogáre áliquid ab áliquo.
Roga praeceptórem, dicat patri tuo tibi non esse ánimum in lítteris.
Oráre áliquem ... oráre áliquem multis et supplícibus verbis; étiam atque étiam.
Oráre áliquem per Deum ... oráre pro áliquo ... oráre áliquid ab áliquo.
Oráre áliquem pro salúte alicúius (adoráre, exoráre, peroráre).
Dícere verbis alteríus alícui áliquid.
Dicam praeceptóri verbis tuis.
Dícere pace alicúius ... ut pace tua dicam hoc.
Dícere pro certo ... Dic praetóri verbis meis salútem ... meo nómine.
Dícere vera ... ex ánimo: (Addícere, praedícere, benedícere, contradícere, edícere próprie est magistrátuum, indícere, interdícere, maledícere).
Verecúndia impediébat me.
Impedíri áliqua re ... morbo, pudóre etc. Quo morbo impedítur? febri.
Impedíre áliquem áliqua re.
Nihil impédio.
Pensum meum iam absolvíssem, nisi Cárolus impedivísset me.
Faciésne, quod rogo?
Dicturúsne es, quod rogo?
Dicam, fáciam libentíssime ... haud graváte fáciam ... fecit gravátim.
Haud quaquam, fecit ex ánimo ... confícere, defícere, effícere, interfícere, offícere, perfícere, refícere, suffícere, benefácere, malefácere, arefácere, pinguefácere, assuefácere.
Taedet me vidére te ádeo remíssum ... taedet me húius rei ... taedet me vitae.

Taedet me labóris ... taedet me hic diútius morári.
Ánimus remíssus ... remíssus ánimo ... remíssum tractáre stúdia ... mitte me.
Amítto, admítto, commítto, demítto, dimítto, dimíttere ósculo, emítto, immítto, intermítto, intromítto, omítto, permítto, promítto, praetermítto, submítto, remítto, transmítto.
O quam gratum fecísti mihi ... fácere alícui gratum ... fácere grátiam alícui.
Appelláre áliquem ... blande appelláre ... appelláre áliquem de pecúnia.
Appelláre áliquem nómine ... compelláre, interpelláre.
Si occásio se obtúlerit ... uti occasióne obláta.
Amíttere occasiónem oblátam.
Hanc occasiónem tibi oblátam noli praetermíttere.
Réddere áliquem audácem.
Réddere alícui ánimum.
Apérui ipsi mentem meam libere ... ánimi mei sensus ipsi expósui.
Recte iudicáre ... péssime iudicávit ... iudicáre de áliquo.
Iudicáre de re áliqua inter áliquos.
Fac memíneris promíssi.
Meménto mori ... meminísse alicúius.
Renúntia mihi, quid socrus tua respónderit ... ne vérbum quidem respóndit.
Respónde ad interrogáta.
Núntius inútilis.
Frater tuus mihi heri fuit núntius tristis.

Collóquium II.

Arguméntum: ***Discípulus infelicióre ingénio docétur, quibus adminículis ad eruditiónem fiat progréssus. Virtútis stúdium non parum ad eruditiónem adipiscéndam confert. Qui virtútis ratiónem habet, dótibus ánimi augétur a Deo.***

Beátus, Canútus.

Beat. Visne permanére in ista ignorántia? *Can.* Avértat Deus. *Beat.* Quid ígitur fácies? *Can.* Da mihi super hac re consílium, quaeso. *Beat.* Imprímis Deum saepíssime et ex ánimo precáre: deínde semper atténtus esto: hoc est, diligénter audíto, quidquid docétur, sive praecéptor lóquitur, sive áliquid reddunt condiscí-

puli tui: postrémo caritátem diligénter cole. *Can.* Quibus modis? *Beat.* Néminem neque laédito neque offéndito: némini invidéto, néminem ódio habéto: sed contra, omnes dílige tamquam fratres, ac bene ómnibus, quoad póteris, fácito. *Can.* Quid illa mihi cónferent ad studiórum proféctum? *Beat.* Plúrimum. *Can.* Quómodo? *Beat.* Sic enim Deus tibi illuminábit ingénium: memóriam et céteras ánimi dotes augébit: dénique stúdia tua ita promovébit, ut maióres in ea re progréssus in dies fácias. *Can.* Consílium mihi sane das óptimum. Útinam in Dei ipsíus glóriam uti perpétuo váleam, tibíque aliquándo referre grátiam. *Beat.* Non opto, ut mihi áliquid grátiae eo more réferas, nisi ut Deum saepenúmero laudes, studiáque honésta semper prosequáris, atque ita ad divinárum litterárum cognitiónem tandem pervénias.

ELOCÚTIO.

Permanére in ignorántia.
Elécti non pérmanent in peccátis suis.
Multi discípuli permansérunt in ignorántia ... neglegéntia et nequítia.
Permanére in amicítia ... in senténtia sua.
Permanére in offício ... Christiáni fuérunt constántes.
Deus avértat ... avértere furórem alicúius ... avértere rem áliquam.
Dare alícui consílium de re áliqua.
Quid dedit tibi consílii?
Qui dedit consílium tibi, non evéntum, sed fidem praestáre debet.
Dare alícui rei colórem.
Abdere, áddere, super áddere, cóndere, abscóndere, dédere, índere, óbdere, pérdere, réddere, súbdere, trádere.
Precári Deum ex ánimo ... precári bonas preces.
Precári áliquid ab áliquo.
Discípuli estóte atténti ... verberabímini ... luétis poenam ... dábitis poenas.
Tu non es atténtus ... atténtus ad rem ... non fui ad eam rem atténtus.
Atténdere alícui rei ... atténdere ánimum ... audíte ánimo áttento.
Nímium ad rem in senécta atténti sumus.
Quidquid docétur, aúdiam ... audíre praeceptórem docéntem.
Audíre a, de, ex áliquo áliquid ... audíre de áliquo áliquid ... audíre áliquem.
Docére áliquem áliquid.
Quis te hoc dócuit? ... addocére, dedocére, edocére.

Audívi praeceptórem loquéntem ... cum praecéptor lóquitur, discípuli táceant.
Multa locútus est.
Condiscípuli tui reddunt áliquid latíne.
Réddere lítteras alícui ... réddere ratiónem.
Cólere caritátem ... pietátem ... áliquem ... agrum
Accólere, excólere, incólere, recólere.
Laédere áliquem ... laédere dictis ... facto ... laédere famam alicúius.
Offéndere áliquem ... offéndere caput ad paríetem ... ad lápidem.
Invidére alícui ... invidére alícui áliquid.
Habére áliquem ódio.
Ódium capitále ... ódium intestínum ... ódium occúltum.
Dilígere omnes Christiános tamquam fratres.
Dilígere áliquem mútuo ... valde, únice dilígere ... benefácere ómnibus.
Isti libri mihi nihil cónferent ad proféctum studiórum.
Proféctum fácere ... Firmióres in lítteris proféctus alit aemulátio.
Conférre sermónes inter se et cum áliquo ... conférre ratiónes.
Conférre se ad áliquem ... ad hostes ... conférre curas et cogitatiónes omnes in rem áliquam.
Conférre se ad theológiam, philosóphiam, iurisprudéntiam, medicínam.
Dare óperam medicínae.
Conférre se in fugam ... in pedes.
O Iesu, illúmina mihi ingénium meum.
Augére rem áliquam.
Patris in nos amórem, quibuscúmque potérimus rebus, augébimus.
Dare dotem filiae.
Promovére stúdia alicúius.
Spero me promótum iri futúro perículo paschali.
Fácere progréssus ... progréssu témporis.
Maióres fecíssem in stúdiis progréssus, nisi morbo impedítus fuíssem.
Philósophi numquam in stúdiis tantos progréssus fácere potuíssent.
Dare alícui consílium óptimum.
Uti consílio ... scit uti foro, hoc est, novit se accommodáre rebus geréndis.
Uti ópera alicúius ... uti patiéntia incredíbili ... utar te teste ... uti re áliqua.
Valére auctoritáte ... valére memória ... pollére memória.
Valére nihil.

Referre alícui grátiam ... Non opto, ut mihi áliquid grátiae réferas.
Referre alícui áliquid accéptum.
Laudáre Deum saepenúmero.
Prósequi stúdia honésta ... prósequi áliquem laude, amóre.
Pervenire ad veram Dei cognitiónem.
Pervenire ad annum quinquagésimum sextum.
Pervenire ad aures ... ad manus ... fama ad nos pérvenit.
Allátum est mihi, ad me.

Collóquium III.

Arguméntum: ***Hic probi adulescéntis admonítio contémnitur ab ímprobo. Sciéntia res inaestimábilis. Misericórdia. Bona extérna perdunt multos. Divítiae sunt Dei donum, virtútis et sciéntiae posséssio. Mens bona.***

CÁROLUS, DEMÉTRIUS.

Car. Quando répetes ludum litterárum? *Dem.* Néscio. *Car.* Cur de hac re patrem non ádmones? *Dem.* Quid putas me curáre? *Car.* Parum ádmodum, ut credo. *Dem.* Profécto verum dicis. *Car.* Satis est signi te non amáre lítteras. *Dem.* Scio légere, scríbere, gállice loqui, saltem mediócriter; quid opus est mihi tanta sciéntia? Ego plura scio quam amíci mei. *Car.* O míserum adulescéntem! Síccine rem contémnis inaestimábilem? *Dem.* Quid tu sic exclámas? Unde tibi vídeor miser? *Car.* Amíce, nulla tibi a me orta est iniúria; quod enim tibi dixi, non est convícium, ne tu in malam partem accípias: sed míseror, quia id contémnis, quod felicitátem parit. *Dem.* Lucrum, divítiae, volúptas felicitátem páriunt. *Car.* Immo ista multis fuérunt exítio: tamétsi divítiae sunt donum Dei, nec nocent nisi iis, qui abutúntur: verum enim — vero nulla est hómini pretiósior posséssio quam virtus et rerum honestárum cognítio. *Dem.* Vis ígitur contionári, ut vídeo. *Car.* Útinam sacras contiónes audivísses diligénter. *Dem.* Hem, obtúndis me, numquid vis? *Car.* Ut bonam mentem det tibi Deus. *Dem.* Ea fortásse tibi est magis opus quam mihi. Vale.

ELOCÚTIO.

Repétere ludum litterárum... repétere áliquid... repétere áltius áliquid.
Repétere aliquid ex alto, a cápite.

Repétere stúdia.
Castra repetébat.
Nesciébam, quorsum tu ires... nescíre áliquem... nescíre latíne.
Non sum néscius.
Admonére áliquem áliquid, de áliqua re.
Admonére áliquem alicúius verbis.
Admonére áliquem alicúius rei, áliquam rem et de áliqua re.
Quid putas me curáre? ... curat me sollícite ... aliéna curat, sua néglegit.
Curáre áliquem diligénter ... curáre aegrótos.
Curáre áliquid faciéndum ... cura ut véniat.
Frater tuus praeceptórem, ut video, parum curat... Dícere verum.
Dic mihi veritátem ... dícere rem ipsam, quod res est.
Dícere ratiónem, senténtiam ... dícere salútem alícui ... ab áliquo.
Dícere sério, addícere, antedícere, praedícere, benedícere, contradícere, indícere, interdícere, maledícere.
Satis pecúniae, satis verbórum.
Pauci nóbiles amant lítteras ... delectántur stúdiis, flagrant amóre studiórum.
Scire linguam; scio certo áliquid.
Hoc scio pro certo. Scire áliquid laus est, pudor est nihil díscere velle.
Satis signi est te scire graece.
Scisne loqui latíne, graece, gállice, germánice, hebráice?
Quid opus est mihi tanta sciéntia?
Si opus est, si necésse est, si necessárium est.
Multa mihi opus sunt ... opus est mihi multis rebus.
Nummis mihi opus est ad hanc rem; nummi mihi opus sunt ad hanc rem.
Opus est hoc fíeri ... O míserum adulescéntem! O famam gratam!
Contémnere rem áliquam.
O míseri adulescéntes, cur contémnitis artes liberáles?
Córporis exígui vires contémnere noli.
Quid sic exclámas? ... Exclamáre máxima cum voce ... quid clámitas?
Acclamáre, conclamáre, conclamátum est, declamáre, inclamáre.
Vigil exclámat horas ... vigil exclámat esse horam primam ... exclamáre gáudio.
Proclamáre, reclamáre.
Vidéris mihi miser.
Ut mihi vidétur ... ita mihi vidétur ... visum est mihi.
Tu mihi vidéris vir probus.
Vidéris mihi erráre.

Vídeor mihi sanitáti restitútus.
Máxima mihi a te orta est iniúria.
Fácere alícui iniúriam.
Nulla re te umquam afféci iniúria ... numquam laesi te.
De te nihil male sum méritus ... nil umquam advérsum te peccávi.
Hoc a te ortum est ... in te résidet culpa: tu es in culpa.
Convícium est quod dicis.
Convícium illud, quod iam dixísti, sustinére néqueo.
Accípere in malam partem ... accípere áliquid ab áliquo.
Accípere consílium ... accípere iniúriam ... accípere aequo ánimo.
Accípere móllius áliquid ... accípere laute.
Miseréri alicúius ... miséruit me tui fratris.
Párere felicitátem.
Párere líberos ... párere ódium.
Vir génerat muliérque parit, sed gignit utérque.
Haec res ipsi erit exítio.
Est ipsi magnae curae ... est ipsi magnópere cordi ... est tibi testimónio.
Nocére alícui ... nihil nocúerit, si ...
Abúti re áliqua ... abúti divítiis ... donis Dei.
Virtus est posséssio pretiosíssima.
Pastor contionátus est de furto ... quis hodie contionábitur?
Quod fuit exémplum contiónis?
Pastor pro matéria contiónis hábuit Psalmum centésimum.
Sacérdos pro matéria contiónis hábuit versum octavum cápitis noni Evangélii Ioánnis.
Cóntio erat nimis prolíxa ... Cóntio pérbrevis.
Obtúndere áliquem ... obtúndere audítum.
Det tibi Deus mentem bonam.
Deus det tibi iter felix ... Opus est tibi pecúnia.
Hoc libro tibi magis opus est, quam mihi.
Aúdio opus esse tibi nova veste.

Collóquium IV.

Arguméntum: ***Patris docti diligéntia in fíliis domi docéndis. Benefícium Dei agnoscéndum ab iis, qui bonos paréntes habent. Fratres ex fide in Christum.***

GEÓRGIUS, ARNÚLPHUS.

Georg. Qaundo redísti domo? *Arn.* Tandem rédeo. *Georg.* Ubi est frater? *Arn.* Mansit domi. *Georg.* Cur mansit? *Arn.* Ut

prandéret cum matre. *Georg.* Tu vero, cur étiam non mansísti? *Arn.* Iam pránderam cum patre. *Georg.* Quis vobis ministrábat? *Arn.* Ancílla. *Georg.* Quid mater? Ubi erat? *Arn.* Étiam domi, sed occupáta. *Georg.* Qua in re? *Arn.* In recipiéndo trítico, quod nobis advéctum fúerat ... *Georg.* Quando redíbis domum? *Arn.* Cum arcéssar a patre. *Georg.* Quo die istud erit? *Arn.* Fortásse hinc ad quattuor dies. *Georg.* Cur vos tam saepe commeátis?

Arn. Sic volunt paréntes. *Georg.* Quid ágitis domi? *Arn.* Quod iubémur a paréntibus. *Georg.* Sed ínterim perit vobis studiórum tempus. *Arn.* Non omníno perit. *Georg.* Quid ígitur? *Arn.* Quóties pater non est necessário occupátus, ómnibus horis exércet nos mane, ante et post prándium, ante cenam, post cenam satis diu, postrémo etiam ántequam cúbitum eámus. *Georg.* Quibus rebus vos exércet? *Arn.* Éxigit a nobis ea potíssimum, quae tota hebdómada in schola didícimus: scripta nostra recognóscit, ac de iis nos intérrogat: saepe iubet nos áliquid modo latíne, modo vernácule descríbere: intérdum étiam nobis propónit brevem sententiam vernáculo sermóne, quam latíne vertámus: intérdum contra, iubet áliquid latínum vernácule réddere. Postrémo, ante cibum et post, semper áliquid légimus idque tota praesénte família. *Georg.* Nihílne de catechési intérrogat? *Arn.* Id facit omni die Domínico, nisi forte domo absit. *Georg.* Mira narras, si modo vere. *Arn.* Immo sunt longe plura, quam quae tibi narrávi: sum enim oblítus morum civilitátem: de qua étiam admonére nos solet in mensa. *Georg.* Cur pater vester tantum sumit labórem in vobis docéndis? *Arn.* Ut sic intéllegat, num in schola óperam ludámus, et témpore abutámur. *Georg.* Mira hóminis diligéntia; atque ádeo prudéntia. O quam devíncti estis Patri caelésti, qui talem patrem in terra dedit vobis! *Arn.* Fáciat ille, ut hoc et cétera eius benefícia numquam obliviscámur. *Georg.* Bonum et pium est hoc optátum: cura, ut hábeas non modo in ore, sed in ánimo etiam magis. *Arn.* Quod me tam fidéliter mones, hábeo tibi grátiam. *Georg.* Bene monéndi offícium debémus ómnibus, sed máxime frátribus. *Arn.* Fratribúsne ígitur solis? *Georg.* Eos potíssimum fratres hic dico, qui ex fide in Christum nobis coniúncti sunt. *Arn.* Recte iúdicas, sed viso, num frater domo tandem revérterit. Nam ad cessándum promptus est plus satis.

ELOCÚTIO.

Redíre domo ... rédiit domo pédes ... equo, via férrea, bírota velocíssima, automatária, autocinéto, aëronávi, velivolo.
Frater meus tantum rédiit domo équo ... rédiit navígio.

Rédiit vehículo.
Manére domi ... manére in senténtia ... manére in vita.
Mos manet ... manéndum mihi fuit domi.
Prandére cum áliquo ... prosit vobis prándium ... pransus accédam.
Tempus est, ut assidámus, prándium corrúmpitur.
Ministráre alícui.
Servus ministrábat ero, ancílla erae.
Nisi occupátus fuíssem, ministrássem vobis.
Occupáre civitátem.
Multis negótiis occupátus ... distríctus negótiis ... implicátus negótiis.
Occupátus est in recipiéndo trítico.
Occupári in re áliqua ... occupátus fuit ligna disponéndo.
Occupátus fuit in lignis disponéndis.
Recípere áliquem ... recípere áliquem mensa.
Recípere áliquem tecto ... recípere causam in se ... recípio me.
Hódie mane advéctum nobis fuit fruméntum.
Advéhere magnum fruménti númerum ... advéhere trans mare áliquid.
Advéhere equo ... advéhere navi.
Quando pater redíbit domum?
Arcéssere áliquem ... arcessítus huc sum domo.
Hic manébo, quoad arcéssar ... ibo arcessítum Ioánnem.
Hinc ad dies octo.
Crebro illíus lítterae ad me cómmeant ... commeáre áliquo ... ad áliquem.
Ultro citróque.
Paréntes sic volunt ... sic volo, sic iúbeo, stat pro ratióne volúntas.
Bene vel male alícui velle.
Iubére áliquem áliquid ... iubére áliquem esse sine cura de áliquo.
Paréntes me iussérunt hoc fácere.
Paréntes mihi hoc imperavérunt.
Quidquid iússeris, fáciam.
Omne tempus mihi périit.
Pecúnia nobis périit
Périit ... pudor illi périit.
Pater est occupátus ... occupátus multis negótiis.
Distríctus, implicátus negótiis.
Exercére se áliqua re, in áliqua re ... exercére iustítiam, ingénium, memóriam, stilum.
Púeri ante et post prándium exercéndi sunt.
Ire cúbitum ... si dórmias, ito cúbitum.
Primus cúbitu surgas, postrémus cúbitum eas.

Tempus est eúndi cúbitum.
Exígere áliquid ab áliquo ... exígere mercédem, promíssum.
Exígere poenam ab áliquo.
Rector hódie exégit ómnia, quae tota praetérita hebdómada dídicimus.
Díscere, edíscere; ad verbum edíscere.
Recognóscere scripta ... inspícere in spéculum.
Interrogáre áliquem áliquid; de re áliqua.
Multa me interrogávit, ad quae ne verbum quidem respóndi.
Iussit me áliquid descríbere latíne.
Vértere sententiam germánicam in latínum.
Áliquid latínum vernácule réddere; ad verbum réddere, transférre.
Propónere alícui áliquid ... propónere verténdum áliquid.
Propónere ediscéndum áliquid.
Praecéptor propósuit nobis exercítium germánicum latíne reddéndum.
Ego arguméntum meum nondum réddidi latíne; réddere ratiónem.
Vértere in bonum, in laudem, in partem peiórem, in commodum suum.
Vértere tergum alícui.
Légere áliquid ex Vétere et Novo Testaménto.
Légere atténte, légere cum ánimi attentióne.
Perlégi Sacras Lítteras bis vel ter a princípio ad finem (a cápite ad calcem).
Praesénte família tota, praesénte patre, praeceptóre.
Nihílne pastor interrogávit de catechísmo?
Omni die domínico interrogámur de catechísmo.
Abésse domo.
Narráre mira; horrénda narras.
Rumor narrat; haéccine vera sunt, quae narras? veríssima!
Admonére áliquem de civilitáte morum.
Admonéri ad aurem.
Praecéptor noster magnum sumit labórem in nobis docéndis.
Súmere labórem ... súmere ótium sibi ... súmere exémplum sibi.
Súmere in manus.
Lúdere óperam; lúdere par, impar; lúdere álea ... sphaeris ebúrneis ... manubriáto retículo ac pila lúdere; manubriáti retículi ludus; latrúnculis lúdere.
Abúti témpore, re áliqua; abúti patiéntia alicúius.
Devínctus sum patri tuo ... devincíre sibi áliquem benefício.
Fáciat Deus, ut numquam oblivíscar benefícia eius.
Oblivísci alicúius rei vel áliquam rem.

Haec nulla umquam vetústas óbruet; nulla umquam delébit oblívio.
Habére in ore et ánimo.
Hoc semper provérbium in ore habet.
Hábeo te in ánimo; habére semper áliquid in ánimo; habére in honóre.
Nihil habet in bonis.
Monére áliquem fidéliter.
Habére alícui grátiam.
Habére grátiam apud áliquem.
Debére benefícium alícui.
Debére offícium alícui ... debére pecúniam alícui.
Nobis ex fide in Christum coniúncti sunt.
Affinitáte coniúnctum esse ... coniúngere féminam matrimónio.
Coniúngi hospítio.
Dícere áliquem fratrem ... dícere in aurem.
Iudicáre recte ... iudicáre áliquem hostem.
Revérti domo ... pater nondum revértit ... revérti ad institútum.
Promptus manu.
Promptus ad pugnam.
Promptus ad cessándum, non ad discéndum.

Collóquium V.

Arguméntum: ***Eduárdus et Felix cónferunt annos suos. Laudátur docti paedagógi diligéntia: item boni patris prudéntia in liberórum instituendórum cura. Agnóscitur ea in re Dei benefícium. Exémplum exercitatiónis in lingua latína a téneris annis peráctae.***

EDUÁRDUS, FELIX.

Ed. Quot annos habes? *Fel.* Trédecim, ut a matre accépi: tu vero? *Edu.* Équidem non tot habeo. *Fel.* Quot ígitur? *Edu.* Deest unus. *Fel.* Sunt ergo duódecim. Sed frater tuus quotum agit annum? *Edu.* Quintum. *Fel.* Quid ais? Iam latíne lóquitur. *Edu.* Quid miráris? Semper habémus domi paedagógum et doctum et diligéntem: semper nos latíne loqui docet: nihil vernáculum effert, nisi áliquid declarándi causa: quin étiam patrem non audémus nisi latíne álloqui. *Fel.* Numquam ígitur vernácule loquímini? *Edu.* Solum cum matre, idque certa quadam hora, cum illa nos ad se vocári iubet. *Fel.* Quid ágitis cum família? *Edu.* Cum família rarus est nobis sermo, et quidem tantum in tránsitu: et tamen

fámuli ipsi nos latíne alloquúntur. *Fel.* Quid ancíllae? *Edu.* Si quando usus póstulat, ut eas alloquámur, útimur sermóne vernáculo, ut solémus cum ipsa matre. *Fel.* O vos felíces, qui tam diligénter docémini? *Edu.* Benefício Dei, quem doni auctórem habémus, qui curat nos tam accuráte erudiéndos. *Fel.* Certe eius rei laus et honor úni caelésti Patri debétur. *Edu.* Sed quid ágimus? Iam aúdio recitári catálogos. *Fel.* Ergo festinémus.

ELOCÚTIO.

Quot annos habes? (sex, septem, octo, viginti, triginta, quadraginta etc).
Quotum agis annum? Quotum ágitas annum? *Resp.* séptimum, octávum, vicésimum, vicésimum primum, secúndum, tricésimum, quadragésimum etc.
Quot annos natus es? Trigínta unum, quadragínta duos etc.
Maior me est duóbus annis.
Non maior ... natu máximus, natu mínimus.
Rátio est in promptu.
Frater tuus agit annum quintum, décimum, vicésimum.
Loqui latíne, graece, hebráice, gállice, itálice, germánice.
Habémus praeceptórem doctum et diligéntem.
Quis dócuit te latíne loqui?
Doctus latíne ... doctus latínis lítteris.
Docére linguam latínam mercéde ... docére áliquem áliquid.
Docére áliquid ita esse.
Nihil vernáculum effert.
Efférre ánimum ... efférre áliquem ... efférre pedem porta.
Efférre laúdibus áliquem in caelum ... efférre verbis áliquem.
Declaráre áliquid ... declaráre benevoléntiam suam in áliquem.
Declaráre voluntátem suam.
Álloqui áliquem latíne.
Locúti sunt inter se germánice.
Mater me vocávit ... Paedagógus meus iussit me hoc fácere.
Iubére, mandáre, praecípere ... iubére áliquem áliquid.
Rarus est mihi sermo cum família.
Nullus mihi omníno cum illo umquam sermo fuit.
In tránsitu cum illo mihi tantum sermo fuit.
Tempus póstulat ... rátio, res, fides, amicítia, necéssitas.
Postuláre áliquid ab áliquo.
Uti sermóne vernáculo ... latíno, germánico.
O vos felíces!

Pater nos curat accuráte erudiéndos ... vel ut erudiámur.
Curáre studióse diligentérque áliquid.
Cures negótium conficiéndum, i.e. cónfici, vel, ut conficiátur.
Aúdio recitári catálogos.
Recitáre memóriter ... e memória.
Recitáre ex scripto.
Unde incípiam recitáre? ... íncipe ab eo loco, ubi próxime destitísti.
Íncipe ubi próxime finivísti.
Festináre, acceleráre, properáre, maturáre.
Própere, festinánter, celériter, velóciter, ócius, raptim, cursim, in transcúrsu.
Festína lente.

Collóquium VI.

Arguméntum: ***Liber elegánter compáctus ostentátur. Reprehénditur stulta quaestio: excusátur, quasi iocus fúerit. Iocus inter familiáres usitátus. In iocis nostris Deus non est offendéndus.***

FERDINÁNDUS, GEÓRGIUS.

Ferdi. Quis iste novus liber deaurátus, quem tam magnífice osténtas? *Gerg.* Teréntius. *Ferdi.* Ubi impréssus? *Georg.* Lípsiae. *Ferdi.* Quis tibi dedit eum? *Georg.* Emi pecúnia mea. *Ferdi.* Unde nactus eras pecúniam? *Georg.* Stulte istud quaeris; quasi vero furátus sim. *Ferdi.* Absit a me id cogitáre: sed ánimi causa id rogábam. *Georg.* Nec ego sério dictum tuum repreheéndi: sed eo more iocári solémus cum familiáribus. *Ferdi.* Nihil iocári próhibet, modo ne Deus offendátur. Sed age, ad propósitum revertámur: de quo emísti Teréntium istum? *Georg.* De Cleménte. *Ferdi.* Illóne bibliopóla circumforáneo? *Georg.* Máxime. *Ferdi.* Quanti cónstitit? *Georg.* Decem nummis. *Ferdi.* Nihílne ámplius? *Georg.* Nihil omníno. *Ferdi.* Profécto satis vile prétium. *Georg.* Praesértim cum aurátus adeóque elegánter compáctus sit. *Ferdi.* Erántne códices álii símiles? *Georg.* Duo vel tres. *Ferdi.* Deduc me quaeso ad illum. *Georg.* Eámus.

ELOCÚTIO.

Liber deaurátus.
Liber iste quidem deaurátus est, sed depravátus.
Liber mutilátus est, non est ínteger.

Hic liber mendósus est; codex ille mendis scatet; hoc volúmen refértum est mendis; liber mendóse impréssus est.
Ostentáre rem áliquam.
Ostentáre se; ostentáre patiéntiam suam.
Áltera manu fert lápidem, panem osténtat áltera.
Ubi impréssus est liber tuus? *Resp.* Francofúrti, Lípsiae, Lutétiae Parisiórum.
Quis dedit tibi Teréntium, Vergílium, Cicerónem istum?
Émere pecúnia sua rem áliquam.
Émere prétio parvo ... prétio minóre ... prétio mínimo ... émere prétio magno, maióre, maximo ... émere minóris.
Émere care, magno, cárius, caríssime; aestimáre magni, pluris, plúrimi
Émere mínimo ... emi tribus nummis, duóbus óbolis.
Magno emi libros.
Unde nactus est pecúniam? ... Thesaúrum nactus sum.
Nancísci occasiónem ... hospítium ... potestátem.
Quaérere ex áliquo ... de, abs áliquo.
Quaero te.
Stulte quaérere áliquid ... quod quaesivísti ex me stulte, sapiénter respondébo.
Quaero te hanc rem ... quaero te de hac re ... quaero hanc rem abs te.
Furári áliquid ... alícui ...
Furtum fácere, subdúcere, subtráhere, sublegáre; pecúnia furtíva.
Animi causa hoc rogábam.
Repreléndere dictum alicúius ... repreléndere áliquem sério, gravíssimis verbis.
Austéris verbis increpáre.
Repreléndere factum alicúius.
Iocári cum áliquo ... nihil iocári próhibet.
Offéndere áliquem ... offéndere ad áliquid ... offéndere caput ad paríetem.
Offéndere áliquem contumélia.
Revérti ad propósitum ... revérti ad diem ... revérti in grátiam cum áliquo.
Redíre in grátiam.
Thesaúrus verbórum cónstitit decem nummis.
Pluris cónstiti patri meo, quam umquam repéndere possum.
Emi prétio minóre quam tu ... emi dimídio vílius ... duplo cárius.
Émere pecúnia praesénti ... Emit Vergílium tanti, quanti bibliopóla vóluit.
Quanti licitátus es librum?

Liber elegánter compáctus est a glutinatóre librórum.
Dedúcere áliquem ad áliquem.
Dedúcere domum.

Collóquium VII.

Arguméntum: ***Geórgius ab Henríco librum commodáto petit: non dat Henrícus, quia iam álteri déderat. Idem mavult iniúriam pati, quam accusáre condiscípulum ob privátam iniúriam. O caritátem raríssimam! Consílium bonum res est tutíssima.***

GEÓRGIUS, HENRÍCUS.

Georg. Cómmoda mihi Vergílium tuum in duos dies, si nullo incómmodo tuo id fíeri potest. *Hen.* Profécto non possum. *Georg.* Cur non? *Hen.* Cum Gerárdus his diébus a me commodáto accepísset, pígnori oppósuit. *Georg.* Ain tu, pígnori? *Hen.* Sic est, ut dico. *Georg.* Quanti oppignerávit? *Hen.* Tribus, ut ait, nummis. *Georg.* O hóminem ingrátum! *Hen.* Tantúmne ingrátum? *Georg.* Immo vero et ingrátum et malum. Sed numquid ille rem tuam oppigneráre pótuit, te inconsúlto? *Hen.* Pótuit, ut factum vides. *Georg.* Non tamen débuit. *Hen.* Rem acu tetigísti; sed quid fácerem? *Georg.* Rogas? Defer eum ad praeceptórem. *Hen.* Malo istam pati iniúriam, quam commíttere, ut miser vápulet. *Georg.* Bene facis, dúmmodo tuum reddat. *Hen.* Reddet, spero. *Georg.* Unde réddere? *Hen.* Ait se brevi acceptúrum a patre pecúniam. *Georg.* Quid si te fallit? *Hen.* Fíeri potest: sed tamen áliquot dies exspectábo, quid futúrum sit; deíne consílium cápiam. *Georg.* Consílio recto nihil est tútius. *Hen.* Memínisti probe; sic enim praecéptor dictávit nobis. Sed numquid vis áliud? *Georg.* Ut bene tibi sit. *Hen.* Et tibi óptime.

ELOCÚTIO.

Commodáre alícui áliquid.
Cómmoda mihi Horátium tuum in horam ... in dies tres aut quáttuor.
Sine incómmodo meo fíeri non potest.
Accípere commodáto.
Hanc pecúniam accépit mútuo ... mutuátus est hanc pecúniam.
Rogáre, pétere, accípere alicúnde commodáto.

Dare mútuo alícui áliquid.
Accípere áliquid ab áliquo.
Oppónere áliquid pígnori.
Oppónere se alícui.
Oppigneráre alícui áliquid.
Omnia sua vasa argénta dedit pígnori.
Quo pígnore vis certáre?
Quid vis in sponsiónem depónere? Quanti vis conténdere? pígnore trium nummórum.
Homo ingrátus.
Ingrátum si díxeris, ómnia díxeris.
Me inconsúlto fecit ... matre inconsúlta fecit et patre ínscio.
Rem acu tetigísti.
Tángere manu.
Tángere áliquid léviter ... hoc me tangit.
Deférre áliquem ... deférre regnum alícui ... deférre ad senátum.
Deférre munus alícui ... deférre primas alícui.
Pati iniúriam ... dolórem, famem, sitim, frigus.
Pati aequo ánimo ... iníquo ánimo.
Parum áberat, quin ego miser vapulárem.
Nihil própius fuit, quam ut verberárer.
Citra controvérsiam argéntum réddidit.
Pecúniam sine lite réddidit.
Redde quod debes ... réddere suum cuíque.
Spero me brevi acceptúrum a patre pecúniam.
Fállere áliquem ... fállere fidem ... fállere spem alicúius.
Falli opinióne ... spes me feféllit ... nisi me fallit ánimus.
Tres íntegros exspectávi dies.
Quid tandem futúrum sit, néscio.
Cápere consílium ... cápere cibum ... cápere ánimum ... cápere locum.
Tutus a calóre ... ad omnes ictus tutus.
Sit tibi bene ... sit tibi óptime.

Collóquium VIII.

Arguméntum: ***Quaéritur liber per oblivióne relíctus. Argúitur neglegéntiae, qui relíquit.***

HERÁLDUS, IOSÉPHUS.

Heral. Vidistíne librum meum? *Ioseph.* Quem librum quaeris? *Herald.* Cicerónis epístulas. *Ioseph.* Ubi reliquísti? *Herald.* Oblítus

eram in auditório. *Ioseph.* Tua fuit neglegéntia. *Heral.* Fáteor: sed ínterim índica, si quem scias accepísse. *Ioseph.* Cur non adis praeceptórem? Solet enim, ut scis, quae a nobis relícta sunt, aut ferre in muséum, aut alícui dare, qui reddat. *Heral.* Bene mones. O me obliviósum, cui istud in mentem non venit.

ELOCÚTIO.

Librum tuum, quem quaeris, non vidi.
His óculis vidi te.
Relínquere áliquem ... consuetúdinem.
Brevi me praeséntem vidébis.
Febris eum relíquit.
Oblivísci alicúius rei ... áliquam rem.
Oblítus sum librum meum in ludo ... in aédibus.
Tua fuit neglegéntia.
Índica, si quem scias accepísse librum meum.
Adíre áliquem ... adíbo praeceptórem hac de re.
Numquam adeo praeceptórem, quin ab ipso ábeam dóctior.
Ego dedi a te relícta in schola Petro, ut rédderet tibi.
Mihi oblivióso hoc non venit in mentem.

Collóquium IX.

Arguméntum: ***Liber invéntus rédditur dómino suo. Summo iure non est semper agéndum. Leges scholásticae. Leges aequitáte regéndae. Causa sine perículo. Pétitur grátiae relátio. Exémplum hoc est caritátis.***

IOÁNNES, LEO.

Ioan. Nonne hic liber tuus est? *Leo.* Osténde mihi: agnósco meum, ubi invenísti? *Ioan.* In auditório nostro. *Leo* Ago tibi grátias, quod eum collegísti. *Ioan.* Atqui nunc notándus esses, si summo iure vellem tecum ágere. *Leo.* Ipsae etiam leges cúpiunt, ut iure regántur. *Ioan.* Quo iure regúntur leges nostrae? *Leo.* Aequitáte et praeceptóris arbítrio, nempe qui nobis eas privátim condíderit: praetérea non solet tam sevérus esse in eo, quod vel neglegéntia vel oblivióne peccátum est. *Ioan.* Sic saepe expértus sum, sed quoquo modo peccáveris, dicénda erit causa coram observatóre. *Leo.* Non tímeo causam dícere, ubi nihil est perículi.

Ioan. Táceo. *Leo.* Sed quaeso quid opus est, ut id sciat observátor? Hoc enim Deus nihil offénsus est. *Ioan.* Age, celábo.

Leo. Bene fácies. *Ioan.* Sed heus, meménto par pari referre, si forte mihi accíderit áliquod delíctum eiúsmodi. *Leo.* Aequum bonum dicis: memínero.

ELOCÚTIO.

Osténdere alícui áliquid ... osténdere de excélso locum áliquem alícui.
Osténdere se virum.
Hoc signo agnósco librum meum.
Invéni librum tuum in auditório.
Inveníre hoc non possum in libro tuo.
Inveníre remédium alícui malo.
Invéntus est in culpa.
Invenítur apud auctóres vel in auctóribus.
Ille primus hoc invénit ... ille auctor est húius rei.
Ágere grátias alícui.
Collígere librum.
Collígere exércitum ... confláre, confícere, conscríbere, instrúere, exércitum.
Collígere se .. collígere animum ... collígere, cógere, pétere stipem.
Collígere vasa.
Notáre áliquem ... notáre áliquem creta ... notáre carbóne.
Ágere summo iure cum áliquo ... ágere lege cum áliquo ... ágere paeniténtiam.
Ágere partes alicúius ... ágere res álias.
Non me latent leges nostrae scholásticae ... non ignárus sum legum.
Nescis leges nostras.
Régere iure ... régere rempúblicam ... regúntur ómnia nutu et arbítrio Dei.
Ómnia hic regúntur aequitáte et arbítrio príncipis.
Cóndere leges ... cóndere lítteras in áliquo loco ... cóndere urbem.
Ab aevo cóndito.
Iudex sevérus.
Peccáre ignorántia ... oblivióne ... peccáre in áliquem, in áliqua re.
Dícere causam coram áliquo ... dícere causam pro áliquo.
Quid times causam dícere, ubi nihil est perículi?
Periculum est in mora ... periculum est, ne.
Nihil perículi est tibi ab illo.

Lóquere audácter, nihil perículi tibi a me metuéndum.
Non opus est, ut tu scias.
Offéndere áliquem ... offéndere aures alicúius.
Celáre áliquem áliquid.
Celáre áliquid ... fugitívum.
Par pari referre ... pária repónere.
Aequum bonum dícere.

Collóquium X.

Arguméntum: ***Ludovícus et Maximiliánus suos sibi vicíssim libros enúmerant. Legéndi intérdum libri extraordinárii: praestat sero quam numquam díscere.***

LUDOVÍCUS, MAXIMILIÁNUS.

Ludo. Habésne multos libros? *Max.* Non ádmodum. *Ludo.* Sed quos habes? *Max.* Rudiménta grammáticae, collóquia scholástica, Teréntium, Vergílium, Horátium, epístulas Cicerónis cum vernácula interpretatióne, Catónem, Léxicon, Testamentum Novum et catechéseos librum, praetérea librum chartáceum ad scribéndum dictáta praeceptóris. Tu vero quos habes? *Ludo.* Omnes hábeo, quos enumerásti, praeter Catónem, Teréntium et Cicerónis epístulas. Cur enim libros hábeam, qui non praelegúntur in schola nostra. *Max.* At ego, dum sumus otiósi, lego intérdum illos: ut semper áliquid addíscam novi, praesértim in lingua latína, et honestátis móribus. *Ludo.* Prudénter facis, mi Maximiliáne. O, me míserum! qui numquam dídici quid sit studiósum esse! *Max.* Disce ígitur. Praestat enim sero, quam numquam díscere.

ELOCÚTIO.

Habére multos libros ... multam pecúniam ... multum pecúniae.
Habére accéssum ad áliquem ... habére amícum áliquem ... habére aes aliénum.
Habére collóquium cum áliquo.
Plane, quid sit, non intéllego, addes ígitur interpretatiónem vernáculam.
Scribam dictáta praeceptóris in librum meum chartáceum.

Quae memória retinére néqueo, chartis mando.
Omnes hábeo libros, quos enumerásti, praeter Horátium.
Libri impietátis levitatísque damnáti, non praelegéndi, sed eorum léctio ceu pestiléntia fugiénda.
Praelégere alícui áliquid.
Tácitus et Horátius in ludo hoc anno non praelegúntur, explanántur.
Verbis ac sermóne Teréntium et Cicerónem effíngere studébo.
Otiósi sumus ... otiámur ... ótio indulgémus ... vacámus ótio.
Otiósus ... nihil agens ... vácuus ab ópere ... solútus omni ópere.
Quóties lego caput ex Sacris Lítteris, addísco áliquid novi.
Quid novi affers?
Propter híemis magnitúdinem istinc nihil novi ad nos allátum est.
Díscere mores honestátis ... mores honéstos.
A puerítia móribus honestátis stúduit.
Frater tuus facit progréssum, próficit, in lítteris et móribus.
Litterárum studiósus.
Praestat díscere sero. quam numquam.

Collóquium XI.

Arguméntum: ***Liber commodáto pétitur, isque impetrátur, sed ab álio quodam repeténdus. Benefício non abuténdum.***

MÍCHAEL, NORBÉRTUS.

Mich. Visne mihi commodáre tuum Horátium? *Norb.* Volo équidem, modo illum répetas a Conrádo, cui uténdum dedi. *Mich.* Quo signo vis répetam? *Norb.* Nempe hoc, quod eius hábeo epístulas. *Mich.* Id mihi satis est. *Norb.* Sed quando reddes? *Mich.* Cum descrípsero contéxtum in tres aut quáttuor praelectiónes. *Norb.* Matúra ígitur: ne meo stúdio incómmodes. *Mich.* Maturábo. *Norb.* Sed heus tu, cave mácules: alióquin aegre commodábo posthac. *Mich.* Nempe indígnus essem benefício.

ELOCÚTIO.

Commodáre alícui áliquid ... útendum dare.
Dare commodáto alícui áliquid.
Cómmoda mihi Lívium tuum, tantísper dum ludis.

Repétere rem áliquam ... repétere locum áliquem.
Dare alícui áliquid uténdum ... dare alícui áliquid describéndum.
Dare alícui áliquid discéndum.
Dedit mihi hanc epístulam describéndam.
Hoc signo volo répetas.
Satis est mihi ... sat diu ... sat est ... sat scio ... satis verbórum est.
Quando reddes mútuum? ... réddere librum ... réddere lítteras alícui.
Réddere ratiónem ... réddere respónsum ... réddere alvum.
Descríbere áliquid ... descríbere áliquem.
Descríbere áliquem furem.
Maturándum est ... maturáto opus est ... maturáre ábitum ... maturáre fugam ... maturáre iter.
Incommodáre alícui ... incommodáre stúdiis alicúius.
Inícere remorámen stúdiis alicúius ... impedíre stúdia alicúius.
Cave illum ... cave tibi ab illo ... cave ab illo.
Ille tibi vitándus est. Tibi est ab illo cavéndum.
Si sapis, illum fúgies.
Cave ímprobos sodáles ... Fuge prava consórtia.
Vita malórum consuetúdinem.
Liber meus múndior tuo ... amo mundítiem librórum.
Cave, mácules meum librum dígitis atraménto foedátis.
Habet aures vel aurículas asinórum.
Cave ne falláris, vel cave falláris.
Libri foris et intus commaculáti.
Indígnus benefício.
Plúrimi Christiáni benefíciis Dei indígni sunt.

Collóquium XII.

Arguméntum: ***Repétitur commodátum, dilatiónem petit, qui commodáto accépit, eámque ímpetrat.***

ROBÉRTUS, CONRÁDUS.

Rob. Cur non reddis mihi librum? *Con.* Expécta in crástinum diem: nondum satis usus sum. *Rob.* Libénter exspectábo. *Con.* Réferam tibi grátiam, Deo volénte. *Rob.* Pro tántulo beneficio nullam exspécto grátiam. *Con.* Tamen est meum agnóscere.

ELOCÚTIO.

Exspectáre áliquem ... exspectáre avidíssime áliquem.
Exspectáre mortem paréntum ... exspectáre ómnia ab áliquo.
Exspectáre diem ex die ... exspectáre in diem crástinum.
Nondum satis usus sum libro tuo, quem commodavísti mihi.
Uti consílio alicúius ... uti teste áliquo.
Referre grátiam alícui.
Exspécto grátiam nullam.
Pater meus, Deo volénte, expedítis negótiis domum revertétur.
Plura in me contulísti benefícia, quam ut pares tibi grátias referre queam.
Inops, si referre grátiam non potest, habére potest.
Est meum agnóscere benefícia praeceptóris in me colláta.
Ómnium cívium est agnóscere hoc ... Ómnium discípulórum est agnóscere hoc.

Collóquium XIII.

Arguméntum: ***Brevis confabulátio, sed doctrína plena. Vir bonus et prudens occasiónem docéndi capit e re mínima.***

Norbértus, Otto.

Norb. Unde veniébas modo? *Ot.* E culína. *Norb.* Quid illuc íeras? *Ot.* Ut me calefácerem. *Norb.* Tu, credo, libéntius es in culína, quam in schola, nonne? *Ot.* Nihil mirum: in schola non est ignis, sicut in culína. *Norb.* Abi, si sapis. *Ot.* Útinam tam sáperem in divínis rebus, quam in cura córporis! *Norb.* Fac sápias. *Ot.* Quómodo? *Norb.* Stúdio, cura, labóre, diligéntia. *Ot.* Non parco labóri. *Norb.* Recte facis: sed est tempus exspectándum, cuius progréssu fiunt ómnia: intérea precándus est Deus assídue. *Ot.* Bene mones: útinam ille stúdia nostra promóveat in glóriam sui nóminis. *Norb.* Id fáciet, si pergámus eum cólere diligénter.

ELOCÚTIO.

Venit e culína ... venit currens ... venit equo, navi, navígio, pede, pedes, autocinéto, bírota velocíssima, automatária, aëronávi.
Veníre sero ... veníre sérius, post diem festum.

Calefácere se ... calefácere áliquem.
Tu libéntius es in culína et foro, quam in templo et schola.
Útinam hómines tam sáperent in rebus divínis, quam cura córporis.
Sápere stúdio ... sápere rem suam recte ... sápere nihil.
Párcere labóri ... párcere alícui ... párcere nulli ... párcere aúribus alicúius.
Párcere impénsis ... párcite castis aúribus.
Exspectáre áliquem ... tempus exspectándum est.
Progréssu témporis.
Precári Deum assídue.
Promovére áliquem ... nihil prómoves.
O benígne Iesu, precor Te ex ánimo, prómove stúdia mea incépta in nóminis tui glóriam.
Pérgere cólere áliquem ... pérgere áliquo ... pérgere in maledícta.
Cólere Deum ... paréntes coléndi sunt.

Collóquium XIV.

Arguméntum: ***Amici líbera reprehénsio si bene accipiátur, haud mediócriter prodest.***

ROBÉRTUS, PATRÍCIUS.

Rob. Unde nunc redis? *Patri.* Foris. *Rob.* Cur prodísti? *Patri.* Ut irem domum. *Rob.* Quid eo? *Patri.* Petítum libros meos. *Rob.* Eho, cur non attulísti? *Patri.* Oblítus eram. *Rob.* Síccine soles ientáculum aut meréndam oblivísci? *Patri.* Raríssime. *Rob.* Profécto, magna fuit neglegéntia. *Patri.* Immo máxima: sed quid agas? scholástici sumus. *Rob.* Quid si praecéptor tuum factum sciret? *Patri.* Fortásse poenas darem. *Rob.* Ain tu, fortásse? procul dúbio vapuláres. Non te pudet sine libris in scholam veníre? *Patri.* Non solum pudet, sed etiam piget: verúmtamen ne me accúses óbsecro. *Rob.* Nihil minus cógito: sed non possum dissimuláre, quin ego te reprehéndam. *Patri.* Istud, credo équidem, amíce facis: ítaque boni cónsulo. *Rob.* Id satis est mihi. Eámus intro in auditórium. *Patri.* Tempus est.

ELOCÚTIO.

Rédeo foris ... redíre e foro vel a foro.
Redíre domo.

Iit domum petítum libros suos ... petitúrus libros, ad peténdos libros.
Libros obliviscúntur discípuli saepe, ientáculum et meréndam perráro.
Ádmodum oblivióosus est ... satis vídeo te mei oblítum esse.
Magna, immo máxima fuit neglegéntia.
Dare poenas ... vapulávit propter neglegéntiam a praeceptóre.
Paulum áberat, quin vapulárem.
Nihil própius fuit, quam ut vapulárem, verberárer.
Mérito poenas dedit ... dare poenas tergo.
Huius peccáti poenas dabis acerbíssimas.
Non te pudet pigrítiae ... non te pudet sine libris veníre in scholam?
Accusáre áliquem furti.
Dissimuláre rem áliquam ... dissimuláre siléntio iniúriam accéptam.
Dissimuláre ódium.
Reprehéndere áliquem.
Boni consúlere ... consúlere aequi boníque.
Amíce facis, quod cónsulis famae, existimatióni, dignitáti eius.
Aequi boníque fácio.
Tempus est, ut eámus in auditórium ... est tempus eúndi.
Praeceptóres éxigunt ratiónem scriptúrae.
Exígere vectígal ... poenam ab áliquo.
Exáctae aetátis vir ... acerbíssima exáctio.

Collóquium XV.

Arguméntum: ***Obláta occasióne quidam proféctus sermónem ad párvuli captum, docéndi grátia, accómmodat. Exémplum est, quod nulla bene agéndi occásio, praesértim in docéndo, sit praetermitténda.***

PAULUS, RENÁTUS.

Paul. Quid rides? *Ren.* Néscio. *Paul.* Nescis? Magnum signum stultítiae. *Ren.* Me ígitur stultum vocas? *Paul.* Mínime vero: sed dico tibi, arguméntum esse stultítiae, cum quis rídeat, et ridéndi causam nésciat. *Ren.* Quid est stultítia? *Paul.* Si diligénter evólveris Catónem tuum, istud quod quaeris, invénies. *Ren.* Nunc non hábeo meum Catónem, et volo áliam rem ágere. *Paul.* Quod habes

negótium? *Ren.* Est mihi ediscéndum áliquid de Lógica. *Paul.* Et ínterim quaeris fabulári, inéptule. *Ren.* Dic mihi, quaeso, de stultítia in Catóne. *Paul.* « Stultítiam simuláre loco, prudéntia summa est ». Annon haec didicísti? *Ren.* Immo, sed non recordábar. *Paul.* Cum domi eris, ínspice librum tuum. *Ren.* O quantas grátias ago tibi! ego propónam alícui istam quaestiónem, qui non póterit mihi respondére: et sic erit victus. *Paul.* Tace, iúvenis, tace, et stude, ne vápules. *Ren.* Non multum curo: ego fere téneo praelectiónem. *Paul.* Nisi taces, dicam álteri a praefécto, qui te statim notábit. *Ren.* Mane, mane, nihil dicam ámplius. *Paul.* Sed meménto id quod dixi tibi. *Ren.* Quid est? *Paul.* Ne rídeas umquam sine causa. *Ren.* Sed ridére non est malum. *Paul.* Non dico istud. *Ren.* Quid, ígitur? *Paul.* Stultum est sine causa ridére. *Ren.* Nunc intéllego. *Paul.* Recordáre, saepe.

ELOCŪTIO.

Quid est bonae rei, quod tecum rides tam suáviter, quasi thesaúrum nactus sis?
Excitáre risum, concitáre risum ... movére risum alícui.
Cachínnos excitáre, movére.
Tenére risum, abstinére risu.
Subridére, i. e. paulum ridére.
Ómnibus se deridéndum propináre.
Ómnibus arrídet.
Vocáre áliquem stultum ... vocávit me nebulónem.
Arguméntum stultítiae.
Sunt certíssima arguménta et indícia stultítiae.
Sunt certíssima arguménta te hoc fecísse.
Magnum est arguméntum ita esse.
Satis évidens arguméntum rem sic esse.
Néscio húius rei causam.
Vólvere librum áliquem diligénter.
Fortúna instar rotae vólvitur.
Quod quaeris, invénies in Catóne tuo.
Non hábeo nunc Vergílium ad manus.
Ágere rem áliam.
Quod habes negótium?
Edíscere áliquid de Lógica.
Edíscere ... mandáre memóriae ... díscere memóriter ... infígere, inscúlpere memóriae.
Studes fabulári.

Stultítiam simuláre loco, prudéntia summa est.
Non recordábar ... non veniébat mihi in mentem.
Recordári alicúius rei et áliquid, de áliqua re.
Inspícere librum.
Propónere alícui quaestiónem.
Respondére ad quaestiónem.
Respondére maledíctis et ad maledícta ... respondére ad interrogáta.
Respondére ad ea, quae quaesíta sunt.
Ad hoc ne verbum quidem respóndit.
Acúte argutéque respondére.
Respónde, quod rogo, aut vincéris.
Respondére, dare respónsum, réddere respónsum.
Studéte, discípuli, ne vapulétis ... ne verberémini.
Naváte, date lítteris óperam.
Tenére praelectiónem.
Dicam praeceptóri.
Notáre áliquem in tábula.
Nihil dicam ámplius.
Stultum est ridére sine causa.
Ridére quidem licet, sed cachinnáre inurbánum est.
Intellégere, cápere, ánimo percípere, mente complécti, cogitatióne comprehéndere, ratióne comprehéndere.
Non hércule intélligo.
Non satis intéllego, quid velis.
Recordári áliquid et alicúius.

Collóquium XVI.

Arguméntum: ***Quidam occupátus in merénda monétur instáre praelectiónis tempus: Sic iúvenes studiósos mútua decet admonítio.***

RENÁTUS, SIGFRÍDUS.

Ren. Audistíne horológium? *Sig.* Dudum sónuit. *Ren.* Dinumerásti horas? *Sig.* Dinumerávi. *Ren.* Quota est? *Sig.* Fere dimídia quarta. *Ren.* Instat ígitur praelectiónis tempus: fac ut parátus sis. *Sig.* Ubi meréndam perédero, ecce me parátum. *Ren.* Cur merídie non affuísti nobíscum? *Sig.* Prodíeram cum bona vénia praeceptóris. *Ren.* Sed ínterim sum tibi impediménto? *Sig.* Nihil

ímpedis: ne bolum quidem pérdidi interpellatióne tua. *Ren.* Bene habet: perge, sed matúra.

ELOCÚTIO.

Audistíne horológium?
Dudum sónuit séptima.
Vox hóminem sonat.
Quid sonat haec vox?
Dinumeráre horas.
Quota hora est? ... dimídia quarta ... duodécima ...
Instat décima.
Ille instat factum (esse) ... instat mihi perículum ab illo.
Iam iam audíta est hora.
Instáre, ut, ne.
Fac, (ut) sis parátus.
Adésse alícui.
Prodíre cum vénia praeceptóris ... prodíre in conspéctum alicúius.
Prodíre in lucem ... prodíre óbviam alícui.
Esse alícui impediménto ... Tu nobis ómnibus es impediménto.
Ímpedis nos omnes.
Pérdidi ne bolum quidem interpellatióne tua.
Bene habet.
Perge, sed matúra.

Colloquium XVII.

Arguméntum: ***Discípulus langues paréntum desidério retinétur a praeceptóre et a condiscípulis, ne domum ábiens perdat tempus, admonétur.***

SIGISMÚNDUS, TITUS.

Sigis. Quid tecum cógitas Tite? *Tit.* Libénter irem domum. *Sigis.* Quid eo? *Tit.* Ut me his diébus parúmper recreárem cum matre. *Sigis.* Quid obstat, quo minus eas? *Tit.* Praecéptor non vult permíttere. *Sigis.* Mélius tibi cónsulit quam ipse putas. *Tit.* Quómodo? *Sigis.* Nam intérea pérderes multum témporis et cum redísses, doléres. Nonne verum dico? *Tit.* Profécto sic est. *Sigis.* Mane ígitur, si sapis. *Tit.* Parébo tuo consílio: quia mihi

rectum vidétur. *Sigis.* Nollem sciens malum tibi consílium dare. Atque útinam, quod suádeo, succédat tibi próspere. *Tit.* Spero ita fore, Deo volénte.

ELOCÚTIO.

Cogitáre áliquid secum ... mecum ... cógito ... in ánimo cógito ...
Ánimo mecum cógito.
Coepi égomet mecum sic cogitáre.
Hoc cógito dies noctésque ... hac de re cógito dies noctésque.
Ire domum.
Domus magna ... luculénta ... magnífica ... ruinósa ... collápsa.
Recreáre se cum áliquo.
Recreári lítteris alicúius ... recreáre lítteris áliquem.
Praecéptor non vult permíttere, ut eam domum.
Consúlere alícui ... bene ... male ... consúlere áliquem.
Consúlere salúti suae.
Paréntes mélius cónsulunt líberis quam ipsi putant.
Cónsulo te doctum ... tibi cónsulo, dum tua curo.
Pérdere tempus ... pérdere tempus comissatiónibus, lusu, nugis.
Habére témporis ratiónem.
Dóleo, quod ... dóleo vicem eius.
Dóleo ab óculis ... ex cápite, a cápite.
Si sapiísses, mansísses et fugam non arripuísses.
Parére consílio alicúius.
Consílium tuum mihi vidétur rectum.
Sciéntes consílium malum non dédimus.
Qui consílium dat, non evéntum, sed fidem praestáre debet.
Quod suasísti, succéssit mihi próspere.
Res succéssit ex voto.
Non succédet.
Sperámus fore, Deo volénte.
Spero fore, ut discas quae in schola audivísti.
Spero has lítteras ab eo lectum iri.

Collóquium XVIII.

Arguméntum: ***Scriptúrus quidam detráctat praelectiónem repétere. Ludo témporis quid detrahéndum, idque stúdiis impendéndum. Exémplum púeri lúsibus dediti.***

THEODORÍCUS, VINCÉNTIUS.

Theo. Vincénti. *Vinc.* Quid vis? *Theo.* Repetámus una praelectiónem. *Vinc.* Non est mihi ótium. *Theo.* Quid habes negótii?

Vinc. Volo scríbere. *Theo.* Quid scríbere paras? *Vinc.* Dictáta praeceptóris. *Theo.* Cur heri non scripsísti? *Vinc.* Quo témpore scriberem? *Theo.* Cum ludebátur. *Vinc.* At ego nolébam amíttere ludéndi occasiónem. *Theo.* Ah piger, nihil áliud quam lusiónes meditáris. Nonne diébus Mercúrii et Satúrni ternae sunt horae líberae? *Vinc.* Líberae quidem sunt, sed ad lusum destinátae, deputátae, assignátae. *Theo.* Immo partim lúsibus aut alícui honéstae remissióni, partim stúdio litterário sunt dicátae. *Vinc.* Fáteor dumtáxat iis, qui volunt ímmori stúdiis. *Theo.* Non póteras heri sesquihóram detráhere ludo tuo: aut saltem horam unam? *Vinc.* Tu stude quantum vis: ego vero ludam quámdiu licébit. *Theo.* Per me quidem licébit, sed ínterim parum profícies in lítteris. *Vinc.* Nonne praeceptóri satisfácio? *Theo.* Utcúmque. *Vinc.* Tu ígitur, studióse, vis esse praeceptóre ipso sevérior? Omítte me tandem, age tuum negótium, ego meum. *Theo.* Age, age, ut libet.

ELOCÚTIO.

Repétere lectiónem ... repétere consuetúdinem ... repétere ius suum.
Repétere memória áliquid.
Non est mihi ótium.
Habére áliquid negótii.
Paráre se ad áliquid ... paráre sibi amícos ... paráre sibi amícos pecúnia.
Paráre sibi amícos munéribus ...
Paráre ábitum ... paro hoc fácere ... parátus ad áliquid.
Parátus ad omnem evéntum.
Scríbere dictáta praeceptóris.
Amíttere occasiónem ludéndi ... amíttere áliquid ex ánimo.
Amíttere fidem ... excídere fide mercatórum.
Amíttere tempus, vires.
Nil nisi lusiónes meditáris.
Haec multo ante meditáre.
Meditári fugam ... meditári ábitum ... meditátur regnáre.
Meditári advérsus áliquem áliquid, de áliqua re.
Horae líberae ... cogitatiónes sunt líberae.
Cogitatiónum poenam nemo pátitur.
Destinátus ad lusum ... morti destinátus.
Deputáre áliquid in lucro ... deputáre se indígnum.
Attribúere alícui áliquid ... attribúere culpam alícui.
Attribúere locum alícui ... mihi natura attríbuit.

Assignáre culpam fortúnae ... assignáre locum alícui.
Assignáre tempus alícui.
Dicáre alícui óperam suam ... dicáre Deo áliquid.
Ímmori stúdiis, i.e. fácere nullum studiórum finem.
Detráhere alícui áliquid ... detráhere in iudícium áliquem.
Detráhere vestes alícui.
Tu stude, quantum vis, ego ludam, quámdiu licébit.
Per me licet.
Parum profícere in lítteris ... promovére stúdia alicúius.
Nihil próficis.
Satisfácere alícui ... satisfácere promíssis ... stare promíssis.
Nemo illo sevérior.
Satisfácere opinióni ómnium ... satisfácere exspectatióni alicúius.
Omítte me ... fac me missum.
Age tuum negótium, ego meum.
Tu tuum age, atque esto díligens.

Collóquium XIX.

*Arguméntum: **Valeriánus árguit Augustínum neglegéntiae. Augustínus fatétur culpam: promíttit diligéntiam in pósterum. Exémplum bonae índolis in iúvene.***

VALERIÁNUS, AUGUSTÍNUS.

Val. Nihílne est quod reddámus hodie praeceptóri? *Aug.* Nihil, nisi de grammáticae rudiméntis. *Val.* Quidnam? *Aug.* Ínspice librum tuum: invénies annotatiónes, quas praecéptor nobis praescrípsit. *Val.* Quando istud fuit? *Aug.* Die Véneris hora quarta. *Val.* At ego tunc non intérfui. *Aug.* Ergo plagas meruísti. *Val.* Síccine iúdicas, sevére iudex? Occupátus eram domi: nec ábii iniússu praeceptóris. *Aug.* Esto: sed tamen debuísti prostrídie quaérere, quid prídie actum esset. *Val.* Meam culpam confíteor: sed cedo librum tuum, quaeso: ut vídeam, quid nobis reddéndum sit. *Aug.* Áccipe, et éadem ópera signáto, quae a praeceptóre nobis praescrípta sunt. *Val.* Fáciam diligénter: neque posthac, ut spero, me accusábis neglegéntiae.

ELOCÚTIO.

Réddere praelectiónem ... réddere lectiónem pérperam.
Réddere de íntegro lectiónem ... réddere dénuo lectiónem.

Réddere inter se vicíssim lectiónem, áltero recitánte, áltero códicem inspiciénte.
Convértere e germánico in latínum.
Inspícere librum ... explicáre librum ... complicáre, claúdere librum.
Praescríbere alícui áliquid inflecténdum.
Praescríbere vel iniúngere áliquid discéndum.
Praecéptor die Véneris nihil praescrípsit discéndum.
Merére plagas.
Male iúdicas.
Occupátus fui domi ... occupátus fui domi multis negótiis.
Distríctus, disténtus, implicátus fui domi multis negótiis.
Iniússu praeceptóris abíre ... Iussu meo factum est.
Prídie cógita, ne quid agas hódie, cuius te paeníteat postrídie.
Confitéri culpam ... confitéri Deo peccáta.
Fáteor me peccásse.
Noxae remissiónem peto ... delícti véniam peto.
Cédite libros vestros.
Quid nobis merídie reddéndum?
Signáre librum.
Accusáre neglegéntiae áliquem.

Collóquium XX.

Arguméntum: ***Excusátur cuiúsdam in lignis struéndis occupátio, quod ad scholam non véniat.***

ALBÉRTUS, BERNÁRDUS.

Alb. Cur non venit Petrus in scholam? *Bern.* Est occupátus. *Alb.* In quo negótio? *Bern.* In ligno struéndo. *Alb.* Qui scis? *Bern.* Dictum est mihi. *Alb.* A quo? *Bern.* A patre eius. *Alb.* Ubi eum vidísti? *Bern.* Fuit mihi óbvius, cum venírem. *Alb.* Vide, ne mentiáris: nam ex illo quaeram, si forte occúrrat mihi per vicos. *Bern.* Repéries sic ut dico.

ELOCÚTIO.

Petrus propter negótia doméstica (quia occupátus est) non potest veníre in scholam.
Occupátus est disponéndo ligna vel in lignis disponéndis.

Strúere ligna.
Dictum est mihi a patre tuo ... audívi ex patre tuo.
Paedagógus tuus fuit mihi óbvius ... venit mihi óbviam.
Veníre media nocte, sub vésperam, appeténte nocte, summo mane, merídie, a prándio.
Vide ne mentiáris ... haec ómnia mentíta et falsa sunt.
Mentíri non est meum.
Certáre mentiéndo ... certátim mentíri ... mentíri in áliquem.
Páscere áliquem mendáciis ... mentíri alícui.
Quaérere áliquid ex áliquo ... quaérere áliquem.
Occúrrere alícui per vicos.
Réperi, ut dixísti.

Collóquium XXI.

Arguméntum: ***Veheménter dolet Bernárdus se a suórum studiórum sócio Christóphoro déseri, ádeo ut ne amícis quidem et salutáribus admonitiónibus leniátur dolor. Locórum intervállum non semper dírimit amicítias.***

BERNÁRDUS, CHRISTÓPHORUS.

Bern. Ergóne abis in pátriam? *Christ.* Cogor, abíre, nempe arcessítus a patre. *Bern.* Numquámne es reversúrus? *Christ.* Non spero. *Bern.* Quando profectúrus es? *Christ.* Crástino die, ut opínor. *Bern.* Síccine ígitur me relínquis? *Christ.* Ita necésse est. *Bern.* O me míserum! Ubi et quando amícum talem repériam? Talem studiórum meórum sócium? *Christ.* Ne dóleas; esto animo bono: meliórem dabit tibi Deus. *Bern.* Ille quidem potest, scio: at ego vix speráre possum. *Christ.* Noli, óbsecro, te afflígere tantópere. Nec enim hac separatióne córporum interitúra est amicítia nostra: quin pótius accréscet magis, et abséntes córpore praeséntes ánimis érimus. Quid epístulae, quas ultro citróque dábimus, quantam vim speras habitúras esse? Quid quod mútuo illo desidério amor ipse noster fiet incúndior? *Bern.* Verisimília sunt, quae dicis, ómnia: sed ínterim non lenítur dolor meus. *Christ.* Ah! réprime lácrimas. *Bern.* Non queo prae dolóre. *Christ.* Síccine agis? An putas me minóre dolóre tangi? Sed quid agis? Divínae voluntáti paréndum est. Nunc ipse te cóllige, óbsecro, ac pótius ad hiláriter cenándum te para. Plúribus post cenam colloquémur. *Bern.* O quam triste divórtium!

Abíre in pátriam.
Quia cogor abíre in pátriam, sine me abíre ... sine (ut) ábeam, mitte me, omítte me.
Pater arcessívit fratrem meum domum.
Si erit necésse, arcésse me: Si quid erit opus, arcésse me hinc.
Suo iuménto sibi malum arcéssit.
Spero me brevi reversúrum.
Revértit eques ... revértit pedibus vel pedes ... via férrea, birota automatária, autocinéto.
Crástino die, ut opínor, Geórgius proficiscétur Romam ... Venétias.
Proficísci ad locum ... de loco ... óbviam alícui.
Ómnia ab illo proficiscúntur mala.
Necésse est, ut relínquam te.
Relínquere áliquem ... relínquere aes aliénum grande.
Relínquere inúltum.
Relínquere testaménto alícui áliquid.
Sócius studiórum ... sócius itínerum.
Dolére ... in dolóre vel in maeróre esse ... maerére.
Hoc mihi dolóri est.
Dicam illi quod dóleat.
Dóleo vicem illíus.
Esse bono ánimo ... ánimum cápere, súmere, recípere.
Sócius mélior.
Spero, spem hábeo, spe ducor, habet me spes, spes est.
Nulla spes est fore, futúrum esse.
Bona spes habet ánimum meum.
Vix spero (spe téneor) hoc futúrum.
Afflígere se, sese.
Infándis malis afflígimur.
Afflígere senténtiis áliquem.
Afflígi morbo.
Fides afflícta.
Afflígi acérbe de re áliqua.
Amicítia vera non ínterim separatióne córporum.
Abséntes córpore, praeséntes sunt ánimis.
Ultro citróque ... huc, illuc ...; sursum, deórsum.
Dare lítteras ultro citróque.
Ultro citróque cúrsitat.
Multis verbis ultro citróque hábitis.
Ille nobis consúmptus est dies.
Lítterae tua magnam vim, magnum pondus, habent.

Mútuum desidérium.
Amor meus factus est iucúndior, desidério mútuo.
Amor tuus, quo tu amas ... amor tui, quo tu amáris.
Id quod tu dicis (narras), non vidétur mihi verisímile.
Leníre dolórem ... iram ... aegritúdinem.
Reprímere lácrimas.
Lácrimas cohibére (reprímere) néqueo, non possum tenére lácrimas.
Lácrimae ipsi prosiluérunt, obórtae sunt ipsi lácrimae.
Non queo prae dolóre tenére, míttere, sístere, cohibére, reprímere lácrimas ... abstinére, temperáre a lácrimis.
Non minóre tangor dolóre.
Tangi dolóre.
Hoc me tangit ... ordo te tangit ... tángere manu.
Parére voluntáti divínae.
Oboédiam et parébo voluntáti tuae.
Quidquid iússeris, fáciam.
Ad nutum tibi parátus ero.
Me totum ad nutum et voluntátem tuam convértam.
Collígere se ...; collígere stipem.
Paráre se ad áliquid ... ad prándium, cenam; cenándum, ientándum.
A cena plúribus tecum cólloquar.
Divórtium fácere.
Facere divórtium doctrinárum.

Collóquium XXII.

Arguméntum: ***Doctrína púeris máxime necessária. De fugiénda vidélicet pravórum consuetúdine, et máxime impostórum. Exémplum amíci fidi in dando consílio.***

CÁROLUS, DESIDÉRIUS

Car. Nonne meminísti praeceptórem tam saepe monére nos de fugiéndis sodálibus pravis? *Desi.* Ego vero probe mémini. *Car.* Tamen alícubi satis neglegénter úteris eius mónitis. *Desi.* In quo vídeor tibi ea neglégere? *Car.* Dicam tibi, si modo atténte aúdias. *Desi.* Dic óbsecro: aúdiam attentíssime. *Car.* Numquam vis cavére ab illo impostóre, corruptóre, hómine fraudulénto? *Desi.* Cur cáveam? *Car.* Ne illíus contagióne depravéris. Nosti enim eum esse

péssimum. *Desi.* Atqui non sponte sequor: ad me accúrrit úndique. *Car.* Nimírum quia novit te habére quod des, et dare libénter ac saepe. *Desi.* Quid ígitur mihi faciéndum suades? *Car.* Dic semel et sério et quasi ánimo iráto: Quid vis, amíce? Cur me ubíque séqueris? Omnes clámitant te esse péssimum, et ídeo sodáles tui esse nolunt. Proínde omítte me posthac quaeso: ne, tua causa, virgis palam caedar. *Desi.* Quid si velit áliquid contra respondére? *Car.* Abrúmpe illi sermónem, teque récipe celériter. *Desi.* Ago tibi grátias, quod me tam fidéliter monúeris.

ELOCÚTIO.

Fúgere (cavére) pravos sodáles.
Paréntes mei monuérunt me de fugiéndis fúribus.
Monére áliquem de re áliqua. Monére, ut etc.
Monére áliquem lítteris.
Unum illud te adhuc monébo.
Uti re áliqua neglegénter.
Scit uti foro ... hoc est, novit se accommodáre rebus geréndis.
Uti teste áliquo.
Vidéris mihi neglégere ómnia pastórum mónita, ut mihi vidétur.
Vidéris mihi ádmodum erráre.
Audíre atténte.
Cave posthac, si me amas, umquam istud verbum ex te aúdiam.
Audiéndum est mihi attentíssime.
Cavére sibi ab áliquo.
Cave illum. Cave tibi ab illo. Cave ab illo.
Tibi ab illo cavéndum est.
Cave ad impostóribus ... ab hómine fraudulénto.
Cave impostóres.
Depravári contagióne alicúius.
Sequi áliquem ... patrem, matrem, fratrem.
Sequi áliquem sponte, lente.
Accúrrere ad áliquem.
Novit te esse gárrulum.
Novi, scio, non ignóro, cógnitum est mihi, non me latet, non me fugit, non me praéterit, non me ínscio est, maniféstum est, explorátum hábeo.
Norunt omnes, nemo ignórat, néminem latet te habére quod des.
Certo scio; est mihi explorátum, compértum, te dare libénter ac saepe.
Quid proféssor suasit studiósis theológiae agéndum?

Hic suasit, ille dissuásit, neuter persuásit.
Hoc mihi non persuadébis, etiámsi tibi Ciceroniána esset eloquéntia.
Hoc tibi persuádeas velim. Hoc tibi persuásum hábeas.
Suadére alícui áliquid.
Suadére pacem.
Sequi áliquem ... ducem ... familiáres.
Dixit sério et ánimo iráto Christóphorum esse péssimum.
Probi adulescéntes malórum sodáles esse nolunt.
Éligit aequálem prudens sibi quisque sodálem.
Símilis símili gaudet.
Omíttere áliquem.
Tua causa palam virgis caesus sum.
Volo púerum palam caesum, ut palam caedátur.
Respondére ad áliquid ... alícui.
Ómnia respóndet ... respondére maledíctis et ad maledícta.
Abrúmpere alícui sermónem.
Sermo abrúptus ... locus abrúptus.
Recípere se celériter.
Usu recéptum est.
In se recípere ... recípere se áliquo.
Recípio te, i.e. íterum accípio; recípio tibi, h.e. promítto.
Recípio me domum, i.e. cónfero me domum.
Ágere grátias.
Monére áliquem fidéliter.
Ago tibi grátias, quod tam fidéliter monueris me.

Collóquium XXIII.

Arguméntum: ***Quidam, quod afúerit, quaerit ex condiscípulo, quid actum sit in auditório.***

DOMÍNICUS, ÉNNIUS.

Dom. Quid actum est in auditório hora tértia? *En.* Tractátae sunt oratiónis partes ex praelectióne. *Dom.* Nihílne ámplius? *En.* Dixíssem, nisi me interpellásses. *Dom.* Errávi: perge. *En.* Póstea dictávit praecéptor arguméntum vernáculum, hódie verténdum. *Dom.* Quando reddéndum? *En.* Cras merídie. *Dom.* Iamne vertísti? *En.* Utcúmque. *Dom.* Dicta mihi, quaeso, vernáculum. *En.* Excipe, festína; nam débeo scríbere áliquid.

ELOCÚTIO.

Quid actum est in schola quinta hora prima? Grammática tractáta est a praeceptóre.
Interpelláre áliquem.
Interpelláre, interturbáre loquéntem, interrúmpere sermónem alicúius.
Erráre, esse in erróre, versari in erróre, hallucinári, exorbitáre.
Erráre toto caelo, tota via, aberráre a scopo.
Erráre humánum est. Quandóque bonus dormítat Homérus.
Hem lapsus sum ... ; depónere errórem.
Dictáre arguméntum vernáculum.
Vértere vernáculum in latínum.
Iam convérti arguméntum meum in latínum ... mox reddam.
Réddere senténtiam senténtia, verbum verbo.
Dicta mihi quaeso vernáculum.
Excípere-scríbere; excípere ósculo áliquem ... bráchiis ... te excépto.
Excípite exercítium.
Festináre, properáre. Non possum ássequi praeceptórem dictántem.

Collóquium XXIV.

Arguméntum: ***Puer cenátus praelectiónem répetit. A cena non statim studéndum. Praelectiónes saépius legéndo fácile ediscúntur***

ERÁSMUS, FERDINÁNDUS.

Eras. Quo próperas? *Ferdi.* Eo cenátum: quid tu? *Eras.* Iam cenávi. *Ferdi.* Quota hora? *Eras.* Séptima, ut fere solémus. *Ferdi.* Quid nunc ages? *Eras.* Répetam áliquid eórum, quae réddere debémus crástino die. *Ferdi.* Ego dídici ex paedagógo meo non esse tam cito a cibo studéndum. *Eras.* Istud ego quoque dídici, sed nolo nunc edíscere. *Ferdi.* Quid ergo fácies? *Eras.* Ego quasi ánimi causa, praelectiónem particulátim aliquóties legam et rélegam. *Ferdi.* Quid tum? *Eras.* Ita paulátim fiet, ut sine cura, sine taédio, sine moléstia bonam partem praelectiónis edíscam. *Ferdi.* Ista non satis intéllego, et certe vidéris mihi supra aetátem sápere. *Eras.* Non est res ádeo difficilis, quin te docére possem, nisi ad cenam properáres. *Ferdi.* De cena in témpore ádmones:

ego ígitur eius causa me domum recípio. Vale. *Eras*. Ducat te Deus et redúcat.

ELOCÚTIO.

Ire cenátum.
Nos solémus cenáre, témpore aestívo hora sexta vespertína, et témpore hibérno hora séptima.
Repétere praelectiónem reddéndam die Véneris.
Quam crástino die habémus scholam iniúnctam?
Quae praeléctio nobis erit reddénda? De re grammática ... De syntáxi.
A cibo non statim studéndum ... non statim inhaeréndum, invigilándum chartis, discéndum, incumbéndum lítteris.
Edíscere, mandáre memóriae.
Praelectiónem légere et relégere.
Ánimi causa.
Edídici iam bonam partem praelectiónis meae.
Sine cura, sine moléstia.
Non satis intéllego, quid velis.
Te plus intellégere et sápere, quam me árbitror.
Non satis intelléxi senténtiam tuam.
Sápere supra aetátem.
Res diffícilis ... ; difficílior, difficíllima.
Hanc rem fácile te docébo.
Properáre ad locum áliquem.
Próperat hoc fácere.
Admonére áliquem áliquid, de áliqua re.
Alicúius rei admonére áliquem.
Recípere se domum.
Deus te ducat et redúcat.

Collóquium XXV.

Arguméntum: ***Ferdinándus conférre studet de oratióne sacra: Geórgius recúsat atque offénditur. Exémplum in morum dissimilitúdine.***

FERDINÁNDUS, GEÓRGIUS.

Ferdi. Hodie te non vidi in oratióne sacra: quid hoc sibi vult? *Georg.* Quid sibi velit nescio: ego tamen intérfui. *Ferdi.* Narra

mihi, quae mandásti memóriae. *Georg.* Non est tuum a me ratiónem exígere. *Ferdi.* Ego quidem non éxigo: verum id rogo, ut memóriae causa conferámus una. *Gerg.* Malim nunc solus recordári. Aúdies me, si vis, cum praecéptor ante prándium nos interrogábit. *Ferdi.* Quid mali erit, si nunc inter nos ea de re conferámus? *Georg.* Nihil mali erit, fáteor: sed non mihi libet. *Ferdi.* Tua ígitur te libído regit. *Georg.* Omítte me: cur moléstus es? *Ferdi.* Omítto sane, sed audi unum verbum. Non decet condiscípulum esse tam morósum. *Georg.* Nec condiscípulum decet esse tam moléstum.

ELOCÚTIO.

Quid hoc sibi vult?
Vidi ipsum in foro stantem, cum haberétur cóntio.
Roga, an Paulus interfúerit contióni.
Mandáre áliquid memóriae in contióne ... observáre áliquid ex contióne.
Commíttere áliquid memóriae, commendáre, custodíre áliquid memória.
Numquam ex ánimo meo discédat hodiérna cóntio.
Exígere ratiónem.
Cur rogas id? Ut conferámus una memóriae causa.
Conférre novíssima primis; conférre manus; conférre se in fugam; conférre benefícia in áliquem; conférre ratiónes.
Omnem óperam conférre ad philosóphiam.
Recordári, reminísci, meminísse, in memóriam revocáre, memória repétere, redígere in memóriam.
Interrogáre áliquem.
Nihil mali est.
Conférre inter se de re áliqua.
Non libet mihi hoc fácere.
Regi libídine sua.
Régere rempúblicam.
Régere áliquem disciplína.
Omíttere áliquem ... ; moléstus es mihi ... ; muscae mihi ádmodum sunt moléstae.
Audi unum verbum; non décuit te esse adeo morósum; nec te decébit in pósterum esse tam moléstum patri meo.

Collóquium XXVI.

Arguméntum: ***Gregórius Hugónem ad repeténdam praelectiónem invítat. Exémplum diligéntiae in stúdio.***

GREGÓRIUS, HUGO.

Greg. Fecistíne offícium tuum? *Hug.* Qua in re? *Greg.* In repeténda praelectióne. *Hug.* Nihil adhuc repetívi. *Greg.* Quid causae fuit? *Hug.* Exspectábam, dum redíret compar meus. *Greg.* Quo ille iit? *Hug.* Domum. *Greg.* Quid eo? *Hug.* Petítum meréndam. *Greg.* Quid si redíbit sérius? *Hug.* Néscio: fíeri potest. *Greg.* Vis intérea mecum repétere. *Hug.* Équidem non recúso. *Greg.* Secedámus ígitur, ne quis moléstus sit nobis. *Hug.* Profécto bene mones: nemo studére potest in tanto ambulatórum strépitu et clamóre. *Greg.* Áspice illic locum remotíssimum, ubi nulli sunt ambulántes. *Hug.* Eámus illuc.

ELOCÚTIO.

Fácere offícium.
Fácere offícium in re áliqua.
Quid causae est, quod frater tuus nondum répetat praelectiónem?
Exspectáre áliquem. Exspécto, dum rédeat compar meus.
Ire domum ... rus.
Ibo petítum, petitúrus, ad peténdam, peténdae meréndae grátia, ut petam meréndam.
Fíeri potest, ut professóres rédeant sérius.
Ego tecum répetam.
Recusáre, abnúere, renúere, negáre, denegáre.
Nihil tibi a me postulánti recusábo.
Recúsat hoc fácere, negat se hoc factúrum.
Secédere de via ... secédere in locum áliquem.
Moléstus es mihi.
Ronchus tuus mihi moléstus est.
Quis intus hic est strépitus? quale murmur?
Quis tantum éxcitat strépitum et clamórem?
Secedámus in locum remotíssimum.
Locus ab ómnium hóminum consórtio remótus.
Eámus illuc, ubi nulli sunt ambulántes.

Collóquium XXVII.

Arguméntum: ***Praémii párvitas contémnitur a sórdido. Praémium non lucri, sed honóris causa datur.***

HENRÍCUS, IOSÉPHUS.

Hen. Qui sunt victóres hac hebdómada? *Ios.* Ubi eras, cum ratiónes redderéntur? *Hen.* Arcessítus a patre fúeram: sed qui sunt victóres? dic sodes. *Ios.* Geórgius et ego. *Hen.* Iamne habuístis praémium? *Ios.* Habúimus. *Hen.* Quodnam? *Ios.* Duodénas juglándes. *Hen.* Hui? quale praémium! *Ios.* Eho inépte, aéstimas ergo praémium ex rei prétio? *Hen.* Hic nihil áliud vídeo aestimándum. *Ios.* Sórdidus es: qui lucro sic ínhias. Non meminísti verbórum praeceptóris? *Hen.* Quorum? *Ios.* Non lucri, sed honóris causa datur praémium. *Hen.* Nunc reminíscor, quasi per nébulam; posthac ero diligéntior. *Ios.* Sic tandem sápies.

ELOCÚTIO.

Vincénti praémia dantur.
Fratres tui praetérita hebdómada fuérunt victóres.
Réddere ratiónem.
Arcéssere áliquem.
Ibo arcessítum illum.
Nolo id malum, quod vitári potest, ultro arcéssere.
Praémii loco accépit frater tuus tres juglándes.
Loco corónae ... pecúniae.
Aestimáre praémium ex rei prétio.
Homo sórdidus.
Inhiáre lucro.
Meminísse alicúius rei.
Mémini hoc audíre, vel audísse.
Illíus diéi probe mémini ... illum diem memória téneo.
Non lucri causa, sed ad falléndum taédium témporis lusi.
Reminíscor quasi per nébulam.
Posthac érimus diligentióres.

Collóquium XXVIII.

Arguméntum: ***Omnis victória, nisi ad Dei glóriam referátur, mera est vánitas: Victória modésti adulescéntes recte utúntur: stulti***

contra fáciunt. Curiósitas. Discípulis tria potíssimum curánda. Sine Deo nihil fit boni. Spíritus divínus in nobis operátur. Omne bonum a Deo esse confiténdum est. Deus auctor fídei, idem et perseverántiae. Spes bona. Adulescéntium ingenuórum consénsio in bonum.

IACÓBUS, LEO.

Iac. Valde miror, cur hódie mane non affúeris. *Leo.* Quid miráris tantópere? Nihil hic est novi: multi absunt cotídie, immo fere horis síngulis. *Iac.* Atqui victória tibi erat in mánibus. *Leo.* Quid ego curo? eiúsmodi victória, ut bene dicébat quidam, nihil aliud est quam brevis glória. *Iac.* Sed ínterim modésti adulescéntes hinc ad stúdia magis incendúntur, nec tamen ináni glória tuméscunt: sed ad honórem Dei réferunt, quidquid inde laudis accésserit. *Leo.* Istud certe raro contíngit. Plures enim sunt, qui victóriis abutántur ad privátam glóriam, quam qui divíni honóris ratiónem hábeant. *Iac.* Verisímile dicis. *Leo.* Immo veríssimum. *Fac.* Sed velim mihi dicas, cur afúeris. *Leo.* Scripsi ad patrem lítteras. *Iac.* Cúius nómine? *Leo.* Matris. *Iac.* Dictavítne tibi ipsa? *Leo.* Quid scripsíssem, nisi dictásset? *Iac.* Quid continébant lítterae? *Leo.* Longum esset tibi narráre. *Iac.* Saltem dic eárum arguméntum. *Leo.* Várium erat et múltiplex, et quid tua, quaeso, scire réfert? *Iac.* Nihil. *Leo.* Cur ergo tam ávide quaeris? *Iac.* Ánimi causa, ut fere curiósi sumus novi áliquid audiéndi. *Leo.* Nihil áliud quam garris: omítte me. *Iac.* Auscúlta paucis. *Leo.* Age auscúlto, lóquere quid velis. *Iac.* Scire cúpio, ubi sit pater tuus. *Leo.* Quasi vero néscias. *Iac.* Unde scirem? *Leo.* Cum tibi sit notíssimus, et cum simus vicíni, non putávi te ignoráre. *Iac.* Dic tandem, quaeso. *Leo.* Est Lípsiae. *Iac.* Quando est proféctus? *Leo.* Abhinc dies quáttuor. *Iac.* Quid illic agit? *Leo.* Negotiátur. *Iac.* Quando reditúrus est? *Leo.* Finíto mercátu. *Iac.* Ad quod tempus finiétur? *Leo.* Roga mercatóres, non est meum curáre tália. *Iac.* Quid ígitur curas? *Leo.* Ut Deum tímeam, paréntibus oboédiam, bonas artes cum pietáte discam. *Iac.* Ne tu magnífice lóqueris: Sed dic mihi sério, potésne res tantas effícere? *Leo.* Égone istud mihi assúmo? Quin pótius fáteor, ne incípere quidem penes me esse. *Iac.* Quid ergo de te fiet? *Leo.* Deus ipse Spíritu suo in me operábitur. *Iac.* Óptime sentis: nihil ex te praetérea requirébam. *Leo.* Beneficio Dei, cui accéptum réfero, quidquid inest in me boni. *Iac.* Istud recte et laudo équidem: ne tibi vídear nihil aliud quam garríre. *Leo.* Cum illud dícerem, iocábar sane. *Iac.* Ego sic accépi, sed tu, ut coepísti, perge díscere, et sápere. *Leo.* Qui mihi dedit fidem, idem, ut spero, perseveránti am dabit. *Iac.* Bene

speras: et ego idem spero tecum. Ítaque pergámus vívere nos coniunctíssime, ut adhuc fécimus. *Leo.* Per me quidem non stabit, nisi ope divína prorsus ero destitútus. *Iac.* Avértat ipse Deus! sed audin' tu horológium? in ipso témpore sermónem finívimus.

ELOCÚTIO.

Mirári áliquem.
Mirum est quod.
Miror neglegéntiam tuam.
Nihil novi narras.
Nihil non novum ... univérsa nova.
Síngulis diébus discípuli quidam absunt.
Victória fuit Philíppo in mánibus.
Victória est brevis glória.
Incéndi ad stúdia.
Tuméscere re áliqua.
Ánimus turgéscit et tumet.
Referre áliquid ad honórem Dei.
Referre áliquid ad áliquem.
Referre in ratiónes.
Referre in librum, in códicem.
Referre alícui ...; referre ad senátum.
Nondum réttuli exercítium extemporále in librum argumentórum.
Redígere in mundum.
Referre ex lítteris alicúius.
Multum laudis inde accéssit ipsi.
Hoc raro contínget.
Abúti victória.
Habére ratiónem alicúius rei.
Dícere verum; dícere id quod est, dícere ita ut res est, dícere rem ipsam.
Sum verus? dixin' tibi verum?
Verisímile, símile veri et vero, credíbile, veritáti consentáneum, probábile.
Velim, dicas mihi id, hoc est, ut dicas.
Subscríbere nomen epístulae.
Scríbere lítteras ad áliquem nómine alicúius.
Mater dictávit mihi lítteras, ad cálamum.
Ego scripsi cálamo festinánte, raptim, properánte manu.
Longum est tibi narráre quid continúerint lítterae, ideóque dicam tantum illárum arguméntum.

Arguméntum epístulae erat várium et múltiplex.
Quod tua nihil refert, percontári désinas.
Mea et ómnium discipulórum refert.
Ánimi causa tam ávide regábam.
Curiósus est áliquid novi audiéndi.
Nihil áliud agis, quam garris.
Omíttere áliquem ... fácere áliquem missum.
Auscultáre alícui ... auscultáre patri, est parére; auscultáre patrem = audíre.
Auscultáre ab óstio, ad fores.
Lóquere quid velis.
Loqui apérte, clare, dilúcide.
Lóquere distíncte, articuláte.
Loquéndum est clara et distíncta voce.
Scire cúpio, ubi sit pater tuus.
Quasi vero néscias.
Miror te hoc nescíre, cum tibi sit notíssimus.
Ignóro, néscio, incértus sum, fugit me, latet me, praéterit me, non satis mihi liquet, ubi sit pater tuus.
Non putávi te ignoráre hoc.
Pater proficiscétur Lugdúnum, Londínium, in Ángliam, Venétias, Lutétiam Parisiórum, Francofúrtum.
Opífices finíto mercátu Francofurténsi negotiabúntur Heidelbérgae.
Non est meum curáre tália.
Quando aúrifex reditúrus est?
Timére Deum.
Oboedíre paréntibus.
Díscere bonas artes.
Loqui magnífice.
Assúmere sibi áliquid.
Assúmere áliquem ... assúmere áliquem in consílium.
Deus dat velle et perfícere.
Non est penes hómines incípere áliquid boni.
Deus operátur in homínibus Spíritu suo.
Sentíre óptime de re áliqua.
Male de áliquo sentíre.
Sentíre honéste, praecláre de áliquo.
Referre alícui áliquid accéptum.
Quidquid in me boni est, Deus operátus est.
Vidéris mihi garríre, bárbare.
Tuus condiscípulus videbátur sibi esse valde doctus.
Iocábar, cum ista dícerem.

Pérgere coniúngitur quandóque cum infinitívo, ut pérgere díscere, pérgere vívere.
Dare fidem alícui.
Vívere coniunctíssime.
Non stat per me.
A nobis stat.
Destitútus nummis.
Deus avértat.
Finíre rem áliquam.
Audin' horológium?
In témpore finíre rem.

Collóquium XXIX.

Arguméntum: ***Latínus sermo collóquiis exercétur. Colloquiórum matéria. Otiósus sermo qui sit. Docílitas.***

LUDOVÍCUS, METHÓDIUS.

Ludo. Unde redis? *Meth.* Foris. *Ludo.* Cur exíeras? *Meth.* Rédditum epístulam. *Ludo.* Qualis est caeli fácies? *Meth.* Nebulósa. *Ludo.* An régelat? *Meth.* Sic resólvitur gelu, ut nives omníno liquéscant. *Ludo.* Etiámne pluit? *Meth.* Sensi áliquid supérne destilláre. *Ludo.* Fortásse in tránsitu e stillicídio tecti. *Meth.* Immo e núbibus, scio: quod si non credis, vide tu ipse. *Ludo.* Quasi ego tibi non credam in re tantílla. *Meth.* Cur ígitur dubitáre videbáris? *Ludo.* Ut plúribus verbis tecum fabulárer. *Meth.* Quorsum id pértinet? *Ludo.* Ad latínum sermónem exercéndum. *Meth.* Sed ínterim saepe otiósa verba dícimus, a quibus omníno, ut abstineámus, Christus praécipit. *Ludo.* Tota erras via in praecépti intelléctu. *Meth.* Cur istud dicis? *Ludo.* Quia non est otiósus sermo, qui ad áliquam institutiónem refértur, praesértim ubi ágitur de bonis et honéstis rebus, quália sunt Dei ópera in rebus naturálibus. *Meth.* Vidéris mihi recte sentíre: proínde fácile tibi asséntior. *Ludo.* Sed haec háctenus, instat nobis áliud negótium. *Meth.* Age, desinámus.

Redíre, revérti, repétere iter, refléctere iter.
Praecéptor, licétne mihi exíre rédditum urínam?
Praecéptor, licétne mihi exíre peráctum requisíta natúrae? salvo honóre, salva vénia.
Qualis est caeli fácies?
Pluit, caelum minátur plúviam, ímminet plúvia.
Caelum nullis núbibus obdúctum est ... satis serénum est.
Régelat. Nix liquéscit.
Ómnia congeléscunt, costringúntur gelu.
Frigus véhemens, inténsum, horréndum est.
Ómnia nive tecta.
Nix duos pedes alta iacet.
Nulli spirant venti.
Ventus paulo mítior factus est.
In tránsitu.
E stillicídio tecti destillávit mihi áliquid in caput.
Crédere alícui.
Crédere in Deum.
Crédere se alícui.
Visus est dubitáre.
Vidémini nobis dubitáre de hac re.
Fabulári cum áliquo verbis plúribus.
Exercére sermónem latínum.
Dícere verba otiósa.
Abstinére re áliqua, et ab áliqua re.
Abstinére iúrgiis ... abstinére a iúrgiis, lítibus et a lítibus.
Abstinére vino.
Abstinére manus ab aliénis.
Tota via erráre.
Referre ad institutiónem áliquid.
Reddénda nobis aliquándo rátio de quovis verbo otióso.
Vidéris mihi recte sentíre.
Assentíri alícui.
Instat nobis áliud negótium.
Insto intérdum idem quod insísto, ut: rectam instas viam, id est, insístis vel ingréssus es viam rectam: intérdum idem quod imminére vel propínquum esse.

Collóquium XXX.

Arguméntum: ***Martínus et Nicoláus iocántes se exércent in usu et syntáxi huius nóminis: domus; et óbiter ália simul tractant. Sine Dei voluntáte nihil fit.***

MARTÍNUS, NICOLÁUS.

Mar. Quod est tibi domicílium? *Nic.* Patérna domus. *Mar.* Unde nunc venis? *Nic.* Domo. *Mar.* Ubi cenábis? *Nic.* Domi vestrae, ut spero. *Mar.* Qui scis? *Nic.* Pater ipse tuus hódie me invitávit. *Mar.* Ubi illum vidísti? *Nic.* Domi Geórgii. *Mar.* Quod illic erat tibi negótium? *Nic.* Pater me míserat nuntiátum áliquid. *Mar.* Scire etiam velim, ubi sis cubitúrus? *Nic.* Domi fratris. *Mar.* Quid habes negótii cum fratre tuo? *Nic.* Dixit soróri nostrae se velle convenire me otióse. *Mar.* In qua domo hábitat? *Nic.* In quadam conductícia. *Mar.* Eho, nullámne habet própriam domum? *Nic.* Habet quidem, sed eam locat quibúsdam inquilínis. *Mar.* Locat ígitur domum própriam, condúcit aliénam? *Nic.* Scílicet ut ex me audis. *Mar.* Quanti locat? *Nic.* Duodevigínti aúreis itálicis. *Mar.* Cur illam non pótius hábitat? *Nic.* Quia sita non est in loco satis cómmodo, sive, ut ita loquar, mercatório. *Mar.* Sed illam aliénam quanti condúcit? *Nic.* Longe pluris. *Mar.* Quanti ígitur? *Nic.* Quinque et vigínti. *Mar.* Cara est habitátio. *Nic.* Caríssima: sed quid agas? Loci commóditas id facit. *Mar.* Age, ut aliquándo tandem finiámus, dic precor, scisne ubi cras futúrus sis? *Nic.* Domum revértar, ut inde in scholam me cónferam: si quidem permíserit Dóminus. *Mar.* Cur addis: si Dóminus permíserit? *Nic.* Quia nisi permíssu Dei, ne domo quidem exíre póssumus. *Mar.* Istud audívi saepe ex praeceptóre. *Nic.* Cur ergo rogábas? *Mar.* Quia numquam nimis dícitur, quod bene dictum fúerit, praesértim ubi de rebus divínis ágitur. *Nic.* Istud quoque ex praeceptóre didícimus. *Mar.* Verum: sed útile est tália saepe repétere ad memóriam exercéndam. *Nic.* Vide, quo nos sensim addúxerit tua prima interrogátio! *Mar.* Tantum vólui paucis verbis tecum iocári. *Nic.* Age quóniam nunc satis ánimum exercúimus, non vis étiam corpus exercére valetúdinis causa? *Mar.* Quidni velim? *Nic.* Eámus ígitur lusum pila manuáli; eo lusu scio te delectári. *Mar.* Deléctor sane: sed nunc pilam non hábeo. *Nic.* Ecce tibi: séquere me. *Mar.* Ego te sequor libens: tu me bene dúcito.

Quodnam est Friderícо domicílium?
Est ipsi domus patérna.
Veníre domo.
Affínis tuus hódie cenábit domi nostrae.
Paréntes tui invitárunt me hódie ad cenam.
Cena magnífica et lauta; cena spléndida, copiósa, opípara.
Cena moderáta et honésta.
Invitáre, vocáre áliquem ad cenam, ad prándium.
Repétere convívium.
Quod tibi hic negótium? quid tibi hic negótii?
Praecéptor, ignósce mihi, quod tam sero véniam, pater misit me nuntiátum áliquid.
Hódie Cornélius cubitúrus est domi fratris mei.
Quid habétis negótii cum scurris istis?
Quid vobis negótii cum scurris?
Convenire áliquem.
Futúro die Mercúrii conveniémus te.
Habitáre in domo conductícia.
Locáre domum vigínti aúreis in annum.
Condúxit domum trigínta tribus imperiálibus.
Hábitat trédecim aúreis.
Domus amíca, domus óptima (provérbium).
Locáre domum quadragínta aúreis in annum.
Domus cónsulis sita est in foro frumentário.
Loci commóditas facit, ut habitátio ádeo cara sit.
Revérti domum ... in pátriam.
Conférre se in scholam.
Si Dóminus permíserit.
Sine permíssu Dei ne domo quidem exíre póssumus.
Audívi ex praeceptóre, ex patre, ex tabellário, núntio, veredário, cursóre público.
Numquam nimis dícitur, quod numquam satis díscitur.
Dídici ex illo.
Repétere áliquid ad exercéndam memóriam.
Vide, quo collóquium nostrum addúxerit nos.
Addúcere áliquem ad misericórdiam.
Addúcere in summas angústias.
Addúcere áliquem in discrímen.
Addúcere áliquem in ius.
Non possum addúci, ut credam, ut fáciam.
Iocári cum áliquo.

Exercére ánimum ... corpus.
Valetúdinis causa.
Ire lusum pila ... conis, glóbulis. Manubriáto retículo ac pila lúdere; proélia latrónum lúdere.
Delectátur lusu pilae ... lusu globulórum.
Abscédite paulum, ut fériam pilam.
Amísi pilam e conspéctu meo.
Pila non potest hinc longe abésse.
Qui abérrat a pila, perdit ius feriéndi ... Ecce tibi pila.
Ordo ludéndi redit ad me.
Scio te delectári lusu chartárum.
Per telephónium cólloqui; per telephónium loqui.

Collóquium XXXI.

Arguméntum: ***Eúntes in scholam latíne loquúntur. Símile gaudet símili. Improbórum mores probis odiósi.***

NICÓMACHUS, OTHOMÁNNUS.

Nico. Salve Othománne. *Otho.* Tu quoque salvus sis, Nicómache. Quota est hora? *Nico.* Mox aúdies sonum semihórae post quintam. *Otho.* Bene habet: matúre satis adérimus. *Nico.* Gaúdeo me tibi occurrísse, ut eúntes latíne tantísper colloquámur. *Otho.* Ea sane est útilis et iucúnda exercitátio. *Nico.* Quóties íncido in áliquem ex istis dissolútis nebulónibus, mallem raedárium offendísse. Non enim per eos mihi licet áliquid in via meditári, ádeo mihi sunt eórum mores odiósi. *Otho.* Nihil mirum; nam fere sunt eiúsmodi, ut neque loqui velint quídpiam boni, neque audíre sustíneant. *Nico.* Quid cum illis agas, quibus nihil est curae, nisi ut suas libídines éxpleant? *Otho.* Nihil áliud crepant nisi suas cuppédias, et meras compotatiónes in secrétis caupónulis. *Nico.* Étiam nos irríident plnis buccis, quod latíne per vicos loquámur. Illud vero est ómnium péssimum, quod nusquam se patiántur admonéri. *Otho.* Quia scílicet, ut ait Prophéta, non est timor Dei ante óculos eórum. *Nico.* Si quid occéperis amíce commonére, statim aúdies. Tace, contionátor, obtúndis me. Quod si díxeris, déferam te ad praeceptórem, aut ad observatórem: Oh, ego bene curo, ínquiunt: tu non ausus fúeris. Nam si me accusáres, non ferres impúne. *Otho.* Immo vero te contínuo verberábunt, si locus erit semótus ab árbitris. *Nico.* Profécto, cum quidam eórum me

nuper offendísset in quodam recéssu, impégit mihi in utrámque malam duos ingéntes cólaphos: et aufúgit contínuo. *Otho.* Quid tu, quaeso, intérea? *Nico.* Quid istud quaeris? Tam illud súbitum fuit, ut vix hóminem aspícere potúerim. *Otho.* Sed qui tam cito et sensim ad scholam pervénimus? *Nico.* Sic fere confabulántibus usu veníre solet. *Otho.* Age, ingrediámur sine múrmure et strépitu, ne discípulos offendámus.

ELOCÚTIO.

Salvéte, condiscípuli caríssimi.
Salvíne sunt paréntes tui?
Quota hora est? ... prima, secunda etc.
Adésse matúre.
Gaúdeo Ioánnem mihi occúrrere.
Gaúdeo te salvum advenísse.
Veheménter gaudémus, quod mater tua salva adhuc vénerit.
Credo praeceptórem valde gavisúrum fuísse, si audíret nos colloquéntes latíne.
Exercitátio útilis et iucúnda.
Incídere in áliquem.
Cum domum me conférrem, paene íncidi in manus hóstium.
Incídere in errórem.
In mentem hic mihi íncidit.
Offéndere áliquem.
Offéndere caput ad paríetem.
Ásinus ad lápidem non bis offéndit eúndem.
Meditári áliquid.
Nihil licébat nobis in auditório meditári ob inferióris órdinis discípulos.
Meditábor hoc in via.
Mores praetóris vestri mihi odiósi sunt ... dísplicent mihi.
Neque loqui vult quídpiam boni, neque audíre sústinet.
Sustinére dolóres.
Sustinére áliquem auctoritáte sua.
Haec res est ipsi curae.
Nihil ipsi curae est, nisi ut edat et bibat.
Sum illi veheménter curae, est de me valde sollícitus.
Stúdia non sunt ipsi curae, sed mihi maióri curae, quam tibi.
Explére libídines ... explére ánimum alicúius gaúdio.
Explére cupiditátes multa ópera et impénsa.
Explére famem ... sitim ... summam.

Nihil áliud crepant ardaliónes isti, nisi cuppédias, lusus, compotatiónes in caupónulis secrétis.
Irridére áliquem plenis buccis.
Loquímini latíne per vicos aut notabímini ab observatóre.
Condiscípuli non patiúntur se admonéri.
Timor Dómini inítium sapiéntiae.
Commonére áliquem amíce.
Obtúndere áliquem.
Deférre áliquem vel nomen alicúius ad praeceptórem ... custódem.
Non feres impúne ... verberáre áliquem.
Locus semótus ... elígere árbitros.
Impíngere alícui cólaphum in utrámque malam ... impíngere in lápidem.
Sensim pervenire in locum áliquem ... sic usu veníre solet ... offéndere discípulos ... ingrediámini sine múrmure et strépitu scholam ... bini et bini ingrediúntur templum sine múrmure.

Collóquium XXXII.

Arguméntum: ***Res ad bonam scriptúram necessária. Probus puer bene meréndi occasiónem non modo exspéctat, sed étiam quaerit. Cáritas Christiána. Spíritus auctor eius. Exémplum diligénter notándum.***

OTTO, PHILÍPPUS.

Ot. Serióne scribis, an tu inéptis? *Phil.* Équidem scribo sério, cur enim témpore abútar? Tu vero cur istud rogas? *Ot.* Quia vidi aliquándo cum bene scríberes. *Phil.* Scribo intérdum mélius. *Ot.* Qui fit ígitur, ut nunc tam scribas male? *Phil.* Desunt mihi bene scribéndi adiuménta. *Ot.* Quae tandem? *Phil.* Bona charta, bonum atraméntum, bona penna. Nam haec mea charta, ut vides, mísere pérfluit: atraméntum est aquósum et subálbum, penna mollis et male paráta. *Ot.* Cur ista ómnia matúre non providísti? *Phil.* Pecúnia mihi déerat, et nunc étiam deest. *Ot.* Incidísti in illud vulgáre provérbium: « Cui deest pecúnia, huic desunt ómnia ». *Phil.* Sic ágitur mecum. *Ot.* Sed quando te speras acceptúrum? *Phil.* In mercátu próximo pater missúrus est, aut ípsemet ventúrus. *Ot.* Ego te intérea iuváre volo. *Phil.* Si quidem id potes, magno benefício me afféceris. *Ot.* Áccipe hos sex nummos mútuo ad chartam et cétera comparánda. *Phil.* Quam vere dictum est

illud: « amícus certus in re incérta cérnitur! ». Sed quid te impéllit, ut mihi ultro benígne fácias? *Ot.* Cáritas illa Dei, quae, ut Paulus ait, effúsa est in córdibus nostris. *Phil.* Mira est vis divíni Spíritus, qui eius auctor est caritátis. Sed mihi ínterim cogitándum, quómodo tibi réferam grátiam. *Ot.* Parva res est! omítte istam cogitatiónem, ne te impédiat, quo minus in utrámvis aurem dórmias: tantum redde mútuum, cum tibi cómmodum fúerit. *Phil.* Reddam, ut spero, propédiem. *Ot.* Eámus ad precatiónem, ne notémur. *Phil.* Adde unum, si placet. *Ot.* Quid est? *Phil.* Ne hódie incenáti mittámur cúbitum. *Ot.* Ha, ha.

ELOCÚTIO.

Scríbere sério.
Abúti témpore ... abúti penna ... patiéntia alicúius ... ingénio suo.
Male, bene, mélius scríbere.
Exaráre lítteras, píngere scite, períte, non imperíte.
Desunt fratri meo adiuménta studiórum.
Charta pérfluit, transmíttit atraméntum ... quia atraméntum est aquósum et **subálbidum.**
Atraméntum crassum.
Atraméntum tam densum est, ut haéreat in summa fissúra, nec ad litterárum formas effingéndas défluat.
Intíngere pennam in atraméntum ... paráre pennam.
Penna cúspide ténui.
Penna cúspide mollióre.
Deest mihi pecúnia ... deest mihi theca calamária.
Incídere in provérbium vulgáre, tritum adágium.
Incídere in morbum ... incídere in áliquem ... in febrim.
Cui deest pecúnia, huic desunt ómnia.
Sperámus nos cras acceptúros esse pecúniam Amstelodámo.
Sperat frater tuus patrem missúrum esse pecúniam in mercátu próximo Francofurténsi.
Spero, spem hábeo, spe ducor, habet me spes, alor spe.
Iuváre áliquem.
Affícere áliquem benefício ... confícere benefícium in áliquem, exhibére alícui benefícium.
Accípere pecúniam mútuo ... dare mútuo vel mútuam ... accípere áliquid ab áliquo.
Accípere excusatiónem.
Accípere áliquem lépide ... accípere décimas, accípere repúlsam ...
Comparáre sibi áliquid ... comparáre amicítias ... praédium ... bona.

Amícus certus in re incérta cérnitur.
Impéllere áliquem ad bene faciéndum álii.
Cáritas Dei effúsa est in córdibus nostris.
Referre gratiam.
Omíttere cogitatiónes.
Impedíre áliquem áliqua re ... impedíre iter alicúius.
Dormíre in utrámvis aurem.
Réddere mútuum.
Ire ad preces, precatiónem.
Míttere áliquem cúbitum.
Ire cúbitum.
Heri a matre incenáti missi sumus cúbitum.

Collóquium XXXIII.

Arguméntum: ***De emptióne scalpélli librárii et eius exploratióne. Solus Deus bona docet.***

PHILIBÉRTUS, QUINTUS.

Phil. Unde redis tam anhélus? *Quin.* A foro. *Phil.* Quid illinc affers? *Quin.* Scalpéllum. *Phil.* Quanti emísti? *Quin.* Duóbus nummis. *Phil.* Estne bonum? *Quin.* Est e Germánia; ut dixit mercátor: vide notam. *Phil.* Ego mínime novi: sed tu non satis prudénter facis, qui fidas cuílibet mercatóri. *Quin.* Quid fácerem? *Phil.* Debuísti áliquem perítum adhibére, qui tibi óptimum deligeret. *Quin.* Hic errávi, fáteor: sed hoc me consolátur, quod mercátor habétur vir bonus et religiósus. *Phil.* Quasi nulli sint falláces eiúsmodi. *Quin.* Puto esse plúrimos. Sed haec omittámus, quin pótius experiámur ipsum scalpéllum. *Phil.* Experiéntia docébit nos. *Quin.* Áccipe et tenta, óbsecro. Non enim tentávi nisi levíssime idque inter eméndum. *Phil.* Quis te dócuit tam prudénter elígere? *Quin.* Rogas? Non memenísti praeceptórem nobis dícere tam saepe, « Deum esse solum, qui bona dóceat? ». *Phil.* Profécto hic óptime te dócuit. *Quin.* Ago illi ex ánimo grátias: et precor, ut me semper dóceat parére suae voluntáti. *Phil.* Ego quoque idem precor, nec solum nobis, sed étiam piis ómnibus. *Quin.* Facis ut pium decet scholásticum. Sed estne tempus, ut conferámus nos in auditórium? *Phil.* Sic est, sume libros et eámus una.

Redit anhélus ... tristis ... hílaris.
Quid affers novi ex foro?
Quanti emísti, mercátus es, scalpéllum? Duóbus, tribus nummis.
Non émerim vitiósa nuce.
Estne bonum scalpéllum? Sume exémplum.
Ex nota vides cultrum hunc esse e Germánia.
Fídere alícui.
Fide, sed cui, vide.
Fáteor me errásse, non adhibéndo proxenétam perítum, qui delígeret mihi óptimum.
Hoc me consolátur, ea consolatióne susténtor, quod advocátus meus háctenus hábitus est vir bonus.
Consólor me bona consciéntia.
Consolári, solári áliquem, leváre alícui dolórem, minúere maerórem, praebére vel dare alícui solácium, consolatiónem adhibére, sustentáre áliquem consolatióne.
Experíri scalpéllum, cultrum.
Experiéntia docébit.
Experiéntia edócti sumus.
Experíri, periclitári, fácere perículum, tentáre.
Qui scis ergo istud, nisi perículum féceris i.e. re ipsa expértus sis?
Experíri cum perículo.
Expértus haec dico.
Expériar et tentábo ómnia.
Tentávi hunc gládium levíssime, idque inter eméndum.
Elígere áliquid ... elígere ex multis, de multis, a multis.
Elígere áliquem (in) príncipem.
Electíssimi viri civitátis.
Deus solus est, qui bona docet.
Ágere grátias ex ánimo.
Docére áliquem áliquid.
Parére alícui ... obtemperáre, oboedíre, morem gérere, óbsequi alícui.
Precári áliquid ab áliquo.
Precári mala alícui ... bene alícui.
Decet pium púerum religióse oráre, studére diligénter.
Conférre se in locum áliquem ... in scholam, in templum, in forum.
Tempus est, ut conferámus nos in auditórium.
Eámus una.

Collóquium XXXIV.

Arguméntum: ***Consílii mutátio propter spem lucri. Consílium bonum etiam inimícis dandum. Christus magíster óptimus. Doctrína Christi studióse sequénda Spíritus diviní instínctu.***

QUINTUS, ROBÉRTUS.

Quin. Emistíne scalpéllum, ut nuper voluísti? *Rob.* Non emi. *Quin.* Quid óbstitit? Dixísti enim mihi emptúrum te hódie. *Rob.* Díxeram quidem: sed mihi póstea in mentem venit praestáre, ut exspectárem mercátum próxime futúrum in hac ipsa urbe. *Quin.* Quid fácies lucri? *Rob.* Et minóris emam, et melióris notae, nempe ex Germániae officínis ... *Quin* Quis tibi istud consílium dedit? *Rob.* Geórgius noster. *Quin.* Bene fecit: Debémus enim amícis bonum consílium semper dare. *Rob.* Tantúmne ígitur amícis? *Quin.* Immo et inimícis, fáteor: quia sic iubet Christus, praecéptor noster óptimus. *Rob.* Útinam doctrínam eius bene infíxam memóriae conservémus, eámque perpétuo sequámur! *Quin.* Spíritus ille bonus cuius uníus instínctu ánimi nostri ad bene agéndum accendúntur, sit nobíscum. *Rob.* Bene precáris.

ELOCÚTIO.

Émere áliquid: óbolo aúreo.
Emi minóris, vel minóre prétio quam tu.
Quanti emísti fuscínulam? Quanto prétio emísti?
Proficísci ad mercátum.
Dare consílium alícui, consúlere alícui.
Infígere memóriae.
Sequi doctrínam Christi.
Ex instínctu patris hoc fecit. Patre volénte, iubénte.
Bene precári alícui.

Collóquium XXXV.

Arguméntum: ***Scalpéllum commodáto pétitur, datur, sed áddita condicióne. Qui cómmodum accépit, non debet abúti commodáto.***

ROMÁNUS, SILVÉRIUS.

Rom. Habésne scalpéllum? *Sil.* Hábeo. *Rom.* Oro te, cómmoda mihi parúmper. *Sil.* Quando reddes? *Rom.* Cum primum

duos lápides (scriptórios) exacúero. *Sil.* Áccipe, sed ea lege, ut íntegrum reddas. *Rom.* Ea condicíone accéptum intéllego: etiámsi non addidísses. *Sil.* Intellegénti, ut vulgo dícitur, pauca suffíciunt.

ELOCÚTIO.

Commodáre alícui áliquid.
Réddere mútuum.
Cui dedísti chartam mútuam? Petro.
Exacúere lapidem.
Ea lege, ea condicióne, accípio ... hoc pacto.
Intellegénti pauca suffíciunt.

Collóquium XXXVI.

Arguméntum: ***Cultéllus datur commodáto, sed aegre.***

STÉPHANUS, THEODÓRUS.

Steph. Cómmoda mihi parúmper cultéllum tuum. *Theo.* Semper áliquid commodáto petis: áccipe, quin tu eme pótius. *Steph.* Non hábeo pecúniam. *Theo.* Cur non petis? *Steph.* Unde pétam? *Theo.* A patre. *Steph.* Non est in hac urbe. *Theo.* Ubi ígitur? *Steph.* Péregre proféctus est. *Theo.* Quo? *Steph.* Bernam. *Theo.* Quo die? *Steph.* Núdius tértius. *Theo.* Quando revertétur? *Steph.* Cras, ut sperámus: sic enim dixit proficíscens. *Theo.* Bene vertat Deus.

ELOCÚTIO.

Pétere commodáto, rogáre commodáto, accípere commodátum.
Dare mútuo i.e. cum non éadem, sed ália eiúsdem géneris et prétii reddúntur.
Argéntum quaerit mútuo; mútuam quaerit pecúniam.
Pater non est in urbe, sed proféctus est rus.
Quo vicínus tuus proféctus est? Bernam, Basiléam, Lutétiam Parisiórum, Venétias, in Silésiam, in Itáliam.
Quando vítricus tuus revértit?
Futúro die solis, lunae, Martis, Mercúrii, Iovis, Véneris, Satúrni.
Deus bene vertat; Deus fáveat tuis conátibus, Deus hoc tibi fortúnet ...

Collóquium XXXVII.

Arguméntum: ***Theodórus et Villérius de scalpéllo recens empto colloquúntur. Res invénta restituénda est dómino, si cognósci potest. Inventóri dandum áliquod praémium. Deus precándus et laudándus.***

THEODÓRUS, VILLÉRIUS.

Theo. Quid ais de scalpéllo, quod emi tibi núdius tértius: estne satis bonum? *Vill.* Immo vero est óptimum, sed, me míserum, paulum áfuit, quin pérderem. *Theo.* Eho, quid ais? Quómodo id áccidit? *Vill.* Cum redírem foris, éxcidit mihi in vico. *Theo.* Unde éxcidit? *Vill.* E theca mea, quam imprudénter apértam relíqueram. *Theo.* Quómodo recuperásti? *Vill.* Affíxi statim chártulam valvis iánuae, post prándium quidam scholásticus mihi réttulit. *Theo.* Útinam omnes tam fidéles essent, qui res amíssas repériunt. *Vill.* Profécto pauci sunt, qui restítuant, si modo sit res alicúius prétii. *Theo.* Et tamen id verbo Dei ipso praecípitur. *Vill.* Quidni? Est enim furti spécies, si quis rem aliénam invéntam rétinet, modo sciat, cui reddénda sit. *Theo* At pleríque putant se iure possidére, quidquid amíssum invenérunt. *Vill.* Errant illi quidem gravíssime. *Theo.* Verum, ut redeámus ad incéptum sermónem, quid dedísti scholástico, qui scalpéllum tuum invénerat? *Vill.* Dedi duos nummos et áliquot iuglándes: laudávi praetérea et paucis admónui idem semper esse faciéndum. *Theo.* Recte fecísti: sic enim libéntius reddet álias, si quid reppérerit. Sed quid si perdidísses? *Vill.* Aequo ánimo tulíssem: mihi emíssem áliud. *Theo.* Ítane aequo tulísses ánimo? *Vill.* Certe non sine áliqua moléstia. *Theo.* Non ígitur aequo ánimo: sed nolo te ártius urgére. *Vill.* Non sumus theólogi. *Theo.* Quid ergo? *Vill.* Philósophi. *Theo.* Et quidem imperíti. *Vill.* Tanto diligéntius Deum precári debémus, ut per Evangélium suum nos líberet ab ignorántiae ténebris, in quibus versáti sumus. *Theo.* Id vero faciémus, si sanctis admonitiónibus pareámus, quas audímus cotídie a praeceptóre et saepe a divíni verbi minístris. *Vill.* Vide, quantum nobis profúerit scalpélli mei amíssio. *Theo.* Ob eam rem tibi étiam atque étiam grátulor, primum quod tibi recte émeris: deínde quod amíssum recuperáveris. *Vill.* Hábeo tibi grátiam, mi Theodóre. *Theo.* Quin Patri nostro caelésti sit laus et gratiárum áctio.

ELOCÚTIO.

Núdius tértius.
Quid ais de scalpéllo?
Quid ais de theca calamária?

Quando emptus est hic cultéllus scriptórius? Núdius tértius.
Estne bonus? óptimus.
Me míserum! miser ego homo!
Redíre foris.
Pecúnia éxcidit mihi e cruména.
Relínquere cistam apértam ... iánuam apértam.
Recuperáre rem amíssam.
Affígere schédulam valvis iánuae.
Prográmma valvis templi affíxum est.
Puer quidam sextae classis.
Reperíre res amíssas.
Restitúere amíssum.
Res prétii alicúius; res nullíus prétii.
Res magni, máximi prétii.
Praecípere áliquid.
Iure possidére áliquid.
Errávit gravíssime.
Invenire rem amíssam.
Redíre ad sermónem incéptum.
Redíre ad prióra.
Répperi áliquid.
Ferre ánimo aequo ... ferre patiénter ... patiénti ánimo ... patiéntia feréndum, quod mutári non potest.
Urgére áliquem ártius.
Doctor theológiae, iuris, medicínae.
Precári Deum.
Liberáre áliquem ab ignorántiae ténebris.
Liberáti sumus per Christum.
Versári in ténebris.
Parére alícui.
Audíre áliquid ex áliquo.
Verbi divíni magíster vel miníster.
Haec res mihi multum prodest.
Gratulári alícui ... de áliqua re ... áliquam rem, áliqua re.
Recuperáre amíssum.
Habére grátiam alícui.

Collóquium XXXVIII.

Arguméntum: ***Pennae venáles. Divérsa vivéndi rátio pro locórum diversitáte. Hic obsérva commúnem emptórum morem, qui tot verbis conántur de prétio propósito áliquid detráhere.***

VENÁNTIUS, ARNÓLDUS.

Ven. Pennae istae, quas circúmfers, suntne venáles? *Arn.* Étiam, si se emptor obtúlerit. *Ven.* Osténde; vah! quam sunt molles. *Arn.* Tenta diligénter, sunt enim áliae áliis firmióres. *Ven.* Satis vídeo quales sint, quot vis dare pro nummo? *Arn.* Tantum sex. *Ven.* Quid ais? Sex mallem émere a mercatóribus, qui Lutétia et Lugdúno huc áfferunt. *Arn.* Quasi nésciam quanti véneant. Audívi ex fratre, qui dat óperam scribae húius urbis, se emísse Lutétiae quáttuor óbolo. *Ven.* Áliter Lutétíae, áliter Génavae vivitur: sed non opus est tot verbis; vis dare duódecim? *Arn.* Hui! duódecim? Quasi ego furátus sim. *Ven.* Istud non dico: sed vide, an tibi pláceat condício. *Arn.* Vis uno verbo dicam? *Ven.* Dic quaeso: satis iam garrítum est. *Arn.* Dabo tibi novem, modo promíscue de mea manu accípias. *Ven.* Nugas agis, ego sine deléctu nollem accípere quíndecim. Vale, álibi invéniam satis. *Arn.* Per me lícet: heus, heus, redi. *Ven.* Cur me révocas? *Arn.* Áccipe, si vis, octo, nec a me plures exspéctes. *Ven.* Cedo totum fascículum, ut déligam arbitrátu meo. *Arn.* Tene, délige, ut vis. *Ven.* Vide nunc et si libet, númera. *Arn.* Sunt vigínti quáttuor: constat númerus. *Ven.* Áccipe prétium. *Arn.* Bene vertat Deus utríque nostrum. *Ven.* Idem tecum opto, atque precor. Sed quando áfferes melióres pennas? *Arn.* Néscio an melióres possim, sed, ut spero, brevi plures áfferam, cum ad nos domum proficíscar. *Ven.* Non licet mihi diútius hic morári. Vale, Arnólde. *Arn.* Cura, ut váleas, Venánti.

ELOCÚTIO.

Pennae hae venáles sunt.
Circumférre pennas venáles.
Aéstimat fascículum pennárum decem nummis.
Emptor se nondum óbtulit.
Offére se ... offérre alícui áliquid ... auxílium, óperam, spem ... múnera alícui.
Emi dimídio cárius, quam emérunt céteri.

Pennae molles.
Penna caule amplo; penna cúspide ténui ... cúspide duriúscula ... caule nítido et firmo.
Penna una fírmior áltera.
Tentáre pennam.
Quot pennas dabis mihi pro óbolo? Tres, octo, trigínta.
Émere scalpéllum, gladíolum scriptórium a mercatóribus.
Affére Lutétia, Roma, Lugdúno Batavórum.
Quasi nésciat Christóphorus, frater tuus, quanti véneat cornu atramentárium.
Dare óperam alícui ... dare óperam mercatóri.
Dare óperam alícui rei ... músicae.
Dare óperam Platóni.
Haec theca pennária, calamária empta est Bernae, Lutétiae paucis nummis.
Áliter vívitur Lutétiae, áliter Génavae.
Non opus est tot verbis, ubi rerum testimónia adsunt.
Quasi vero furátus sim cálamos.
An me furátum esse putas?
Putásne me dígitis adúncis emísse?
Vis dicam uno verbo?
Accípere pennas promíscue de manu mercatóris.
Ágere nugas.
Accípere sine deléctu.
Per me licet.
Revocáre áliquem.
Áccipe, si vis octo, nec a me plures exspécta.
Cedo totum fascículum.
Delígere arbitrátu suo.
Délige ut vis.
Númera pennas, si libet.
Constat númerus ... accípere prétium.
Proficísci domum ... in pátriam; Cartháginem, Venétias.
Non licet mihi hic diútius morári.
Cura, ut váleas.
Da óperam, ut váleas.
Valetúdinem tuam cura diligénter.

Collóquium XXXIX.

Arguméntum: ***Arnúlphus a Bernárdo pennam commodáto petítam áccipit.***

ARNÚLPHUS, BERNÁRDUS.

Arn. Visne mihi dare unam pennam? *Bern.* Non sic dantur mihi. *Arn.* Hem! rem tantíllam mihi negas? quid si magnum quid rogárem? *Bern.* Fortásse repúlsam ferres. *Arn.* Credo équidem: age non peto dono; saltem commodábis. *Bern.* Non recúso: modo ne abutáre. *Arn.* Non abútar. *Bern.* Cave hinc pedem móveas. *Arn.* Nusquam móveo.

ELOCÚTIO.

Non sic datur mihi charta bíbula, emporética.
Negas mihi rem tantíllam.
Denegáre alícui áliquid.
Rogas magnum áliquid.
Ferre repúlsam.
Non peto dono.
Abúti penna, occasióne.
Cave hinc pedem móveas.
Cave tibi ab illo; cave illum, cave vítia, perícula.

Collóquium XL.

Arguméntum: ***De lápide et penna.***

BONIFÁCIUS, CELSUS.

Boni. Acuistíne lapidem meum? *Cels.* Iam dudum. *Boni.* Cui formae scriptúrae? *Cels.* Medíocri. *Boni.* Maluíssem ad minútas lítteras. *Cels.* Debuísti praedícere. *Boni.* Oblítus eram. *Cels.* Paulum refert, mucrónem fácile mutábo: I petítum. *Boni.* Sed ubi reliquísti? *Cels.* Super mensam hypocaústi. *Boni.* In qua parte? *Cels.* Ubi studére sóleo.

Acúere lapidem.
Proférre pennam ex calamário.
Repónere pennam in calamário.
Penna respérgit chartam atraménto.
Cui formae scripturae vis lapidem aptum?
Ad lítteras minútas ... ad lítteras maiúsculas.
Mutáre mucrónem.
Relíqui gossypium super mensam hypocaústi.
In qua parte?
Studére in muséo.
Studére honestáti.
Studére philosóphiae, theológiae.

Collóquium XLI.

Arguméntum: ***De lapídibus émptis et acuéndis.***

CAMÍLLUS, DESIDÉRIUS.

Desi. Emistíne mihi lápides? *Cam.* Emi, sicut desiderásti. *Desi.* Osténde. Profecto videntur optimi esse. *Cam.* Gaúdeo me utíliter emísse. *Desi.* Non abs re, sed quanti? *Cam.* Pro his duobus dedi óbolum. *Desi.* Síngulos ígitur binis emísti denáriis? *Cam.* Res appáret. Est vile prétium pro rei bonitáte. *Desi.* De quo emísti? *Cam.* De quodam circumforáneo. *Desi.* Apud huius óppidi mercatóres sínguli, et quidem minus boni, véneunt óbolo. *Cam.* Et tamen audent intérdum dícere pluris sibi constáre Lugdúni. *Desi.* Ea fere est mercatórum consuetúdo: nihil enim profíciunt, nisi ádmodum mentiántur, ut ait Cícero. *Cam.* Sed age ne te diútius rémorer, agámus quod instat. *Desi.* Cito expédiam: áspice me diligénter, ut discas aliquándo. *Cam.* Aspício inténtis óculis: sed mihi opus esset spátio paulo longióre. *Desi.* Istud ergo fiet in cubículo, si quando me vis invísere. *Cam.* Quo témpore? *Desi.* Post scholae missiónem: hoc est, hora nona matutína, vel quarta postmeridiána. Nunc habes lapides duos, recte, ni fallor, in usum tuum accommodátos. Hunc tértium in áliud tempus tibi íntegrum servábis. *Cam.* Áccipe tibi, si placet. *Desi.* Quin tibi serva; domo afferúntur mihi satis multi. *Cam.* Ago tibi quantas possum grátias. Vale. *Desi.* Incólumem te consérvet Deus. Sed heus! ne parcas umquam labóri meo. *Cam.* Tu quoque et me et rebus vicíssim útere, si quid opus fúerit. Íterum vale.

Mihi non vidéris nimis occupátus.
Exacúere lápides ... apparáre lápides.
Exacúere dentes.
Exacúere mucrónem in áliquem.
Lapides ad scribéndum aptíssimi ... parum hábiles, ad usum scribéndi.
Gaúdeo me utíliter emísse.
Quantum dedísti pro pállio tuo?
Est prétium vile.
De quo emísti Bíblia ista?
De quodam bibliopóla.
Síngula Bíblia veneunt paucis nummis.
Pluris constant libri tecti cório suíllo quam membrána.
Mercatóres nihil proficiunt, nisi ádmodum mentiántur.
Remorári áliquem.
Agámus quod instat.
Áspice magístrum praeeúntem, ut discas.
Aspícere óculis inténtis.
Opus esset mihi spátio paulo longióre.
Invísere áliquem post missiónem scholae ... cum grex discipulórum dimíssus est.
Hi lápides recte in usum meum accommodáti sunt.
Reserváre áliquid in áliud tempus.
Quin tibi serva has pennas.
Hae pennae allátae sunt mihi domo.
Deus praeceptórem nostrum consérvet salvum et incólumem.
Suntne paréntes tui adhuc salvi et incólumes? Valéntne?
Párcere alícui.
Ne parcas labóri meo.

Collóquium XLII.

Arguméntum: ***Eduárdus et Friderícus experiúntur atraménti sui mixtúram. Mediócritas. Experiéntia. Ex duóbus corrúptis áliquid compónitur.***

EDUÁRDUS, FRIDERÍCUS.

Edu. Habésne bonum atraméntum? *Frid.* Cur istud rogas? *Edu.* Ut mihi des aliquántulum. *Frid.* Eho, non habes? *Edu.*

Immo: sed eo non possum scríbere. *Frid.* Quid obstat? *Edu.* Quia nimis spissum est. *Frid.* Nescis dilúere? *Edu.* Non est mihi aqua. *Frid.* Dílue vino. *Edu.* Multo minus. *Frid.* Quid si acéto díluas? *Edu.* Inde charta perflúeret. *Frid.* Qui scis? *Edu.* Audívi ex magístro quodam, qui docébat me scríbere. *Frid.* Ego vero áliud audívi magis mirum. *Edu.* Narra mihi, sodes. *Frid.* Quid mihi dabis? *Edu.* Bonum pirum. *Frid.* Audi ígitur, quod ego dídici ex quodam paedagógo meo: Atraméntum quod acéto liquefáctum est, aegre elúitur. *Edu.* Fíeri potest: sed ínterim da mihi paulum in usum praeséntem. *Frid.* Tene atramentárium tuum bene apértum: ego infúndam tibi. *Edu.* Ecce, infúnde, Vah! quam líquidum est. *Frid.* Fortásse quia non est cummi satis. Sed quam décolor. *Edu.* Útere si vis eo quale est: non enim hábeo mélius. *Frid.* Quid ígitur fáciam? *Edu.* Hem, inépte, non potes penna tua bene miscére. *Frid.* Míscui satis: quid possem praetérea? *Edu.* Infúnde rursus in cornu meum. *Frid.* Ádmove própius. estne satis? *Edu.* Cómprime penna lintéolum. *Frid.* Ita compréssi, ut fere sit áridum, quid erit tandem? *Edu.* Atraméntum bonum aut certe medíocre. *Frid.* Bona est mediocritátis régula, ut ex praeceptóre didícimus. Sed numquid ex duábus malis rebus cónfici potest áliquid boni? *Edu.* Ubi miscúero et tibi rursus infúdero, vidébis experiméntum. *Frid.* Árdeo istud vidéndi desidério. *Edu.* Pórrige nunc atramentárium tuum. *Frid.* Ecce infúnde; ohe iam satis est: quae istaec est profúsio? plus mihi dedísti, quam tibi retinúeris. *Edu.* Commísce étiam atque étiam. *Frid.* Numquam possit coquus sua iura et condiménta mélius confúndere. *Edu.* Iam tandem fácito perículum. *Frid.* Dicta mihi áliquam senténtiam, ut ínterim discam áliquid. *Edu.* Experiéntia, ut vulgo dícitur, est rerum magístra. Habes? *Frid.* Dicto cítius. *Edu.* Vidélicet iam pridem tenébas. *Frid.* Quis illud ignóret, quod est ádeo vulgáre? *Edu.* Nunc videámus. *Frid.* Res apparébit mélius, ubi scriptúra bene desiccáta fúerit. *Edu.* Quid vis exspectáre? iam sicca est plus satis. *Frid.* Oh, vide quam nigra sit? *Edu.* Dixíne vere? *Frid.* Aliquándo perículum féceras scílicet. *Edu.* Constábit ígitur experiéntiam esse rerum magístram. *Frid.* Quin étiam hinc experímur, ex rerum commixtióne bonam fíeri temperatiónem. *Edu.* Iam íncipis áltius philosophári. ítaque discédo. *Frid.* O longum sermónem de níhilo! *Edu.* Nihil me paénitet: alióqui inérti ótio torpebámus.

ELOCÚTIO.

Bonum mihi est atraméntum.
Fuítne vobis bona cervísia?

Ampúlla atramentária.
Da mihi aliquántulum atraménti.
Atraménto meo non possum scríbere, quia nimis spissum est.
Dilúere atraméntum aqua ... acéto.
Atraméntum dilútius est, subínde infúsa aqua.
Instilláre in atraméntum guttas áliquot aquae, ut sit liquídius.
Charta pérfluit, transmíttit atraméntum.
Docére áliquem légere, scríbere.
Ego audívi magis mirum.
Scio áliquid novi.
Narra mihi sodes.
Atraméntum, quod acéto liquefáctum est, aegre elúitur.
Da mihi paulum atraménti in usum praeséntem.
Tene atramentárium tuum bene apértum.
Infúndere atraméntum in atramentárium ... infúndere in vas.
Atraméntum líquidum est décolor.
An non habes mélius atraméntum?
Miscéto atraméntum tuum penna.
Ádmove atramentárium própius.
Cómprime penna lintéolum.
Numquid ex duábus rebus malis cónfici potest áliquid boni?
Árdeo desidério vidéndi paréntes tuos.
Pórrige mihi atramentárium tuum.
Índere atraméntum in atramentárium.
Satis est ... satis atraménti, pecúniae.
Dedísti mihi plus quam tibi retinúeris.
Commiscére íterum atque íterum.
Coquus sua iura et condiménta confúdit.
Fácere perículum.
Dictáre alícui senténtiam áliquam.
Experiéntia, ut vulgo dícitur, est rerum magístra.
Dictáre cítius ... léntius.
Non possum ássequi praeceptórem dictántem.
Scriptúra desiccáta est.
Scriptúram recéntem púlvere conspérgere.
Scriptúra sicca est plus satis.
Exsiccéntur lítterae per se.
Íncipit philosophári.
Sermo de níhilo ... de lana caprína; de ásini umbra.
Nihil me huius rei paénitet.
Paenitébit te pigrítiae tuae.
Torpére ótio inérti.

Collóquium XLIII.

*Arguméntum: **De emptióne chartae. Auctárium in emptióne. Suam quisque utilitátem curat.***

EUSÉBIUS, FELIX.

Euse. A quo emísti istam chartam? *Fel.* A Faríno. *Euse.* Estne bona? *Fel.* Mélior quam ista tua, ut opínor. *Euse.* Nihil miror. *Fel.* Cur istud dicis? *Euse.* Quia fortásse cárior. *Fel.* Néscio. *Euse.* Quanti emísti scapum? *Fel.* Nummo: tu vero quanti? *Euse.* Nummo et pluris. *Fel.* Quanti ígitur? *Euse.* Quinque nummis. *Fel.* Non male profécto emísti. *Euse.* Quin étiam mercátor dedit mihi auctárium. *Fel.* Quodnam, quaeso? *Euse.* Schedam chartae bíbulae. *Fel.* O me imprudéntem, qui oblítus sum pétere! *Euse.* Ego ne petívi quidem, sed ultro ille dedit: Et hoc inquit addo tibi, ut me revísas. *Fel.* Sic solent emptóres allícere. *Euses.* Nec mirum: suum quisque cómmodum quaerit. *Fel.* Sed quid ágimus, hodiérni pensi immémores? *Euse.* Exíguum est, satis témporis nobis restat.

ELOCÚTIO.

Ibo emptum chartam a mercatóre.
Charta mea mélior est, quam ista tua.
Quanti emísti scapum? Códicem chartae.
Charta émitur in síngulos códices nummis plus minus duóbus.
Mercátor dedit mihi auctárium ... áliquid pro corollário.
Scheda chartae bíbulae émitur óbolo.
Institóres sic allícere solent emptóres.
Ea lege mercátor dedit mihi áliquid corollárii, ut revíseren se.
Ímmemor pensi ... ímmemor mortis.
Satis témporis nobis restat, quia nondum praetériit, tránsiit, exácta est undécima.
Non cónvenit cum re tempus; tempus non fert, concédit, permíttit.
Non licet per tempus; áliud plane tempus, áliud res póstulat, requírit.

Collóquium XLIV.

*Arguméntum: **Quidam ex iis, qui profécti sunt, dissimulánter recúsat iúveni chartam in libéllum compíngere: sed obláta occa-***

sióne, de minútis rebus cum illo fabulátur: ut eum sic in lingua latína exérceat. Eádem ópera, ut iúvenis caritátis exémplum discat, compíngit ei libéllum chartáceum. Postrémo illum paucis et brévibus praecéptis instítuit. Exémplum dissimulatiónis in bonum

FRANCÍSCUS, GERVÁSIUS.

Fran. Rogo te, Gervási, compínge mihi hanc chartam. *Ger.* Quid me rogas? non est ars mea. *Fran.* Et tamen saepe compíngis áliis! *Ger.* Quot habes schedas? *Fran.* Octo: sed iam sunt complicátae.; tantum restat, insúere membránae. *Ger.* Quid dabis, si tibi compégero? *Fran.* Nihil hábeo, quod possim dare: nam pecúnia nulla mihi est. *Ger.* Ergo quaere tibi álium opíficem, non enim gratis fáciam. *Fran.* Mi Gervási, tu es tam bonus. Denegábis mihi rem tantíllam? *Ger.* Scin' tu, quid habeat provérbium? *Fran.* Quod provérbium dicis? *Ger.* « Manus manum lavat (fricat) ». *Fran.* Quid hoc sibi vult? *Ger.* Da áliquid, si quid velis accípere. *Fran.* Si quid habérem, certe darem libénter. *Ger.* Cedo meréndam tuam. *Fran.* Meréndam? ha me míserum! quid edam? Malim dare pílleum, si audérem. *Ger.* Merénda tua parva res est. *Fran.* Sed veheménter esúrio. *Ger.* Quid causae est? *Fran.* Quia nihil prandi nisi frustum panis, et tres aut quáttuor iuglándes. *Ger.* Eho, quid causae fuit? *Fran.* Quia mater domo áberat. *Ger.* Quis ergo tibi dedit meréndam? *Fran.* Ipsa. *Ger.* Atqui dixísti eam afuísse. *Fran.* Verum est: áberat enim témpore prándii: nec rédiit nisi paulo ante meréndam. *Ger.* Nihílne edísti domi, ántequam in ludum veníres? *Fran.* Nihil. *Ger.* Cur non? *Fran.* Quia timébam ut adéssem in témpore. *Ger.* Tintinnábuli sónitus te satis admonére debet. *Fran.* Sed raro audímus in nostris aédibus. *Ger.* Quid ita? *Fran.* Quia longe nimis ab hac schola absunt. *Ger.* Suntne vera ista ómnia, quae mihi narras? *Fran.* Vera profécto, Gervási. *Ger.* Age, da mihi tuam chartam, ego tibi compíngam elegántem libéllum! tu ínterim ede meréndam tuam. *Fran.* Ego petam a matre óbolum, quem dabo tibi. *Ger.* Cave petas, nihil volo: quin pótius darem tibi, si egéres. *Fran.* Ago tibi grátias. *Ger.* Nonne pútábas me sério pétere abs te meréndam? *Fran.* Profécto sic putábam. *Ger.* Atqui dicébam ioco. *Fran.* Quam ob rem? *Ger.* Ut paulísper audírem te latíne fabulári. Nam quod bene discis, gaúdeo. Quanti emísti chartam hanc? *Franc.* Dedi pro códice duos nummos. *Ger.* Non emísti male, bona est: sed non recte complicásti. Habésne membránam? *Fran.* Ecce tibi. *Ger.* Bene res habet: ego cítius confécero quam tu meréndam peréderis. *Fran.* Habébo tibi máximam grátiam, mi Gervási. *Ger.* Honéste lóqueris: sed me-

ménto, fili, semper vívere in timóre Dómini, diligénter oboedíre matri, frequens esse in schola, díligens in stúdio: non versári cum pravis ac dissolútis: dénique quibus póteris benefácito, quómodo vides me fecísse tibi: intellexístin? *Fran.* Óptime. *Ger.* Fac ígitur ut saepe recordéris. *Fran.* Fáciam, Deo volénte. *Ger.* Ede nunc otióse.

ELOCÚTIO.

Compíngere librum ... consúere.
Glutinátor librorum hunc librum bene quidem compégit, sed depravátus, mutilátus est, non est ínteger.
Glutinátor librórum.
Quot habes schedas?
Complicáre chartam.
Insúere chartam membránae.
Nulla est fratri meo pecúnia.
Denegáre alícui áliquid.
Scin' tu, quid hábeat provérbium?
Manus manum lavat (fricat).
Da, ut accípias.
Cedo meréndam tuam ... cedo librum.
Mallem dare pílleum meum, quam meréndam, si audérem.
Esúrio veheménter.
Prandi nihil, nisi frustum panis.
Quid causae est?
Abésse domo ... témpore prándii.
Veníre in ludum ... domi edéndum, non in ludo.
Timébam ut adéssem in témpore ... ne non adéssem.
Sónitus tintinnábuli ádmonet me de réditu in scholam.
Admonére áliquem de re áliqua et alicúius rei.
Raro audímus horam in nostris aédibus.
Aedes nostrae longe nimis ab hac schola absunt.
Suntne vera ómnia quae narras?
Cave, petas pecúniam.
Cave díxeris, pro: ne dixeris.
Egére pecúnia.
Dícere ioco.
Fabulári latíne.
Quod bene discis, gaúdeo.
Gaúdeo te bene díscere.
Emi hanc chartam óbolo ... nummo.
Dedi pro hoc pállio decem nummos.

Oboedíre matri ... magistrátui.
Vívere in timóre Dómini.
Geórgius frequens est in schola ... díligens in stúdio.
Versári cum pravis ac dissolútis ... cum scurris.
Uti familiaritáte alicúius.
Benefácere ómnibus.
Bene meréri de ómnibus; conférre benefícia in omnes.

Collóquium XLV.

Arguméntum: ***Duo discípuli de usu chartárum pueríliter dísputant.***

GREGÓRIUS, HERMÍNIUS.

Gre. Unde venis? *Herm.* Foris. *Gre.* Quid prodíeras? *Herm.* Ut émerem chartam. *Gre.* Emistíne? *Herm.* Emi. *Gre.* Quantum emísti? *Herm.* Scapum. *Gre.* Quanti? *Herm.* Quinque nummis. *Gre.* Cuius formae? *Herm.* Minóris. *Gre.* Osténde. *Herm.* Vide num bona sit. *Gre.* Bona est, profécto: in quem usum emísti? *Herm.* Inépte quaeris: quis est chartárum usus nisi ad scribéndum? *Gre.* Immo álius. *Herm.* Quis, cedo? *Gre.* Ad merces involvéndas. *Herm.* Intellegébam de charta scholástica, non de emporética, non enim sum mercátor. *Gre.* Útimur étiam charta ad siccándam recéntem scriptúram. *Herm.* Satis scio, sed charta illa est bíbula. *Gre.* Et tamen charta est. *Herm.* Esto. *Gre.* Ergo múltiplex est chartae usus, étiam in schola. *Herm.* Cogor fátéri. *Gre.* Étiam dicam tibi álium usum et quidem in schola frequentíssimum. *Herm.* Quem? *Gre.* Non ausim dícere sine praefatióne honóris. *Herm.* Quid opus est inter nos honórem praefári? non enim verba foetent. *Gre.* Dicam ígitur, quando ita vis. *Herm.* Dic líbere. *Gre.* Charta purgatória. *Herm.* Illuc non semper feruntur chartae purae, sed iam scriptae, eaéque inútiles. *Gre.* Quid tum? chartae sunt tamen. *Herm.* At ego de charta pura et nova loquébar. *Gre.* Sed ínterim victus es. *Herm.* Sic ita sane: non me paénitet disputatiúnculae huius nostrae. Sed iam a lusu discéditur. *Gre.* Et nos ergo loco cedámus.

ELOCÚTIO.

Veníre foris. Unde venis et quo tendis? Unde venis et quo vadis?

Quantum chartae emísti? ... scapum ... schedam ... volúmen chartárum.
Charta formae minóris.
Quis est huius rei usus?
Cui rei útilis? Ad quid prodest, confert? quorsum valet haec res? cui bono haec res? Ad quid conducíbilis?
In quem usum emísti hanc chartam? Ad scribéndum.
Quaérere inépte.
Invólvere merces charta emporética.
Charta thuri involvéndo accommodáta.
Siccáre scriptúram.
Púlverem de paríete rádere.
Ad siccándam scriptúram.
Cogor fatéri multíplicem esse chartae usum.
Usus frequentíssimus.
Non ausim dícere sine praefatióne honóris.
Praefári honórem.
Paénitet me huius disputatiónis ... salva vénia, salvo honóre.
Discédere a lusu.
Cédere loco.

Collóquium XLVI.

Arguméntum: ***Charta mútuo data repóscitur. Prudéntis est prius referre in códicem expénsi, quam áliquid crédere sive dare mútuo.***

HERMÁNNUS, IÚLIUS.

Herm. Meminístin' me tibi nuper dedísse chartam mútuo? *Iul.* Quidni memínerim? non ádeo sum obliviósus. *Herm.* Quot erant schedae? *Iul.* Quáttuor. *Herm.* Cur non reddidísti? *Iul.* Exspectávi, dum habérem códicem. *Herm.* Habuistíne tandem? *Iul.* Tantum hódie. *Herm.* Unde nactus es? *Iul.* Petívi a praeceptóre. *Herm.* Ubi? *Iul.* In bibliothéca eius. *Herm.* Quid ille, dedítne libénter? *Iul.* Misit me ad hypodidáscalum, qui statim dedit códicem. *Herm.* Non ante in suum códicem réttulit? *Iul.* Nihil dare solet, quin prius inscríbat. *Herm.* Audívi ex patre id esse viri prudéntis. *Iul.* Praesértim si reddénda est rátio *Herm.* Sed quibus indíciis dare tibi ausus est? *Iul.* Osténdi illi áliquid manu mea scriptum in libéllo meo: sic enim, ut scis, fácere solémus. *Herm.* Reddes ergo mihi mútuum? *Iul.* Post prándium statim, ne dubitáveris.

ELOCÚTIO.

Réddere alícui mútuum.
Exspécta, dum rédeat novérca.
Unde nactus es tantam pecúniae summam?
Socer misit génerum ad hypodidáscalum.
Referre in códicem.
Referre exercítia in librum exercitiórum.
Inscríbere in librum et in libro.
Est viri prudéntis.
Ratiónem réddere.
Hoc mihi indício esse potest.
Hinc collígere, conícere possum.
Sunt certíssima arguménta et indícia te hoc fecísse.
Réddere mútuum.

Collóquium XLVII.

Arguméntum: ***De scriptióne colloquúntur.***

IÚLIUS, LUDOVÍCUS.

Iul. Cur non scribis? *Lud.* Iam scripsi meam páginam, tu vero? *Iul.* Eo scriptum in área. *Lud.* Quid ita? *Iul.* Quia serénum est caelum. *Lud.* Festína, tempus abit: et mox exígitur rátio.

ELOCÚTIO.

Ire scriptum exercítia.
Caelum est serénum.
Caelum nullis núbibus est obdúctum.
Exígere ratiónem.
Festína lente.
Homo urbaníssimus.
Unus aut summum alter.
Unus post álterum.

Collóquium XLVIII.

Arguméntum: Ludovícus Michaélis vult dictáta descríbere. Míchael permíttere non audet, ne a praeceptóre arguátur. Nec falléndum, nec mentiéndum est. Praestat discípulum timidiórem esse, quam audaciórem.

LUDOVÍCUS, MÍCHAEL.

Lud. Quid agis? *Mich.* Scribo. *Lud.* Quid scribis? *Mich.* Descríbo dictáta praeceptóris. *Lud.* Quaenam? *Mich.* Hestérna. *Lud.* Quid? Non affuísti? *Mich.* Immo áffui: sed non pótui magístrum dictántem ássequi. *Lud.* Quae res te impédiit? *Mich.* Quod satis cómmode non sedi. *Lud.* Venísti ergo sero. *Mich.* Istud est. *Lud.* Cedo commentárium tuum, égomet tibi scribam. *Mich.* Quid fáciam lucri? *Lud.* Ego cítius quam tu descríbam: post ludémus una, ut concéssit praecéptor. Da, inquam, libéllum tuum. *Mich.* Libénter id quidem fácerem, sed non aúdeo. *Lud.* Quid times? *Mich.* Edíctum praeceptóris. *Lud.* Quod mihi edíctum narras? *Mich.* Nescis eum vetuísse, ne quis sine permíssu eius álteri scríberet? *Lud.* Id ego probe mémini: sed unde hoc sciet? *Mich.* Rogas? Cum, emendándi causa, scriptúrae ratiónem éxiget, tum cápiar. Novit enim manum meam: praetérea neque mentiéndum, neque falléndum est. *Lud.* Verbo Dei utrúmque vetátur. *Mich.* Quid ergo respondébo praeceptóri, cum ille negáverit me ista scripsísse? *Lud.* Non eo res evádet, spero. *Mich.* Nolo tua spe tantum subíre perículum. *Lud.* Vah! nímium tímidus es: numquam rem fácies. *Mich.* At tu fórsitan audácior. *Lud.* Tu ígitur scribe quantum vis, ego ad ludéndum me cónfero. *Mich.* Abi quaeso: iam unam páginam descripsíssem, nisi me interpellásses. *Lud.* Ínterim áliquid profícimus, dum latíne fabulámur.

ELOCÚTIO.

Descríbere áliquem.
Descríbere ex códice manu scripto.
Non possum ássequi magístrum dictántem.
Sedére cómmode.
Veníre séro.
Princeps concéssit, permísit.
Tímeo edíctum praeceptóris.
Quae tu mihi sómnia narras.

Non licet scríbere álteri sine permíssu praeceptóris.
Nescis non licére loqui submísse inter nos?
Exígere ratiónem scriptúrae, emendándi causa.
Novi manum tuam.
Mentiéndum non est.
Ne verbum quidem respóndit affíni suo.
Quid respóndit tibi; quid tibi dedit respónsi?
Nego te hoc scripsísse.
Res eo non evádet, spero.
Subíre perículum, spe alterius.
Fácere rem.
Tu es audácior omnibus tuis condiscípulis.
Conférre se ad ludéndum. Manubriáti retículi ludus; manubriáto retículo ac pila lúdere.
Interpelláre áliquem.
Fabulári latíne.

Collóquium XLIX.

*Argumentum: **Evocátur Augustínus a fratre per Michaelem internúntium.***

MÍCHAEL, AUGUSTÍNUS.

Mich. Heus, Augustíne. *Aug.* Quid vis? *Miche.* Arcésseris. *Aug.* Qui me vocat? *Mich.* Frater tuus. *Aug.* Ubi est? *Mich.* Prae fóribus te exspéctat. *Aug.* Certo scis esse fratrem meum? *Mich.* Quidni sciam? Vidi illum et sum allocútus. *Aug.* Viso sane quid sit.

ELOCÚTIO.

Heus, Philíppe.
Arcessítus sum a cónsule ... a magístro ad ...
Certo scis esse praetórem huius urbis?
Quidni sciam?
Álloqui áliquem verbis blandis ... verbis durióribus.

Collóquium L.

Arguméntum: ***In hoc collóquio quaesíta est colloquéndi matéria ex simuláto ludéndi praetéxtu. Exémplum bonae índolis iúvenum, cum alter bene monet, alter paret sine controvérsia.***

NICOLÁUS, GEÓRGIUS.

Nic. Salve, Geórgi! *Ge.* Tu quoque salvus sis, Nicoláe. *Nic.* Ludámus paulísper. *Ge.* Quid ais inépte? Vix scholam ingréssus es et iam de ludo lóqueris. *Nic.* Noli irásci, quaeso. *Ge.* Non iráscor. *Nic.* Quid ergo sic exclámas? *Ge.* Accúso tuam stultítiam. *Nic.* Non licet ígitur lúdere? *Ge.* Immo licet, at cum tempus est. *Nic.* Vah, tu nímium sapis. *Ge.* Útinam sáperem satis! sed mitte me, quaeso, ut répetam quae mox reddénda erunt praeceptóri. *Nic.* Aequum dicis: volo ego quoque tecum repétere, si tibi placet. *Ge.* Eho, quid hoc est? Quid sibi vult ista tam súbita mutátio? Nonne tu modo locútus es de lusu? *Nic.* Locútus sum quidem, sed non sério. *Ge.* Cur simulásti? *Nic.* Ut paucis tecum fabulárer. *Ge.* Quid hoc prodest? *Nic.* Etiam rogas? Numquam audivísti ex praeceptóre? *Ge.* Nunc mihi non occúrrit: quid, inquam, prodest confabulári? *Nic.* Ad nos in latína lingua exercéndos. *Ge.* Profécto recte putas: et ego te nunc magis amo. *Nic.* Hábeo tibi grátiam: age repetámus praelectiónem: nam brevi praecéptor áderit.

ELOCÚTIO.

Íngredi scholam.
Desidérius vix scholam ingréssus est et iam de ludo lóquitur.
Noli irásci mihi, quaeso.
Provocáre ad iram áliquem.
Accusáre áliquem alicúius rei ... furti.
Nímium sapis.
Repétere reddénda praeceptóri.
Simuláre probitátem.
Simuláre morbum.
Audíre áliquid ex áliquo.
Non occúrrit mihi nunc.
Exercére se in lingua latína.
Hábeo tibi grátiam.
Praecéptor brevi áderit ... áderit opinióne cítius.

Collóquium LI.

Arguméntum: ***Invitátio ad ánimum relaxándum. Córporis exercitátio confert valetúdini.***

ÓDILO, PAULUS.

Odi. Visne veníre mecum? *Paul.* Quo próperas? *Odi.* Ad lacum. *Paul.* Quid eo? *Odi.* Lotum pedes. *Paul.* I, sane, nunc lotióne mihi opus non est. *Odi.* Sed ínterim paulum fabulábimur. *Paul.* Ne fabulári quídem nunc velim. *Odi.* Atqui útilis est confabulátio, modo agat de honéstis rebus. *Paul.* At mihi utílior est ad valetúdinem exercitátio córporis. *Odi.* Quid si mánsero tecum? *Paul.* Prudénter fácies: et nos pila manuáli colludémus. *Odi.* Bene vertat Deus, máneo. *Paul.* Álias lotum una tecum ibo: cum scílicet lóngius erit témporis spátium. *Odi.* Ad ludum ígitur nos accingámus. *Paul.* Nulla est in me mora.

ELOCÚTIO.

Veni mecum. Latrúnculis lúdere vel próelia latrónum lúdere.
Quo próperas? Ad lacum, lotum pedes meos.
Non opus est Petro lotióne.
Opus est homínibus victu et amíctu.
Confabulári de rebus honéstis.
Exercitátio córporis útilis est ad valetúdinem.
Collúdere pila manuáli.
Post prándium exercébo me pila manuáli.
Excípere pilam ... repéllere pilam ... remíttere pilam.
Deus bene vertat.
Cum lóngius erit mihi témporis spátium, ibo tecum.
Accíngere se ad iter ... ad ludum.
Accíngere se óperi, ad rem áliquam.

Collóquium LII.

Arguméntum: ***Invitátio ad ambulatiónem. Dei ópera invitáre debent ad eum imitándum.***

ARNÚLPHUS, MAXIMILIÁNUS.

Arn. Iam dudum taedet me tóties repétere lusus scholásticos. *Max.* Quid fácias ígitur? *Arn.* Eámus in hortum nostrum. *Max.*

Quid agémus? *Arn.* Ambulábimus, colloqúemur, Dei benefícia in eius opéribus commemorábimus. *Max.* Nihil sane iucúndius: sed peténda erit a praeceptóre vénia. *Arn.* Iam impetrávi mihi et item álteri, quem vellem dúcere. *Max.* Bene res habet, eámus, ducénte Deo. *Arn.* Precor ut nos custódiat. *Max.* Ego quoque idem precor tecum.

ELOCÚTIO.

Taedet me vitae, taedet me vívere.
Ire in hortum.
Commemoráre benefícia Dei in eius opéribus.
Nihil iucúndius est isto lusu.
Peténda est vénia a praeceptóre.
Impetrávi potestátem ludéndi.
Precor, ut Deus te ducat et redúcat.

Collóquium LIII.

Arguméntum: ***Invitátio ad lusum. Evéntus ludi. Quidquid nobis áccidit, est boni consuléndum. Ditáre áliquem solíus est Dei. Spe lucri non est ludéndum. Ethnicórum doctrína de fortúna. Admonítio cáreat ódio et invídia. Solus Deus est animórum scrutátor. Exémplum admonitiónis mútuae.***

HENRÍCUS, BONIFÁCIUS.

Hen. Ubi sunt iuglándes tuae? *Bon.* De quibus lóqueris iuglándibus? *Hen.* Quas hódie ex praémio accepísti. *Bon.* Ubi sint, rogas? Quasi eas tibi serváre debúerim. *Hen.* Non sic intéllego: sed quaero, quid féceris. *Bon.* Edi in merénda. *Hen.* Edísti, miser? Cur pótius non servásti ad ludéndum? *Bon.* Édere málui, quam pérdere. *Hen.* Non póteras pérdere nisi duódecim. *Bon.* Fáteor. *Hen.* Quod si sors tulísset, potuísses ducéntas aut fortásse plures lucrifácere. *Bon.* Dúbius est, ut vulgo dícitur, ludi evéntus. *Hen.* Quid tum? Ubíque paráti esse debémus in utrámque partem, et boni consúlere, quidquid nobis evénerit. *Bon.* Istud ego scio: sed non sum ádmodum ludéndi perítus in eo génere. *Hen.* Abi, numquam rem fácies. *Bon.* Nemo rem facit, nisi Deo volénte, nec ego ditári ex ludo velim. *Hen.* Ergo, ut vídeo, quaeréndus est mihi collúsor álius. *Bon.* Nihil sane impédio. Sed mane parúmper. *Hen.*

Quid vis? *Bon.* Quid tu vocas sortem, de qua hic mihi mentiónem fecísti? *Hen.* Ipsam fortúnam. *Bon.* Quid autem est fortúna? *Hen.* Stultórum opínio. *Bon.* De fortúna quid opinántur stulti? *Hen.* Nunc mihi non vacat de hoc tibi respondére: sed vide annotatiónem praeceptóris in Catónem. *Bon.* In quem locum? *Hen.* In illum versículum: « Indúlget fortúna malis, ut laédere possit ». *Bon.* Ut vídeo, non ignóras, quid sit fortúna. *Hen.* Satis scio fortúnam nihil esse. *Bon.* Cur ergo dixísti, quod si sors tulísset? *Hen.* Áccidit ut sic loquar ethnicórum more. Nam eórum libri, ut saepe docet praecéptor, pleni sunt eiúsmodi ímpiae doctrínae. *Bon.* Nihil mirum: nempe illi veram Dei cognitiónem non habuérunt. *Hen.* Sed audi me, Bonifáci, si vis ámplius disputáre, quaere tibi álios disputatóres: nam mihi nunc sério ludéndum est: volo tamen prius te vicíssim admonére. *Bon.* O quam gratum mihi féceris! *Hen.* Nonne tu dixísti haec verba: Dúbius est ludi evéntus? *Bon.* Fáteor me dixísse, sed praemunívi. *Hen.* Quómodo hoc intéllegis? *Bon.* Áddidi enim haec tria verba: ut vulgo dícitur. *Hen.* O astútam vulpéculam! os occlusísti mihi. Sed haec inter nos sine odio aut malevoléntia dicta sint. *Bon.* Novit Deus utriúsque ánimum. *Hen.* Est enim ille solus animórum scrutátor. Sed quid tu? Vis hic solus ótio torpéscere? *Bon.* Cógito, quo lusu me exérceam. *Hen.* Quasi sit diútius cogitándum. Age, séquere me, dabo tibi mútuo iuglándes. *Bon.* Amíce nunc lóqueris, sed quando reddam? *Hen.* Ad caléndas graecas: si non póteris cítius. *Bon.* O festívum caput! eámus.

ELOCÚTIO.

Accípere áliquid ex praémio.
Has iuglándes accépi ex praémio.
Tibi non servávi.
Serváre ad ludéndum ... spe lucri.
Édere in merénda.
Quod si sors túlerit.
Lucrifácere pecúniam.
Dúbius est ludi evéntus, ut vulgo dícitur.
Parátus sum in utrámque partem.
Boni consuléndum, quidquid nobis áccidit.
Non sum ludéndi perítus in eo génere.
Perítus lusus ... iuris, legis.
Numquam rem fácies.
Nemo rem facit, nisi Deo volénte.
Ego ex ludo ditári nolim.

Quaeréndus est tibi collúsor álius.
Quaérere collusórem.
Fácere mentiónem alicúius rei; de re áliqua.
Non vacat mihi nunc respondére tibi.
Respondére alícui de re áliqua, et áliquid.
Loqui more ethnicórum.
Liber plenus ímpia doctrína; vel ímpiae doctrínae.
Fácere alícui gratum.
Occlúdere alícui os.
Obturáre homínibus ora.
Haec inter nos dicta sint.
Deus est animórum scrutátor.
Torpéscere ótio.
Exercére se ludo áliquo.
Sequi áliquem ... Christum. Dare alícui áliquid mútuo.
Reddes mútuum ad caléndas graecas.

Collóquium LIV.

Arguméntum: ***Invitátur ad lusum quidam: ille stúdium praefert lúsui. Exémplum rarum púeri studiósi. Ómnia tempus habent. Uténdum remissiónibus in témpore.***

ROBÉRTUS, STÉPHANUS.

Ro. Qua de re sic elátus es laetítia? *Steph.* Pater meus advénit modo. *Ro.* Quid mea refert? *Steph.* Immo plúrimum, quia nobis impetrávit ludéndi véniam. *Ro.* Ain tu? *Steph.* Vide iúvenes iam ludéntes in área. *Ro.* Ludant sane álii: ego studére malim, quam lúdere. *Steph.* Nec minus ego, sed in témpore. Nam, ut est in provérbio: « Ómnia tempus habent ». Unde et nos recte monet Cato noster: « Interpóne tuis intérdum gaúdia curis, ut possis ánimo quemvis sufférre labórem ». *Ro.* Vera sunt, quae dicis, fáteor: sed ínterim omítte me, ut sério stúdeam. *Steph.* Per me stúdeas licet: nihil impédio: at ego hac utar occasióne. *Ro.* Útere sane.

ELOCÚTIO.

Efférri laetítia ... iracúndia.
Efférri stúdio vidéndi áliquem.
Efférre ánimum ... pedem porta.

Pater meus advénit modo.
Quid mea refert?
Quod tua nihil refert, percontári désine.
Plúrimum mea et fratris mei et totíus civitátis ínterest..
Impetrávi véniam ludéndi.
Ómnia tempus habent.
Interpónere gaúdia curis suis.
Sufférre labórem.
Per me stúdeas licet.
Uti occasióne.

Collóquium LV.

Arguméntum: ***Silvérius et Theodórus parant se ad ludéndum pila manuáli.***

SILVÉRIUS, THEODÓRUS.

Sil. Impetrásti ludéndi facultátem? *Theo.* Impetrávimus. *Sil.* Ad quod usque tempus? *Theo.* Ad cenam usque. *Sil.* Qui dedérunt versus? *Theo.* Primi et secúndi. *Sil.* Quid céterae classes? *Theo.* Primus quisque decúrio trium proximárum clássium pronuntiávit unam e Sacris Lítteris senténtiam. *Sil.* Nonne precáti estis, ut solémus? *Theo.* Precáti et quidem praesénte ludimagístro: tu vero ubi eras? *Sil* Eram domi a matre arcessítus. *Theo.* Nunc ígitur, quid ágere cógitas? *Sil.* Lúdere sesquihóram, deínde ad stúdium me recípere. *Theo.* Vin' tu, tibi sim collúsor? *Sil.* Quidni velim? *Theo.* Quo lusu nos exercébimus? *Sil.* Nullus est mihi incúndior pila manuáli. *Theo.* Nec mihi quidem. *Sil.* Visámus ígitur, an céteri partes sortíti sint, nam si soli ludámus, minus erit voluptátis. *Theo.* Visámus sane.

ELOCÚTIO.

Impetráre facultátem ludéndi. Latrúnculis lúdere; proélia latrónum lúdere.
Ad quod usque tempus impetrásti facultátem ludéndi? Ad véspe-ram usque.
Pronuntiáre senténtiam e Sacris Litteris ... ex catechési.
Arcessítus sum domum.

Lúdere sesquihóram.
Recípere se domum ... ad lusum.
Vin', ut tibi sim collúsor?
Quo lusu exercébimus nos?
Manubriáti retículi ludus; manubriáto retículo ac pila lúderc.
Quod lusus genus tractábimus?
Ludémus álea.
Ludémus cónis.
Contendámus cursu.
Nullus lusus iucúndior est pila manuáli.
Sortíri partes.
Ego et Friderícus ab eádem stamus parte.
Contrárias partes tuéntur Arnúlphus et Geórgius.
Contíngit mihi id quod vólui.

Collóquium LVI.

Arguméntum: Non solum nobis nati sumus: sed álius álium sollícite curáre debet in témpore. Exémplum tempestívae admonitiónis.

TORQUÁTUS, VINCÉNTIUS.

Tor. Quid cógitas, Vincénti? Cave tibi, óbsecro. *Vin.* Quid mihi cavébo? *Tor.* Ne in morbum íncidas. *Vin.* Qua ex causa? *Tor.* Ex nímia lusus intemperántia. *Vin.* Unde appáret perículum? *Tor.* Quia totus aéstuas, totus sudóre mades. *Vin.* Recte et in témpore ádmones: profécto non sentiébam. *Tor.* Desíste, si me audis. *Vin.* Aúdio vero libénter, ac tibi morem gero: quis enim réspuat tam fidéle consílium? *Tor.* Detérge fáciem sudaríolo, et índue te celériter: ne súbitum frigus cóntrahas. *Vin.* Hábeo tibi grátiam: nam fere morbis sum obnóxius. *Tor.* Quid est causae? *Vin.* Infírmitas meae valetúdinis: vides enim, quam imbecíllo sim córpore. *Tor.* Eo magis debes tibi cavére. *Vin.* Istud probe novi, et parens utérque me monet saepíssime; sed quid agas? Natúra proni sumus in nostram perníciem. *Tor.* O mi Vincénti, non est voluptáti serviéndum, sed temperántia valetúdini consuléndum. *Vin.* Est in promptu carmen Catónis in eam senténtiam. *Tor.* Téneo, sed de his álias: iam satis indútus es, non est, quod hic morére diútius. *Vin.* Vale, Torquáte, mónitor amicíssime. *Tor.* Vin' tu domum te dedúcam? *Vin.* Nihil opus est deductióne:

ego belle ma hábeo, Dei benefício. *Tor.* Mi Vincénti, cura ut váleas.

ELOCÚTIO.

Cogitáre de re áliqua.
Cogitáre étiam atque étiam.
Cavére sibi ab áliquo; áliquem.
Cavére áliquid ... vítia.
Cave, ne hoc fácias ... cave hoc fácias, cave féceris.
Incídere in morbum ... in febrim.
Madére sudóre.
Desístere a senténtia sua.
Desístere de senténtia ... senténtia desístere; coeptis.
Gérere morem alícui.
Respúere fidéle consílium praetóris.
Detérgere fáciem sudaríolo.
Indúere se ... indúere pállium ... non fuit indútus pállio.
Contráhere frigus súbitum.
Ávia mea multis morbis est obnóxia.
Esse córpore imbecíllo.
Proni sumus in perníciem nostram ... pronus ad iram.
Servíre alícui ... soror mea servit mercatóri.
Consúlere valetúdini suae.
Pecúnia est in promptu ... habére praeséntem pecúniam.
Nondum est indútus pállio.
Belle habére, bene valére.

Collóquium LVII.

Arguméntum: ***Diligéntiae laus.***

VINCÉNTIUS, AUGUSTÍNUS.

Vin. Cur hódie non lusísti nobíscum? *Au.* Non erat mihi ludéndi spátium. *Vin.* Quid habébas negótii? *Au.* Non absólveram pensum meum. *Vin.* Quod pensum? *Au.* Dimídium exémplar fuit mihi perscribéndum. *Vin.* Perfecistíne? *Au.* Perféci. *Vin.* Laudo tuam diligéntiam, ludes álias otióse. *Au.* Cum volúerit Deus. *Vin.* Recte dicis; nam absque voluntáte eius fieri nihil potest.

Praebére se exémplum virtútis.
Lude nobíscum, Friderície.
Ego ludum absólvam ... ad finem usque pérsequar.
Hábeo áliquid describéndum.
Praescríbere alícui, ad áliquem, de áliqua re.
Scríbere ad exémplar.
Scríbere litterárum formas.
Lude otióse ... ludámus, dum licet per lucem.

FINIS LIBRI SECUNDI

LIBER TERTIUS

De móribus aliísque extra litterárum stúdia actiónibus

Collóquium I.

Arguméntum: ***Praecéptum de paréntum oboediéntia refértur ad omnes, qui nobis praesunt. Contentiónes vitándae.***

ALBÉRTUS, AEGÍDIUS.

Alber. Nescis nos vetitos esse submísse loqui inter nos? *Aeg.* Quidni sciam, cum praecéptor tam saepe nobis incúlcet eius rei causas? *Albert.* Cur ígitur modo fecísti contra? *Aeg.* Quia Robértus ita me coéperat álloqui. *Alber.* Quid tum? debuísti eum admonére, non imitári. *Aeg.* Débui, sed tunc mihi non venit in mentem. *Alber.* Sed ínterim notándus es. *Aeg.* Mínime vero: nisi vis esse ipso praeceptóre sevérior. *Alber.* Dic mihi causam. *Aeg.* Quia praecéptor vetat quémpiam notári, qui sponte delíctum agnóverit: modo ne tale sit factum, quod verbo Dei interdíctum sit. *Alber.* Nonne a Deo praecéptum est, ut paréntibus oboediámus? *Aeg.* Illud est quintum decálogi praecéptum. *Alber.* Atqui, ut légimus in libro catechéseos, praecéptum illud patet látius. Nam paréntum nómine praeceptóres compléctitur et magistrátus, et dénique omnes, quibus Deus ipse nos subiécit. *Aeg.* Non équidem nego, vera esse, quae dicis: sed malo praeceptórem consúlere, quam tecum disputáre: alióqui in maius malum me indúceres, quod est contentiónis vítium, multo magis a praeceptóre vétitum. *Alber.* Aequum dicis, memíneris ígitur praeceptórem admonére, cum ratiónes a nobis éxigit. *Aeg.* Ne putáveris me oblitúrum: praesértim cum mea res agátur.

ELOCÚTIO.

Vétitum est quemquam loqui.
Praecéptor vétuit primum notári.
Pater vétuit filium exíre domo.

Ridéndo dícere verum, quid vetat? Vétuit ante brumam áliquid novi negótii íncipi.
Loqui submísse.
Frater tuus semper facit contra ... semper est contrárius; nítitur in vétitum.
Coepit me caupo álloqui.
Admonére áliquem.
Admonére áliquem alicúius rei; de áliqua re.
Imitári áliquem ... chirógraphum alicúius ... sermónes hóminis.
Haec res mihi non venit in mentem.
Hi garriéntes extémplo notándi sunt.
Observátor praeceptóre ipso sevérior est.
Dic mihi causam absséntiae tuae.
Agnóscere sponte delíctum.
Hoc verbo Dei interdíctum, vétitum est.
A Deo praecéptum est, ut oboediámus paréntibus.
Oboedíre, morem gérere alícui.
Illud est quintum, sextum decálogi praecéptum.
Praecéptum quintum nómine caedis etiam compléctitur iram et invídiam.
Deus subiécit nos magistrátui.
Consúlere praeceptórem.
Consúlere alícui.
Indúcere in malum ... in tentatiónem.
Vítium contentiónibus vétitum esse ómnibus liquet.
Memíneris admonére praeceptórem.
Exígere ratiónem ... pensiónem ... poenam ab áliquo.
Exáctae aetátis vir ... exácto mense.
Res mea ágitur.
Tunc tua res ágitur, páries cum próximus ardet.

Collóquium II.

Arguméntum: ***Admonítio de civilitáte morum.***

CORNÉLIUS, BASILÍUS.

Corn. Heus tu, praecéptor adest. *Basil.* Quid tum? *Corn.* Réspice ad eum. *Basil.* Quam ob rem? *Corn.* Ut ei caput apérias et veniéntem salútes. *Basil.* Ita decet fácere: sed áliud cogitávi. *Corn.* Tace.

ELOCÚTIO.

Quid tum?
Praecéptor adest.
Respícere ad áliquem ... respícere finem.
Aperíre alícui caput.
Salúta veniéntem.
Eum ingrediéntem salutávimus.
Decet omnes huius Academíae tirónes, discípulos ita fácere.
Cogitáre áliud ... cogitáre áliquid dies et noctes.
Cogitáre de re áliqua.

Collóquium III.

Arguméntum: ***Duo ad tonsórem eúntes colloquúntur. Nemo gaudet se adíri intempestíve.***

CONRÁDUS, GREGÓRIUS.

Conrad. Quonam is tam celériter? *Greg.* Ad tonsórem. *Conrad.* Ego quoque una tecum. *Greg.* Rogásti véniam? *Conrad.* Non rogávi: sed tantísper exspécta me, dum eo rogátum. *Greg.* Festína ígitur. *Conrad.* Mox redíbo. Rédii: eámus nunc iam. *Greg.* Quo vultu te praecéptor excépit? *Conrad.* Hílari sane. *Greg.* Eódem me quoque accéperat. *Conrad.* Non solet irásci nobis, nisi eum adeámus intempestíve. *Greg.* Quotusquísque id non aegre fert? *Conrad.* Étiam nos, qui adulescéntes sumus, saépius iráscimur condiscípulis, cum stúdia nostra, quantulacúmque sunt, interpéllant. Sed iam desinámus: óptime tonsórem ante officínam vídeo. *Greg.* Euge, nulli sunt ígitur exspectántes: ita fiet, ut minus diu morémur.

ELOCÚTIO.

Quonam is tam celériter? Quo próperas?
Ad tonsórem, habitántem in foro frumentário.
Rogáre véniam delícti.
Praecéptor excépit Bernárdum vultu hílari.
Irásci alícui ... véreor, ne paedagógus irascátur mihi.
Adíre áliquem intempestíve.
Aegre ferre áliquid.

Interpelláre stúdia alicúius.
Vídeo tonsórem ante officínam.
Ante officínam librárium.
Morári, remorári, cunctári, moram tráhere, moram fácere, prodúcere, interpónere moram.
In me non erit mora; ego non ero in mora. Per me nulla erit mora.
Remorári áliquem ... afférre alícui moram.
Exspectáre áliquem, manére áliquem, praestolári; exspécta me hic tantísper, dum rédeam.

Collóquium IV.

Arguméntum: ***Desidérius et Dionýsius colloquúntur de matrimónio. Aduléscens doctus et bene morátus. Puélla bene institúta. Exémplum prósperi coniúgii.***

DESIDÉRIUS, DIONYSIUS.

Desid. Euge, audívi sorórem tuam nupsísse. *Dionys.* Verum audísti. *Desid.* Quis est marítus eius? *Dionys.* Quidam civis Lugdunénsis, honéstis paréntibus progénitus. *Desid.* Estne dives? *Dionys.* Talis habétur: sed tamen pater meus haec longe pluris facit: primum, quod ille sit bene morátus aduléscens: deínde, quod non solum doctíssimus, sed etiam bonárum litterárum amantíssimus: dénique, quod verus Dei cultor et Christiánae religiónis summus observátor. *Desid.* Mihi narras egrégios adulescéntis títulos. O felícem sorórem tuam, quae Dei benefício talem virum nacta est! *Dionys.* Felícem sane non abs re díxeris: modo bonum illud perpétuo sic agnóscat, ut semper memínerit ex Dei bonitáte proféctum esse, ob idque immortáles agat eídem grátias. *Desid.* Credo id eam factúram. *Dionys.* Ita spero quidem, sic enim a paréntibus semper institúta est in doctrína Christiána. Sed me iam álio révocant doméstica negótia. Ergo vale, mi Desidéri. *Desid.* Tu quoque bene vale, suavíssime Dionysi. *Dionys.* Quid vis? *Desid.* Ut verbis meis dicas salútem plúrimam tuis ómnibus, praecípue patri matríque, et ipsi novae nuptae: meque ei gratulári faustum illud coniúgium. *Dionys.* Ego vero id fáciam, et quidem libentíssime.

Audívi sorórem tuam nupsísse fratri meo.
Mercátor Heidelbergénsis.
Progénitus paréntibus honéstis ... bonis paréntibus prognátus est.
Ampla et honésta família progénitus, natus.
Nóbili génere natus est; summo génere natus, claris maióribus, nobilíssima família.
Stirpe antiquíssima.
Obscúris natus paréntibus; obscúris natálibus ortus; obscúro loco natus, vel ignóbili.
Marítus Margarítae habétur vir dives.
Ego pluris fácio virtútem quam nummos.
Aduléscens bene morátus.
Amantíssimus bonárum litterárum.
Narráre alícui áliquid, de re áliqua.
Unusquísque gaudet se honorífice appellári ... se títulis ornári egrégiis.
O felícem sorórem tuam, quae virum talem nacta est.
Nancísci áliquid benefício Dei.
Non abs re fratrem tuum díxeris felícem.
Agnósco bonum illud ex bonitáte Dei profféctum esse.
Multa ab ipso in me benefícia sunt profécta.
Ago Deo grátias immortáles ... agámque, dum vivam.
Agas paréntibus tuis meo nómine diligénter grátias.
Credo sorórem hoc factúram esse.
Institúere áliquem lítteris graecis.
Sic institútus est a praeceptóre ... in doctrína Christi.
Informáre, institúere áliquem in ingénuis ártibus. Imbúere áliquem bonis móribus, doctrína, religióne. Erudíre áliquem in his vel illis rebus.
Negótia doméstica me álio iam révocant.
Dic ómnibus tuis verbis meis salútem.
Salúta omnes tuos meo nómine.
Dixi salútem plúriman novae nuptae.
Grátulor sorórí tuae faustum hoc coniúgium.
Grátulor tibi hanc rem, hac re, de hac re ... Grátulor tibi ductam uxórem.

Collóquium V.

Arguméntum: ***Docti adulescéntis collóquium cum púero qui mediócriter profécit. Admonítio ad praestándam mútuam opem.***

Precátio. Quid púeris agéndum cum mane surréxerint. Deus agnoscéndus est adiútor. Spes certa in Deo pósita néminem frustrátur. Philósophi éthnici multa verbo divíno consentánea dixérunt.

EDUÁRDUS, ALBÉRTUS.

Eduard. Quota hora surrexísti hódie? *Alber.* Paulo ante quintam. *Eduard.* Quis te expergefécit? *Alber.* Nemo. *Eduard.* An céteri iam surréxerant? *Alber.* Nondum. *Eduard.* Non ísti eos excitátum? *Alber.* Non ii. *Eduard.* Quam ob rem? *Alber.* Néscio, nisi quia non putábam illud ad me pertinére. *Eduard.* An non te illi éxcitant intérdum? *Alber.* Immo saepíssime. *Eduard.* Debuísti ígitur simíliter fácere. *Alber.* Débui, fáteor. *Eduard.* Meménto ígitur ut posthac fácias. *Alber.* Fáciam, Deo iuvánte. *Eduard.* Sed tu quid fecísti, cum surrexísti e lecto? *Alber.* Primum flexis génibus precátus sum Patrem caeléstem nómine Fílii eius Dómini nostri Iesu Christi. *Eduard.* Factum bene, quid póstea? *Alber.* Deínde ornávi me, et curávi corpus mediócriter, ut christiánum decet: postrémo ad cotidiána stúdia me réttuli. *Eduard.* Si perges sic fácere, ne dubitáveris, quin Deus tua iuvet stúdia. *Alber.* Adhuc me semper iuvit, quae est eius benígnitas, nec me, ut spero, derelínquet. *Eduard.* Recte lóqueris: nec ille spem tuam frustrábitur. *Alber.* Anno superióre dídici in Catóne: « Spem rétine, spes una hóminem nec morte relínquit ». *Eduard.* Quod retinuísti, bene fecísti: est enim egrégia senténtia et hómine Christiáno digna. *Alber.* Atqui auctor eius libri non fuit christiánus *Eduard.* Non fuit, certa res est. *Alber.* Unde ígitur sumpsit tot pulchras senténtias? *Eduard.* Máxime ex philósophis éthnicis. Nam et ipsi divíno spíritu illumináti, plúrima dixérunt, quae sunt verbo Dei consentánea: quod tu quoque vidére aliquándo póteris, si litterárum stúdium prosequére. *Alber.* Ego prósequar, ut spero, dúmmodo ipse Deus det patri meo vitam longiórem. *Eduard.* Precáre diligénter et ex ánimo, ut hoc contíngat. *Alber.* Cotídie id precor saepe. *Eduard.* Det tibi Dóminus Deus in omni ópere bono perseverántiam. *Alber.* Quod mihi optas, idem tibi precor: et grátias ago, quod me tam fratérne monúisti.

ELOCÚTIO.

Ego surréxi paulo ante quintam, sed conturbernális meus hora séptima.

Expergefácere áliquem: excitáre áliquem e somno vel somno.

Experréctus ... expergefáctus.
Pater nondum surréxit, cúbitu, e strato, e lecto.
Multo ante lucem surréxit, antevértit solis ortum, summo mane surréxit, primo dilúculo.
Dare signum surgéndi.
Quin surgis?
Súrgere sella, a sella, a mensa súrgere.
Ibo excitátum Paulum.
Illud ad me pértinet.
Illi éxcitant me intérdum e somno.
Fac simíliter. Tu quoque fac símile, sic ars delúditur arte.
Fléctere genu, inclináre utrúmque genu.
Decet christiános precári Patrem caeléstem coniúnctis mánibus, suspiciéntes in caelum.
Frustrári spem alicúius; fides eius nos est frustráta.
Spes me frustráta est; frustrátus sum mea spe,decéptus sum mea spe.
Retinére spem.
Senténtia hómine christiáno digna.
Haec senténtia ex philósophis éthnicis desúmpta est.
Consentáneum est verbo Dei; veritáti consentáneum.
Prósequi stúdium litterárum.
Precári ex ánimo.
Cum attentíssima cogitatióne.
Citra festinatiónem ... distíncte.
Quod mihi optas, idem precor tibi.

Collóquium VI.

Arguméntum: ***Admonitiónem bonam iúvenis bonus in partem bonam áccipit, et grátias habet monitóri.***

FRANCÍSCUS, FELIX.

Fran. Quid fecísti régula mea? *Fel.* Relíqui in pérgula superióre. *Fran.* Cur eam reliquísti? *Fel.* Oblítus sum. *Fran.* Non recte factum: sed tu sic fere soles, si quid tibi fúerit commodátum. *Fel.* Piget me neglegéntiae meae. *Fran.* Non satis est dolére, nisi mores mutáre velis. *Fel.* Deum precábor, ut eos mihi mutáre velit. *Fran.* Si sapis: alióqui nemo tibi posthac commodábit. *Fel.* Hábeo grátiam, quod me tam amíce monúeris. *Fran.* I nunc repe-

títum meam régulam: est enim ea mihi opus ad ducéndas in charta líneas. *Fel.* Nunc eo. *Fran.* Refer ad me in cubículum. *Fel.* Mox habébis.

ELOCÚTIO.

Relíqui régulam tuam in pérgula superióre.
Oblivísci rem áliquam.
Commodáre alícui áliquid ... uténdum dare, dare commodáto.
Piget me neglegéntiae tuae.
Mutáre mores.
Vulpes mutat pilos, non mores.
I petítum libros tuos.
Opus est mihi régula ad ducéndas líneas in charta.
Refer ad me régulam.
Reférre in adversária áliquid ... in album.
Reférre respónsum alícui.
Reférre in númerum bonórum áliquem.

Collóquium VII.

Arguméntum: ***Gábriel Germánum christiáne et humániter ádmonet: eídem bene ultro facit. Cáritas. Verecúndia in peténdo. Liberális in dando, pétere quoque non dúbitat.***

GÁBRIEL, GERMÁNUS.

Gabr. Míseret me tui. *Ger.* Quid ita? *Gabr.* Quod lapide tam mísere abutáris. *Ger.* Quómodo abútor? *Gabr.* Quia péssime tractas eum in acuéndo. *Ger.* Non est culpa mea, noli erráre. *Gabr.* Cuius ígitur? *Ger.* Scalpélli mei, cuius ácies obtúsa. *Gabr.* Scalpéllum in culpa non est, sed tu ipse. *Ger.* Cur istud dicis? *Gabr.* Quia debuísti aut scalpéllum tuum acúere, aut áliud aliúnde rogáre commodáto, saltem ad praesens negótium. *Ger.* Non aúdeo pétere. *Gabr.* Quid times? *Ger.* Ne mihi denegétur. *Gabr.* Ecce tibi meum. *Ger.* Grátias ago. *Gabr.* Útere, quantum vis, sed recte. *Ger.* Sciens non abútar. *Gabr.* Nec sis posthac tam verecúndus in peténdo. *Ger.* Sic est ingénium meum: sóleo dare libéntius quam pétere. *Gabr.* Útinam multi essent tui símiles! sed tamen qui libénter dat benefícium, is pétere quoque líbere potest. Sed ego te nimis detíneo: pérfice, quod coepísti.

ELOCÚTIO.

Míseret me tui.
Tangor, móveor, erga te misericórdia ... miséreor tui ... míseror te.
Tenet me tui misericórdia, commóveor, permóveor, cápior misericórdia tui.
Miséricors sum in te.
Abúti re áliqua.
Péssime tractáre áliquem.
Christóphorus péssime tractávit lapidem suum in acuéndo.
Non sum in culpa.
Sum insons culpae ... non sum compos culpae ... non est culpa mea.
Noli culpam in me transférre, mihi attribúere, assignáre, in me conícere, mihi impónere.
Líbero eos culpa.
Ácies scalpélli tui obtúsa est.
Acúere cultrum.
Dare commodáto alícui áliquid.
Rogáre, pétere, accípere aliúnde commodáto.
Hanc pecúniam mutuo accépi; mutuátus sum hanc pecúniam, crédita est mihi haec pecúnia, mútuo data.
Denegáre alícui áliquid.
Tímeo, ne denegétur mihi.
Útere meis libris, quantum vis.
Sciens abúsus est penna mea.
Verecúndus in peténdo.
Sic est ingénium meum.
Hoc hábeo a natúra ... sóleo libéntius dare quam pétere.
Útinam multi essent tui símiles; similes matri, dissímiles patri.
Dare benefícium alícui.
Detinére áliquem spe ináni.
Pérfice quod coepísti.

Collóquium VIII.

Arguméntum: ***Admónitus monitórem vicíssim monet. Suspéctus cáveas, ne sis miser ómnibus horis: Nam tímidis et suspéctis aptíssima mors est. In suspiciósos.***

HENRÍCUS, HERMES.

Hen. Cur solus rides? *Herm.* Quid tua? *Hen.* Quia fortásse rides me: *Herm.* Unde tibi orta est ista suspício. *Hen.* Quia malus es. *Herm.* Omnes quidem mali sumus: at ego te peior non

sum. Nemo ígitur ridet, nisi áliquem irrídeat? *Hen.* Non sic intéllego: sed qui solus ridet, ut saepe audívi, aut stultus est, aut áliquid mali cógitat. *Herm.* Ista senténtia cuius sit néscio, sed cuiuscúmque sit, non est semper vera, tamen admonitiónem tuam in bonam partem accípio: teque móneo vicíssim, ut cáveas suspiciósus esse: « Nam tímidis et suspéctis aptíssima mors est »: ut est in moráli nostro cármine. *Hen.* Mémini: boni tamen cónsulo admonitiónem tuam.

ELOCÚTIO.

Ridére, cachinnári, tóllere cachínnum; solúte, profúse ridére.
Quid rides?
Derídes? Irrídes? Étiam rides me?
Ridére, irridére áliquem; lúdere, delúdere, illúdere, ludíbrio habére, suspéndere naso, ludificári.
Per telephónium cólloqui; per telephónium loqui.
Excípere risu áliquem.
Unde orta est tibi haec suspício?
Unde tibi hoc venit in suspiciónem?
Suspiciónem a se removére, propulsáre.
Suspício in eum cadit, ad eum pértinet, in eo résidet, consístit.
Ego non sum peior te.
Solum aut nullam evidéntem ob causam ridére, stultítiae signum est.
Cogitáre áliquid mali.
Accípere in bonam partem.
Cáveas suspiciósus esse.
Suspéctus alicúius rei, áliqua re, super áliqua re, suspéctum esse alícui.
Boni consúlere áliquid.

Collóquium IX.

Arguméntum: Desidérius Iacóbum monet, ne sit curiósus alienárum rerum percontátor. Horátius: Percontatórem fúgito: nam gárrulus idem est: Nec rétinent pátulae commíssa fidéliter aures. Exémplum in percontatóres.

DESIDÉRIUS, IACÓBUS.

Desid. Unde venis? *Iacob.* Domo. *Desid.* Quid ágitur domi vestrae? *Iacob.* Nihil tua refert. *Desid.* Fáteor: sed familiáres

sic rogáre fere solémus, perínde quasi rogémus: quómodo valétis? Quómodo se vestrae res habent? *Iacob.* De re aliéna nímium percontári non decet. *Desid.* Táceo: sed vidéris mihi pro aetáte nimis sápere. *Iacob.* Nihil meum dico: id audívi saepe. *Desid.* Ego quoque non semel audívi. *Iacob.* Cur ergo non úteris? *Desid.* Quia non semper in mentem venit. *Iacob.* Immo quia tu es percontátor: quae res non sine causa datur vítio. *Desid.* Hábeo grátiam, quod me ádeo amíce móneas: posthac, adiuvánte Deo, cavébo inéptus esse. *Iacob.* Ita paulátim sápies.

ELOCÚTIO.

Petrum iamiam venísse domo aúdio.
Quid ágitur domi vestrae?
Nihil tua refert.
Quod tua nihil refert, percontári désine.
Percontatórem fúgito, nam gárrulus idem est.
Quómodo valétis?
Quómodo res vestrae se habent? Quo in statu sunt res vestrae?
Vidéris mihi nimis sápere ... pro aetáte tua ...
Nihil dico meum.
Non venit mihi in mentem.
Haec res datur vítio.
Cave inéptus esse.
Cave tibi ne sis inéptus.

Collóquium X.

Arguméntum: ***Lambértus cum Leonárdo mictum ire cúpiens confabulatiónis ergo ab eo reprehénditur.***

LAMBÉRTUS, LEONÁRDUS.

Lambert. Vis veníre mictum? *Leonard.* Satis otióse minxi. *Lambert.* Eámus una, quaeso, ut paulísper fabulémur. *Leonard.* Tace, inépte, nisi vis accusári: non est fabulándi tempus. Nonne debuísti meíere cum ientarétur? *Lambert.* Débui, sed oblítus sum. *Leonard.* Ito ígitur solus, cum bona vénia praeceptóris: nec sis posthac tam oblivióSus. *Lambert.* Parébo tibi, et recordábor.

ELOCÚTIO.

Ire una mictum.
Oblítus sum míngere, réddere urínam.
Ádmodum oblivióosus est.
Parére alícui ... témpori ... cupiditátibus suis.

Collóquium XI.

Arguméntum: ***Marcus offícium petit a Methódio: hic occupatiónem causátus belle dénegat. Alter non urget ultérius. Exémplum modéstiae, tum in peténdo, tum in denegándo.***

MARCUS, METHÓDIUS.

Marc. Visne mihi descríbere praelectiónem? *Meth.* Cur non habes? *Marc.* Quia heri fui occupátus. *Meth.* Áccipe meum librum et descríbe. *Marc.* Non ignóras me léntius scríbere: et tu cítius totum descrípseris quam ego quáttuor aut quinque versículos. *Meth.* Quaere tibi álium scriptórem: nunc ego tibi non possum dare óperam. *Marc.* Cur non? *Meth.* Est mihi áliud negótium, idémque pernecessárium. *Marc.* Nolo te urgére, nec possum quidem: sed saltem cómmoda tuum librum chartáceum. *Meth.* Áccipe: útere ut libet, modo ne abutáre. *Marc.* Nihil est, quod vereáris.

ELOCÚTIO.

Descríbere alícui alíquid; ascríbere.
Occupátum esse in re áliqua.
Occupátus est in struéndo ligno.
Scríbere léntius, manu sua ... raptim, tumultuánte cálamo, festinánte cálamo, cito.
Dare óperam alícui ... subveníre, opem ferre, auxílio esse, adiuménto esse, subsídio veníre alícui.
Est mihi áliud negótium, idémque pernecessárium.
Urgére áliquem.
Nihil est, quod vereáris.
Véreor, ne mihi suscénseat.
Véreor, ut possim.

Collóquium XII.

Arguméntum: ***Ab amíco pétitur áliquid óperae: promíttitur per opportunitátem. Exémplum amíci officiósi.***

NICOLÁUS, ROBÉRTUS.

Nicol. Cur non scribis? *Robert.* Quia non libet. *Nicol.* Atqui praecéptor iússerat. *Robert.* Scio: sed est mihi áliquid legéndum prius, praetérea nihil hábeo, quod nunc scribam. *Nicol.* O si velles mihi scríbere! *Robert.* Quidnam? *Nicol.* Sunt mihi describénda dictáta praeceptóris. *Robert.* Quae dictáta? *Nicol.* In Cicerónis epístulas. *Robert.* Libénter descríbam tibi: sed exspécta feriárum diem próximum. *Nicol.* Exspectábo ígitur: sed noli me fállere, quaeso. *Robert.* Nec sciens, nec volens fallam.

ELOCÚTIO.

Non libet mihi nunc scríbere.
Non licet mihi.
Praecéptor iussit nos omnes scríbere ... quidquid praecéptor iussit, faciéndum.
Non hábeo nunc quod scribam.
Est mihi áliquid legéndum, scribéndum.
Scríbere, conscríbere, scriptis mandáre, lítteris pródere, litterárum monuméntis mandáre, lítteris consecráre, scriptum relínquere.
Scríbere áliquid cármine, metris, vérsibus.
Scríbere solúta oratióne, prosa.
Descríbere dictáta praeceptóris in Cicerónis epístulas.
Hoc scripsit Cícero ... hoc Cícero scriptum relíquit, in scriptis relíquit.
Exspectáre diem feriárum; fériae Natális Dómini; dies feriátus.
Noli me fállere quaeso.
Nec sciens nec volens, fallam te.

Collóquium XIII.

Arguméntum: ***Officium promíttitur amíci abséntis nómine.***

NORBÉRTUS, LUDÓVÍCUS.

Norbert. Quando reditúrus est Basilíus? *Ludov.* Non certo scio, fortásse die crástino: sed cur hoc quaeris? *Norbert.* Quia

secum ábstulit catálogum: et praecéptor iráscitur, si nemo est, qui récitet. *Ludov.* Relínque mihi istam curam: hábeo catálogi exémplum. *Norbert.* Recitábis ígitur? *Ludov.* Recitábo. *Norbert.* Bene fácies: et noster Basílius refert grátiam, si qua se ófferat occásio.

ELOCÚTIO.

Quando reditúrus est Philíppus? ... die crástino, peréndie; grátia Dei cleménter aspiránte, Deo dante, Christo favénte, si Deo placet.
Cur quaeris hoc? ... rogáre pro salúte alicúius.
Auférre áliquid secum ... auférre inter manus ... e conspéctu.
Aufer te domum.
Quod differtur, non aufértur.
Irásci alícui ... nihil commísi, cur mihi irascáris?
Irásci, indignári, suscensére, ira commovéri, incéndi.
Est, quod tibi iráscar, suscénseam.
Recitáre catálogum.
Hanc curam relínquam patri meo.
Recitáre praelectiónem, citra festinatiónem, clara et distícta voce.
Referre grátiam alícui.
Si qua occásio ófferet se, dabit, dábitur; si fortúna fert, occasiónem attúlerit, praebúerit.

Collóquium XIV.

*Arguméntum: **Quidam domum profectúrus paulo ante vindémiam promíttit amíco se curatúrum, ut et ille eódem arcessátur. Exémplum puerílis amicítiae.***

PHILÍPPUS, PROTÁSIUS.

Phil. Quando profectúrus es domum? *Prot.* Cras, Deo iuvánte. *Phil.* Quis iussit? *Prot.* Pater. *Phil.* Quomodo autem iussit? *Prot.* Ad me scripsit superióre hebdómada. *Phil.* Quo die lítteras accepísti? *Prot.* Die Véneris. *Phil.* Quid continébant praetérea lítterae? *Prot.* Omnes recte valére, próximis diébus inítium fore vindémiae. *Phil.* O fortunátum, qui vindemiátum próperas! *Prot.* Vis dicam patri meo, ut te arcéssat? *Phil.* Quam gratum mihi fáceres! Sed véreor, ut velit. *Prot.* Immo gaudébit, cum propter

nostram coniunctiónem tum vero quia et latíne colloquéndo nos exercébimus, et de stúdiis una intérdum conferémus. *Phil.* Oh, gaúdio totus exsílio. Amábo te, id cura, mi anímule. *Prot.* Séntias: ínterim Deum precémur, ut dicta, facta, et consília nostra vertat in glóriam sui nóminis. *Phil* Bene mones, et certe ita éxpedit fácere.

ELOCÚTIO.

Proficísci domum.

Quo paras proficísci? quo paras profectiónem?

Cras Deo iuvánte iter fáciam, cónferam me Francofúrtum.

Quis iussit te abíre?

Pater ad me scripsit superióre hebdómada.

Die Véneris accépi lítteras ex pátria, quae summam mihi attulérunt, summam peperérunt voluptátem, magna voluptáte me affecérunt, me perfudérunt.

Lítterae nihil boni continébant ... continébant omnes recte valére.

Spero brevi inítium fore vindémiae.

Properáre vindemiátum.

Vis dicam patri meo?

Arcéssere áliquem.

Fácere gratum alícui.

Véreor, ut velit, i. e. ne nolit.

Véreor, ne praecéptor ómnia rescíverit.

Gaudére áliqua re.

Gaudére in sinu.

Praecéptor gaudet veheménter, quod exerceátis vos colloquéndo latíne.

Conférre de stúdiis ... manus; conférre cum áliquo.

Conférre in áliquid stúdia, in áliquid óperam multam, in áliquem locum se.

Exsilíre gaúdio, gestíre laetítia.

Precári Deum cum attentíssima ánimi devotióne.

Vértere dicta et facta sua in Dei glóriam.

Collóquium XV.

Arguméntum: ***Richárdus a Rogério eúnte domum petit, ut sibi uvas áfferat. Exémplum puerílis desidérii.***

RICHÁRDUS, ROGÉRIUS.

Rich. Siste parúmper gradum, Rogéri, quo próperas? *Rog.* Recta domum. *Rich.* Quid eo? *Rog.* Mater vult me paucis conve-

níre. *Rich.* Nescis quam ob rem? *Rog.* Néscio, nisi forte, ut vestiménta hibérna mihi faciénda curet. *Rich.* Hoc est verisímile: iam enim instat hiems. *Rog.* Iam visa sunt gelicídia, et glácies etiam alícubi. *Rich.* His diébus vidi in foro montános quosdam, qui dicébant magnam vim nívium decidísse superióre hebdómada, cum hic intérea lentas plúvias tantum viderémus. *Rog.* Ego quoque id ipsum audívi domi nostrae ex rústicis, qui tríticum nobis advéxerant. Sed cogor abrúmpere sermónem, ne mihi irascátur mater. *Rich.* Sed heus tu, mi Rogéri, affer mihi domo áliquot uvas: nam amplíssima fuit vobis vindémia. *Rog.* Áfferam, ut spero, utrínque nostrum áffatim: nisi quid forte mater iráta est mihi. *Rich.* Istud avértat Deus!

ELOCÚTIO.

Sístere gradum.
Properáre domum.
Convenire áliquem paucis.
Convenire sibi; mores nostri convéniunt; ita inter nos convénit.
Convenire de prétio; non cónvenit tibi.
Mater curábit mihi faciénda vestiménta hibérna.
Mater dedit vestiménta mea sartóri resarciénda.
Id quod tu narras, non vidétur verisímile.
Híems instat.
Gelicídia iam visa sunt.
Glácies lúbrica ... glácies crépitat, vidétur rumpi, glácies nullis incúmbit sustentáculis, nullis fulta est trábibus.
Magna vis nívium décidit.
Ómnia nive tecta sunt.
Audívi ex rústicis.
Advéhere tríticum.
Cogor abrúmpere sermónem.
Abrúmpere patiéntiam.
Véreor, ne mater irascátur mihi.
Petrus mihi veheménter irátus est; gráviter in me commótus est; mihi infénsus est.
Afférre uvas áliquot domo.
Rústicis hoc autúmno amplíssima fuit vindémia.
Afférre áffatim.
Deus avértat istud.

Collóquium XVI.

Arguméntum: ***Stéphanum in cubículum eúntem orat Simon, ut sibi áfferat cíngulum.***

SIMON, STÉPHANUS.

Sim. Quo ascéndis? *Steph.* In cubículum nostrum. *Sim.* Quid eo? *Steph.* Petítum thecam scriptóriam. *Sim.* Affer mihi cíngulum eádem ópera. *Steph.* Ubi est? *Sim.* Super arcam meam. *Steph.* Áfferam: sed tu me hic exspécta. *Sim.* Nusquam móveo.

ELOCÚTIO.

Ascéndere in cubículum.
Ascéndere equum vel in equum. Ut desint vires, tamen est laudánda volúntas.
Ascéndere caelum ... murum.
Magno ópere te hortor.

Collóquium XVII.

Arguméntum: ***Dives ex occasióne paúperi opem pollicétur. Deus hóminum ópera nos necopinántes iuvat. Deus áfficit ánimos ad bene agéndum. Deus hóminum afféctus gubérnat. Exémplum insígne caritátis erga paúperes.***

TITUS, TÚLLIUS.

Tit. Quid hic solus cógitas? *Tul.* Meam deplóro misériam. *Tit.* Quaenam te áfficit miséria? *Tul.* Heu! me míserum! ecce mutávimus classem: nec est mihi pecúnia, unde libros emam. *Tit.* An non tibi dat pater? *Tul.* Dat quidem intérdum, sed parce nimis. *Tit.* Est ígitur avárus? *Tul.* Non séquitur. *Tit.* Quid ígitur ímpedit, quo minus tibi pecúniam suppéditet? *Tul.* Paupértas: praetérea cum peto, mirátur tot nobis opus esse libris. *Tit.* Nihil mirum, praesértim cum sit pauper: sed ínterim esto ánimo bono, nec te afflíctes, quaeso: dabo óperam, ut te iuvet pater meus: libénter enim largítur paupéribus, praesértim iis, quos novit bonárum litterárum studiósos esse. *Tul.* O me felícem, si tua

ópera me Deus adiúverit! *Tit.* Iuvábit, spero: sed tu ínterim precáre Illum diligénter, ut mei patris ánimum erga te afféctum reddat. *Tul.* Recte mones: nam, ut saepe audívi in sacris oratiónibus, solus est Deus, qui hóminum ánimos gubérnat ac dírigit. *Tit.* Ita res habet. *Tul.* Vale, mi Tite, qui mihi ánimum reddidísti. *Tit.* Tu quoque Tulli, vale. Sed dic mihi quaeso, quantum nummórum tibi opus est? *Tul.* Si duos habérem, abúnde mihi esset in praeséntia. *Tit.* Tace, cras, ut spero, divínium auxílium sénties.

ELOCÚTIO.

Quid cógitas hic solus?
Versántur in ánimo meo multae et graves cogitatiónes.
Deplóro misériam meam.
Futúras mecum comméntor misérias.
Affícere ánimum alicúius ... honóre áliquem, ignomínia, poena alícui.
Quaenam miséria áfficit te?
Mutáre classem; brevi ego et Christóphorus mutábimus classem.
Non est mihi pecúnia, unde emam libros.
Das mihi nimis parce.
Homo avárus, tenax.
Quid ímpedit, quo minus hoc pater fáciat?
Suppeditáre pecúniam.
Suppeditáre de suis bonis vel facultátibus alícui áliquid, sumptus alícui.
Paupértas durum onus.
Pauper, egénus, ténuis, paupértas, paupéries, tenúitas, angústiae rei familiáris, doméstica difficúltas, inópia, egéstas, penúria, indigéntia.
Pater mirátur tot nobis opus esse libris.
Miror neglegéntiam tuam.
Miror te nondum promótum esse ad ...
Est paupérior Petro; pedem ubi ponat non habet.
Esse bono ánimo.
Afflictáre se.
Dabo óperam, ut pater meus iuvet te.
Largíri libénter paupéribus.
Largíri ex aliéno ... de suo.
Studiósus bonárum litterárum.
Precábor Deum, ut patris mei ánimum erga me afféctum reddat.
Ánimum habet erga me afféctum.

Singuláris illíus est in me benevoléntia.
Audívi in contióne ... ex patre.
Deus solus hóminum ánimos gubérnat.
Ita res habet, est ut dico; certum, explorátum est mihi; explorátum hábeo.
Réddere ánimum alícui.
Quantum nummórum opus est tibi? ... tribus; uno óbolo.
Sentíre auxílium divínum.

Collóquium XVIII.

Arguméntum: ***Pecúnia cum affértur, núntius affértur vulgi opinióne iucundíssimus. Reprehénsio líbera in familiáres. Evangélium, id est grátia Dei a Christo nuntiáta. Cur Evangélio non omnes credant.***

VALÉRIUS, VINCÉNTIUS.

Val. Venítne frater tuus Lugduno? *Vinc.* Iam venit heri ante merídiem. *Val.* Nihílne litterárum tibi áttulit? *Vinc.* Nihil. *Val.* Quid ígitur nuntiávit? *Vinc.* Próspera ómnia. *Val.* De patre quid narrat potíssimum? *Vinc.* Ait illum, Dei benefício, iam plane febri carére, et paulátim convaléscere. *Val.* Gaúdeo sane, Deúmque precor, ut prístinam valetúdinem brevi recúperet; sed cur ille, ut solet, nihil ad te scripsit? *Vinc.* Negat frater eum potuísse scríbere. *Val.* Quam ob rem? *Vinc.* Quia nondum satis erat confirmátus. *Val.* Nihil mirum, cum tam diu tam gráviter aegrotavísset: sed ille nihil ad te misit? *Vinc.* Immo pecúniam. *Val.* Euge, nullus est iucúndior núntius *Vinc.* Ita aiunt. *Val.* Tu vero sic respóndes quasi fábulam aúdias. *Vinc.* Quin peius aúdio. *Val.* Quidnam? *Vinc.* Merum mendácium. *Val.* Égone mentítus sum? *Vinc.* Non dico te esse mentítum, sed falsum dixísti. *Val.* Ego quid dicas non intéllego. *Vinc.* Dabo óperam, ut intéllegas. *Val.* Óbsecro te. *Vinc.* Si nullus est iucúndior núntius quam de alláta nobis pecúnia, quid ergo est Evangélium Christi? quis est incúndior núntius quam grátia Dei, quam Christus áttulit nobis per Evangélium? *Val.* Fáteor nihil esse iucúndius Evangélio, iis dumtáxat, qui credunt et ex ánimo amplectúntur. *Vinc.* Équidem sic intéllego. *Val.* At ego loquébar de humánis et terrénis rebus: tu vero statim ad caelum ascendísti. *Vinc.* Ita solent boni contionatóres. *Val.* Non putábam te esse theólogum tam acútum. *Vinc.* Nihil dixi nisi quod est tritum et in médio pósitum. *Val.* Útinam

hoc ádeo vulgáre et tritum foret, ut omnes in Christum crédant. *Vinc.* Numquam credent omnes. *Val.* Quid próhibet? *Vinc.* Quia multi sunt vocáti, pauci vero elécti, sicut Christus ipse testátur. *Val.* Sed ne diútius téneam, potésne fácere, ut fratrem tuum paucis convéniam? *Vinc.* Vix possum. *Val.* Quid ita? *Vinc.* Nam habet a patre nostro mandáta plúrima, in quibus curándis totus est occupátus. *Val.* Nonne cenábit domi apud vos? *Vinc.* Cenábit, ut opínor. *Val.* Ibo ígitur sub horam cenae. *Vinc.* Veni, precor, et eádem ópera nobíscum cenábis. *Val.* Non recúso. *Vinc.* Ínterim vale: sed fac memíneris adésse témpore. *Val.* Quota hora? *Vinc.* Ante sextam. *Val.* Hora est mihi commodíssima.

ELOCÚTIO.

Frater tuus heri ante merídiem venit Lugdúno.
Nihílne litterárum tibi allátum est ex pátria?
Nonne áliquas e pátria accepísti lítteras?
Nullae tibi sunt rédditae lítterae? Nihil epistulárum advolávit e pátria?
Spátio duórum ménsium nihil litterárum accépi a patre.
Ne pilum quidem litterárum accépi; nemo lítteram ad me misit.
Friderícus nuntiávit omnia domi próspera.
Pater meus, Dei benefício, iam plane caret febri.
Mater paulátim convaléscit.
Precor Deum, ut prístinam valetúdinem brevi recúperes.
Nihil ad me scripsit de hoc negótio.
Ludovícus negat patrem potuísse scríbere.
Frater nondum satis confirmátus est, nec mirum, cum tam diu tam gráviter aegrotáverit.
Soror mea conváluit quidem, sed nondum satis confirmáta est.
Aegrotáre gráviter.
Pater nihil pecúniae ad me misit.
Nullus est iucúndior núntius.
Ita aiunt.
Fábulam aúdio.
Surdo narráre fábulam.
Non ducor auditióne fabulárum; non deléctor fábulis.
Fabulárum totos módios appórtas.
Merum mendácium aúdio.
Tota plaustra mendaciórum affers.
Non dico observatórem mentítum esse.
Ego quid dicas non intéllego.

Dabo óperam, ut intéllegas.
Fáteor nullum esse núntium iucundiórem Evangélio.
Gaúdeo, quod pecúnia mihi alláta est ... pecúniam mihi allátam esse.
Frater tuus valde gavísus est, cum audívit sibi allátam esse pecúniam ex pátria.
Solum pii credunt Evangélio idque amplectúntur ex ánimo.
Putábam fratrem tuum esse theólogum.
Theólogus acútus.
Quod dixi, tritum est et in médio pósitum.
Multi sunt vocáti, pauci vero elécti.
Potésne fácere, ut fratrem tuum paucis convéniam?
Hábeo mandáta plúrima a patre ... plúrima in mandátis hábeo.
Negótium conficiéndum cures, vel ut conficiátur.
Petrus totus occupátus est in curándis negótiis domésticis.
Occupátus curándo negótia doméstica.
Fui occupátus in curándis mandátis, quae hábui a patre.
Spero tibi haec negótia expediénda fore.
Cenáre apud áliquem.
Domésticus usus et consuetúdo.
Pater meus rogat, ut nobíscum hódie cenes, ut una esse velis in cena.
Renúntia salútem a me patri tuo et dic me velle adésse suo témpore.
Dic me colloquéndi pótius quam edéndi causa sub vésperam ventúrum.
Hora commodíssima est mihi sexta.
Facílius est currémtem, ut aiunt, incitáre, quam commovére languéntem.

Collóquium XIX.

Arguméntum: De accépta pecúnia et mútuo fácile data. Amícus verus. Exémplum ánimi ad bene meréndum promptíssimi.

AMBRÓSIUS, ANTÓNIUS.

Ambr. Venítne pater ad mercátum hodiérnum? *Ant.* Hódie mane convénit me, cum e lecto súrgerem. *Ambr.* Nihil ab eo petiísti? *Ant.* Immo, pecúniam. *Ambr.* Et numerávit? *Ant.* In praeséntia. *Ambr.* Quantum, óbsecro? *Ant.* Vigínti nummos. *Ambr.*

Hem! vigínti? qui fit, ut aúdeat tibi tantum pecúniae commíttere? *Ant.* Quia novit me dispensatórem frugi. Síquidem semper illi reddo ratiónem usque ad terúncium. *Ambr.* Sed aegre fortásse impetrásti? *Ant.* Immo facíllime, atque ádeo cum grátia. *Ambr.* O mitem paréntem! *Ant.* Certe mitíssimum. *Ambr.* Sed, ut ad rem, quid fácies ista pecúnia? *Ant.* Emam libros et ália mihi necessária. *Ambr.* Potésne mihi áliquid mútuo dare? *Ant.* Possum, si modo eges. *Ambr.* Nisi egérem, non péterem. *Ant.* Quantum vis a me accípere? *Ambr.* Quinque nummos. *Ant.* Áccipe. *Ambr.* O vere amícum ánimum! *Ant.* Amícus verus non est, nisi amícum iuvat in témpore: si tamen habet unde iuvet. *Ambr.* Amícus certus, ut est in provérbio, in re incérta cérnitur. *Ant.* Quando reddes mútuum? *Ambr.* Ubi primum pater in hanc urbem vénerit. *Ant.* Quando ventúrum speras? *Ambr.* In mercátu próximo, nempe ad octávum diem octóbris.

ELOCÚTIO.

Cum hódie mane e lecto súrgerem, pater venit ad mercátum hodiérnum.
Convenire áliquem.
Ita inter nos convénit.
Hoc tecum mihi non cónvenit.
Pétere áliquid ab áliquo ... pecúniam, vestes.
Commíttere alícui multum pecúniae, concrédere ...
Pater novit me dispensatórem frugi.
Semper cognóvi tuum fratrem frugi hóminem.
Réddere ratiónem alicúius rei.
Rátio mihi reddénda est usque ad terúncium.
Impetráre áliquid aegre ... facíllime.
Quid fácies nummo isto?
Emam libros et ália mihi necessária.
Da fratri meo áliquid pecúniae mútuo.
Eget Christóphorus pecúnia.
Quantum pecúniae vis a me accípere?
Iuváre amícum quendam in témpore.
Adésse amíco, cum res póstulat, opus est, si rerum rátio poscit, occásio requírit, ubi e re amíci est.
Amícus certus in re incérta cérnitur.
Ubi primum pater in hanc urbem vénerit, reddam Petro mútuum.
Spero patrem futúris núndinis Francofurténsibus ventúrum.

Collóquium XX.

Arguméntum: ***Benedíctus a Baldo pennam commodáto petit: hic primo fingit se commodáre nolle: deínde dono dat. Christi praecéptum. Christiánus debet Christum praeceptórem imitári. Colloquéndi occásio quaesíta per simulatiónem.***

BENEDÍCTUS, BALDUS.

Ben. Habésne duas aut tres pennas? *Bal.* Sunt mihi tantum duae. *Ben.* Da mihi unam commodáto. *Bal.* Non fáciam. *Ben.* Cur non? *Bal.* Ne abutáris. *Ben.* Memíneris: fortásse aliquándo me frustra rogábis áliquid. *Bal.* Atqui iubet Christus malum bono compensándum. *Ben.* Nondum istud dídici. *Bal.* Tamen discas opórtet, si cupis esse Christi discípulus. *Ben.* Quid cúpio magis? *Bal.* Disce ígitur Magístrum imitári. *Ben.* Discam progréssu témporis. *Bal.* Praéstat nunc incípere, cum per tempus licet. *Ben.* Nimis urges, nondum complévi annum octávum, ut ait mater. *Bal.* Semper est bene agéndi tempus: sed ínterim ne mihi, quaeso, suscénseas. Iocábar enim, ut te ad colloquéndum invitárem tantísper, dum sumus otiósi. Ecce tibi penna, éaque non omníno péssima. *Ben.* Reddam tibi statim atque áliquid descrípsero. *Bal.* Nolo mihi reddas. *Ben.* Quid ígitur fáciam? *Bal.* Quidquid vis: a me enim tibi dono datur. *Ben.* Grátiam hábeo máximam.

ELOCÚTIO.

Sunt condiscípulo meo tantum tres pennae.
Da mihi pennam commodáto ... non abútar illa.
Malum bono compensándum.
Opórtet discas praelectiónem, si cupis esse discípulus bonus.
Imitári magístrum.
Progréssu témporis evádet vir doctus.
Non licet mihi per tempus.
Tempus non fert, concédit, permíttit, pátitur, tempus póstulat, desíderat.
Complévi annum vicésimum ... natus sum annos octo; explévi, excéssi annum octávum.
Semper est bene agéndi tempus.
Nimis urget nos praecéptor ... ad stúdia; ad solutiónem urgére.
Suscensére alícui, irásci alícui; ne mihi suscensúeris, sed inferiórum clássium discípulis.

Invitáre áliquem ad colloquéndum latíne ... ad prándium, cenam.
Utérque otiósus est.
Ecce tibi penna, eáque non omníno péssima.
Reddam tibi pennam, cum áliquid descrípsero.
Fac quidquid vis.
Hic imperiális a me tibi dono datur.
Do tibi librum dono, dono tibi hunc librum, dono te hoc libro.

Collóquium XXI.

Arguméntum: ***Amícus amíco pecúniam ultro offert. Benefícium voluntárium. Humána benefícia diligéntius quam divína expéndimus. Exémplum liberalitátis raríssimum.***

CLAÚDIUS, CLEMENS.

Claud. Hódie pecúniam a patre accépi: si tibi forte opus. *Clem.* Nihil nunc opus est mihi: tamen grátiam hábeo máximam, quod tua liberalitáte ultro mihi offers benefícium: quotus enim quisque id fáciat. *Claud.* Credo esse paucíssimos: tu me tamen non semel benefíciis provocásti. *Clem.* Ádeo parva illa fuérunt, ut non essent commemoratióne digna. *Claud.* Non est parvum benefícium, quod ab óptima voluntáte proféctum sit. *Clem.* Útinam Dei erga nos benefícia tam expenderémus, quam solémus hóminum! *Claud.* Fáciat ille, ut in ea cogitatióne nos exerceámus et saépius et diligéntius. *Clem.* Illud profécto necésse est, si vólumus eius benignitátem saépius experíri.

ELOCÚTIO.

Accípere pecúniam ab áliquo.
Offérre alícui benefícium.
Provocáre áliquem benefíciis.
Provocáre ad áliquem ... ad certámen provocáre ... ad regem.
Benefícium hoc ab óptima voluntáte proféctum est.
Proficísci de loco, ex loco.
Útinam Dei erga nos benefícia tam expenderémus, quam solémus hóminum.
Expéndere rem áliquam.
Expéndere pecúniam.
Codex accépti et expénsi.

Expéndere áliquid secum.
Exercére se áliqua re ... in áliqua re.
Experíri áliquid de áliquo ... re ipsa ... extréma.

Collóquium XXII.

Arguméntum: ***Longa insinuatióne pétitur mútua in futúrum pecúnia: ea statim promíttitur. Exémplum astútiae, item ánimi prompti ad bene meréndum.***

RICHÁRDUS, DESIDÉRIUS.

Rich. Abiítne pater tuus? *Desid.* Ábiit. *Rich.* Quota hora? *Desid.* Prima postmeridiána. *Rich.* Quid dixit tibi? *Desid.* Multis verbis mónuit me, ut diligénter studérem. *Rich.* Útinam sic fácias. *Desid.* Fáciam Deo iuvánte. *Rich.* Ecquid pecúniae dedit tibi? *Desid.* Dedit, ut fere solet. *Rich.* Quantum? *Desid.* Nihil ad te. *Rich.* Fáteor: sed tamen quid fácies ista pecúnia? *Desid.* Emam chartam et ália, quae mihi sunt úsui. *Rich.* Quid si amíseris? *Desid.* Aequo ánimo feréndum erit. *Rich.* Quod si forte egébo, dabísne mútuo? *Desid.* Dabo et quidem libénter. *Rich.* Hábeo tibi grátiam.

ELOCÚTIO.

Pater meus hora prima postmeridiána ábiit Romam.
Monére áliquem multis verbis.
Monére áliquem de áliqua re.
Móneo, ut stúdeas diligénter.
Quóties ista mónitus es.
Fáciam, Deo iuvánte ... si Deo placet.
Ecquid pecúniae pater dedit mihi?
Nihil ad te, quantum affínis meus mihi déderit pecúniae.
Ferre áliquid aequo ánimo, moderáte, plácide, patiénter.
Toleráre forti, quiéto ánimo.
Egére pecúnia.
Dare alícui pecúniam mútuo.

Collóquium XXIII.

Arguméntum: ***Ab amíco quidam mútuo pecúniam ímpetrat: óbiter méntio fit de providéntia Dei.***

ÉNNIUS, EUSTÁCHIUS.

En. Quantum habes pecúniae? *Eust.* Decem nummos, tu vero? *En.* Non tantum. *Eust.* Quantum ígitur? *En.* Duos nummos. *Eust.* Vis mihi dare mútuo? *En.* Est mihi opus. *Eust.* In quem usum? *En.* Ad eméndam chartam. *Eust.* Hódie reddam tibi. *En.* Addéndum fuit, Deo iuvánte. *Eust.* Sic docet praecéptor, ex verbo Dei: sed non possum assuéscere. *En.* Fac assuéscas. *Eust.* Quómodo id fiet? *En.* Si saepe cógitas nos in Dei manu sic esse, ut nihil possímus sine eius auxílio. *Eust.* Bonum mihi das consílium. *En.* Quale mihi dari velim. *Eust.* Sed, ut ad propósitum redeámus, dabis mútuo istam pecúniam? *En.* Miror te mútuo pétere, qui plus hábeas, quam ego: *Eust.* Est quidam scholásticus hac tránsiens, qui librum venálem osténtat. *En.* Quid tum? *Eust.* Cupiébam émere, quia vílius índicat, quam noster bibliopóla. *En.* Áccipe: sed, quaeso, unde tam cito reddes? *Eust.* A cena ibo domum, ut a matre petam. *En.* Quid si dare nolit? *Eust.* Nihil cunctábitur, cum librum osténdero.

ELOCÚTIO.

Dare mútuo .. pétere mútuo ... accípere mútuo.
Hanc pecúniam mútuo accépi a Conrádo.
Dare commodáto, commodáre, uténdum dare, quando idem restitúitur.
Da mihi mútuo dimídiam partem, reddam tibi, cum habúero.
Si dies solutiónis vénerit (cecíderit), Deo iuvánte, reddam tibi pecúniam, quae mihi mútuo data est a te.
Assuéscere áliqua re vel alícui rei vel ad áliquid.
Assuétus mendáciis ... assuévit hoc fácere.
Sine auxílio Dei nihil póssumus fácere.
Redíre ad propósitum.
Miror Godofrédum mútuo pétere pecúniam a me, cum plus hábeat quam ego.
Quanti índicat? indícit, inscríbit?
Mercátor hódie merces suas vílius índicat quam heri ... dimídio vílius.

Emit librum tanti, quanti bibliopóla vóluit.
Quanti bibliopóla inscrípsit, indicávit, aestimávit hunc librum?
Dimídio imperiáli. Ego vero licitátus sum dimídio aúreo.
Magno emi libros meos, dimídio cárius quam céteri ... duplo cárius emi.

Collóquium XXIV.

Arguméntum: ***Foréstus a Friderico quinque nummos mútuo petit: solum duos áccipit.***

FORÉSTUS, FRIDERÍCUS.

For. Potésne mihi mútuo dare aliquántum pecúniae? *Frid.* Quantum petis? *For.* Quinque nummos, si tibi est cómmodum. *Frid.* Non tot hábeo. *For.* Quot ígitur? *Frid.* Tantum quáttuor. *For.* Bene sane, da mihi istos quáttuor. *Frid.* Dabo, si vis, dimídium. *For.* Cur non totum? *Frid.* Quia sunt mihi opus duo. *For.* Da ígitur duos, quaeso. *Frid.* Sed tibi non suffícient. *For.* Petam ab áliquo álios. *Frid.* Áccipe ígitur hos duos: quando reddes? *For.* Die, ut spero, Satúrni, cum pater ad forum véniet. *Frid.* Esto ígitur memor. *For.* Ne timúeris.

ELOCÚTIO.

Dabo tibi mútuo dimídiam partem.
Duo aúrei mihi opus sunt; opus est mihi duóbus aúreis; (opus hábeo duóbus aúreis).
Tres imperiáles suffícient mihi.
Quando reddes mihi pecúniam mútuam? Ad caléndas graecas.
Pater die Satúrni véniet ad forum.
Esto memor pecúniae mútuo tibi a me datae. Ne timúeris.

Collóquium XXV.

Arguméntum: ***Gregórius habens pecúniam Gratiáno paucillum peténti dénegat: spem tamen dat in pósterum***

GRATIÁNUS, GREGÓRIUS.

Grat. Da mihi duos nummos mútuo. *Greg.* Nunc mihi non est promptum dare. *Grat.* Quid obstat? Nam scio te his diébus

accepísse pecúniam. *Greg.* Accépi quidem, sed eméndi sunt libri, et ália mihi necessária. *Grat.* Nolo tuum cómmodum remorári. *Greg.* Ubi emero, quae mihi sunt opus, si quid supérsit, fáciam te libénter partícipem. *Grat.* Intérea ígitur sperans exspectábo: sed quid, si nihil tibi superfúerit? *Greg.* Statim dicam tibi, ne frustra diútius exspéctes. *Grat.* Quando emes ea, quae decrevísti? *Greg.* Cras, ut spero, aut summum peréndie. *Grat.* Bene habet, tempus est brevíssimum.

ELOCÚTIO.

Da mihi mútuo duos nummos, si promptum est tibi.
Summum vel ad summum.
Remorári cómmodum alicúius.
Multa mihi opus sunt.
Fácere áliquem partícipem alicúius rei.
Christus fecit nos partícipes regni caelórum.
Nihil mihi súperest.
Cras emptúrus sum ea, quae decrévi.

Collóquium XXVI.

Arguméntum: ***Conrádo Alfrédus promptíssime dat mútuam pecúniam. Exémplum exprómptae liberalitátis.***

CONRÁDUS, ALFRÉDUS.

Conrad. Vis a me magnam iníre grátiam? *Alfred.* Nihil libéntius fáciam: si quidem penes me res ipsa est: Sed quid est, in quo tibi commodáre possim? *Conrad.* Da mihi mútuo nummos decem. *Alfred.* Non tantum nunc hábeo, sed maiórem partem. *Conrad.* Quantum quaeso? *Alfred.* Néscio: nisi cruménam inspéxero, ecce tibi octo nummos cum semísse. *Conrad.* Solos septem accípio, non enim te vacuáre prorsus volo. *Alfred.* Parvi refert: totum, si vis, áccipe. *Conrad.* Ago tibi grátias: credo hoc pecúniae satis fore negótio meo cum aliquántula, quam ipse hábeo. *Alfred.* Ut libet. *Conrad.* Amo te de ista tua tam exprómpta benignitáte. *Alfred.* Si quid áliud possim, noli párcere. *Conrad.* Reddam totum, Deo volénte, cum primum pater ad me míserit. *Alfred.* Ne sis magnópere sollícitus: nondum est opus mihi.

ELOCÚTIO.

Iníre grátiam apud áliquem ... ab ineúnte aetáte ... anno ineúnte ... in cápite anni.
Res penes me non est.
Quid est, in quo tibi commodáre possim?
Inspíciam cruménam meam, an tantum pecúniae hábeam.
Ecce tibi decem imperiáles.
Vacuáre áliquem.
Ne parcas mihi et labóri meo.
Mors parcit némini.
Pater nullam ad me adhuc misit pecúniam.
Sollícitum esse de re áliquia.
Sollícitum me habet haec res.

Collóquium XXVII.

Arguméntum: ***Pecúniam créditam repóscit a debitóre créditor. Deus ómnia gubérnat.***

IUSTUS CRÉDITOR, IACÓBUS DÉBITOR.

Iust. Quoad patris réditum exspéctas? *Iacob.* Hinc ad diem octávum. *Iust.* Qui scis diem? *Iacob.* Ipse pater ad me scripsit. *Iust.* Advéntus eius, ut spero, te ditábit. *Iacob.* Croeso dítior ero, si bene nummátus vénerit. *Iust.* Tunc mihi mútuum reddes? *Iacob.* Non est, quod dúbites, quin si tibi opus erit ámplius, non modo reddam mútuum, sed étiam réferam grátiam. *Iust.* Quómodo? *Iacob.* Pecúniam mútuam vicíssim dabo. *Iust.* Nihil opus erit, spero. *Iacob.* At nescis quid possit accídere? *Iust.* Tempus est brevíssimum. *Iacob.* Non eo dico, quod tibi velim ominári malum. *Iust.* Licet ominéntur hómines, Deus clavum tenet. *Iacob.* Sed quid cessámus recípere nos in auditórium? *Iust.* Opportúne ádmones.

ELOCÚTIO.

Quoad vixit; quoad exspectátis senem?
Exspécto réditum patris mei hinc ad diem octávum.
Croeso dítior ero, si pater meus bene nummátus vénerit.
Redde fratri meo mútuum.

Pecúniam mútuam vicíssim dare.
Referre grátiam.
Ominári malum alícui.
Deus clavum tenet. Ille autem clavum tenens quiétus sédeat in puppi.
Clavum clavo péllere.
Quid cessant discípuli recípere se in auditórium.
Recípere áliquem ... mensa ... tecto ... civitáte.
Recípere áliquem hospítio ... causam in se ... in amicítiam ... in se áliquid.
Recípere se áliquo.

Collóquium XXVIII.

Arguméntum: ***Rédditur commodátum, cum excusatióne dilatiónis. Non debémus offéndi, nisi ubi Deus offénditur.***

MATTHÍAS, MAURÍTIUS.

Mat. Satísne usus es scalpéllo meo? *Maur.* Satis. *Mat.* Redde ígitur. *Maur.* Áccipe, ago tibi grátias. *Mat.* Nihil est quod agas. *Maur.* Sed ignósce, quod non ultro et cítius reddíderim. *Mat.* Ea de re nihil sum offénsus. Non enim debémus offéndi, nisi cum Deum offéndi vidémus. *Maur.* Recte sentis.

ELOCÚTIO.

Theobáldus nondum satis usus est scalpéllo tuo.
Nihil est, quod agas grátias.
Ignósce mihi, quod non ultro et cítius reddíderim tibi librum.
Offéndere áliquem, commovére, conturbáre, movére alícui bilem.
Offéndi áliqua re.
Deus gráviter offénditur peccátis.
Si qua offensiúncula facta est ánimi tui.
Pergráviter offénsum esse.
Néminem umquam non re, non verbo, non vultu dénique offéndit.

Collóquium XXIX.

Arguméntum: ***Nicoláum in portum eúntem, ut visat, ecquid sibi aliménti advéctum sit, comitátur Marcéllus, idque confabulándi grátia.***

MARCÉLLUS, NICOLÁUS.

Marc. Quo nunc solus abis? *Nicol.* Semper a vérsibus áliquid auspicáris. *Marc.* Fácile est carmen incípere, dedúcere non item. Sed dic, quo nunc is? *Nicol.* Recte in portum. *Marc.* Quid in portu habes negótii? *Nicol.* Viso, ecquid alimenti mihi advéctum sit. *Marc.* Vis me tibi cómitem? *Nicol.* Immo, étiam ducem, si tibi ita vidétur. *Marc.* Numquam dux esse dídici, sed saepe egi cómitem. *Nicol.* Nihil ad rem pértinet plúribus verbis hic fabulári: eámus una. *Marc.* Eámus sane: confabulári licébit ámplius ambulándo in ripa lacus, si navis nondum appúlsa est. *Nicol.* Quid si iam est appúlsa? *Marc.* Tamen deambuláre satis diu potérimus, dum exonerátur.

ELOCÚTIO.

Fácile est rem incípere, non item dedúcere ... absólvere, perfícere, ad umbilícum perdúcere áliquid, finem alícui rei impónere, corónidem áddere, suprémam manum áddere, colophónem áddere.

Bene coepísse est fere absolvísse.

Dimídium facti, qui bene coepit, habet; princípium dimídium totíus.

Quid negótii habes in portu?

Viso ecquid aliménti mihi advéctum sit.

Quid vidétur tibi?

Si ita vidétur tibi ... si ita visum fúerit tibi.

Ágere cómitem ... in fugam ágere ... ágere de re áliqua ... ágere natálem.

Fabulári verbis plúribus.

Nihil pértinet ad rem.

Confabulári una ambulándo.

Ambuláre in ripa Rheni.

Ioánnes et Cárolus confabulántur in pérgula.

Navis nondum appúlsa est.

Appéllere ad locum áliquem navem.

Áppulit ad ... scópulos nauta.
Exoneráre navem ... exoneráre ventrem ... áliquem metu exoneráre, torménta, consciéntiam.

Collóquium XXX.

Arguméntum: ***Alter álterum quanti vivat, percontátur.***

ROBÉRTUS, OLIVÉRIUS.

Rob. Ubi hodie cibum cepísti? *Oliv.* Apud hóspitem meum. *Rob.* Quanti prandísti? *Oliv.* Sex nummis. *Rob.* Cena autem quanti cónstitit? *Oliv.* Tantídem. Tu vero quanti áleris cotídie? *Rob.* Pluris quam tu. *Oliv.* Quanti ígitur? *Rob.* Sedecim nummis.

ELOCÚTIO.

Tempus est capiéndi cibi vel capiéndi cibum.
Hódie cepi cibum apud hóspitem ... édere, comédere, súmere cibum, cápere cibum.
Quanti prandísti? Sex nummis, dimídio imperiáli.
Quanti áleris cotídie? Dimídio aúreo, tribus nummis.

Collóquium XXXI.

Arguméntum: ***Paulo frustum panis peténti abúnde dat Camíllus. Paulus non allátum panem excúsat matris abséntia et domesticórum occupatióne.***

PAULUS, CAMÍLLUS.

Paul. Da mihi frustum panis. *Camil.* Non habes? *Paul.* Si habérem, non péterem. *Camil.* Cur non attulísti? *Paul.* Dicam póstea: sed da ínterim quaeso: nam esúrio veheménter. *Camil.* Cape. *Paul.* Hui tantíllum! *Camil.* Étiam quéreris? *Paul.* Non immérito: das parce nimis. *Camil.* Vide quántulum restet: dedi fere dimídium. *Paul.* Ago tibi grátias: dedísti abúnde: sed iocábar. *Camil.* Nunc respónde: cur non attulísti panem domo? *Paul.* Nemo erat qui daret. *Camil.* Nemo? *Paul.* Prorsus nemo. *Camil.*

quid mater? *Paul.* Áberat domo. *Camil.* Quid céteri? *Paul.* Omnes erant occupáti. *Camil.* Cur ipse non cepísti? *Paul.* Numquam audérem tale quídpiam. *Camil.* Cur non? *Paul.* Mater perpétuo vetat, ne quid attíngam, sine permíssu eius. *Camil.* Dura mater! *Paul.* Tuo quidem iudício, qui indulgentiórem habes. *Camil.* Non dico indulgéntem, sed certe liberálem. *Paul.* Quómodo te tractat? *Camil.* Suavíssime omninóque ex ánimi senténtia. *Paul.* Fortásse in tuam perníciem. *Camil.* Avértat Deus óptimus máximus! *Paul.* Non équidem invídeo. *Camil.* Cur ergo hoc dicis? *Paul.* Ut ínterim te móneam omnes licéntia deterióres fíeri. *Camil.* Bene facis, sed quid censes? Nonne uti licet paréntum bonitáte? *Paul.* Certe licet, modo ne abutáris. *Camil.* Rogas. *Paul.* Quin aut patris aut matris indulgéntiam in malum vértimus. *Camil.* Recte dicis: sed quotusquísque id facit? *Paul.* Immo fere omnes: nisi qui a Dómino Deo prohibéntur. *Camil.* Quis potest bonus esse, nisi per Dei grátiam? *Paul.* Ergo, ut saepe monémur a praeceptóre, precándus est, ut Spíritu suo nos bonos et sanctos effíciat. *Camil.* Gaúdeo te non attulísse ientáculum. *Paul.* Quam ob rem? *Camil.* Quia hoc nostro collóquio mihi vídeor multum profecísse. *Paul.* Ego quoque non paulum. *Camil.* Tua ópera id factum est. *Paul.* Immo benefício Dei, qui quidem ita vóluit. *Camil.* Credo équidem. *Paul.* Et hic ígitur et in céteris agnoscámus bonitátem eius. *Camil.* Valde id aequum est. *Paul.* Immo valde necessárium: síquidem vólumus ingráti ánimi crimen effúgere: O sermónem iucundíssimum! Grátiae Deo immortáles per Iesum Christum. *Camil.* Ita velim.

ELOCÚTIO.

Soror mea natu máxima ésurit veheménter.
Non immérito frater tuus conquéritur de tua avarítia.
Dare nimis parce.
Dare dimídium ... abúnde.
Iocári, lúdere ioco, per iocum, iocóse, ioci causa, ludo, per ludum.
Afférre áliquid domo ... rure.
Abésse domo.
Occupátus in re áliqua ... in scribéndis lítteris.
Vétitum est áliquid attíngere.
Mater dura est, tuo quidem iudício.
Mater indúlgens.
Blanda patrum segnes facit indulgéntia natos.
Ego non hábeo matrem indulgéntem, sed certe liberálem.

Tractáre áliquem suavíssime ... magnífice, áspere, cleménter. dúrius.
Tractáre áliquem male, iniurióse, copióse, plane, ómnibus rebus, ex ánimi senténtia.
In perníciem dare, perníciem afférre; exítium párere, intéritum sibi paráre.
Deus avértat, prohíbeat. Ne id Deus sinat.
Invidére alícui áliquid.
Invidére honóri alicúius ... laudi, glóriae, virtúti.
Monére áliquem de re áliqua. Id te móneo, ut.
Púeri licéntia fiunt deterióres.
Uti re áliqua ... abúti.
Vértere áliquid in malum ... in bonum.
Prohibéri ab áliquo; prohibére alícui, áliquid, ut domo, itínere, fuga.
Monéri ab áliquo.
Deus precándus est, ut effíciat nos bonos et sanctos.
Gaudére rebus novis ... gaudére privilégio.
Profícere re áliqua.
Vídeor mihi multum profecísse institutióne praeceptóris.
Praeceptóris ópera factum est, ut profícerem ... potíssimum benefício Dei.
Effúgere crimen ánimi ingráti.

Collóquium XXXII.

Arguméntum: ***Panis mútuo dandus appénditur.***

ROBÉRTUS, ALPHÓNSUS.

Robert. Restátne tibi multum panis? *Alphons.* Satis, grátia Dei. *Robert.* Visne mihi dare mútuo? *Alphons.* Libénter. *Robert.* Sed fortásse tibi non suffíciet. *Alphons.* Suffíciet, ut spero. *Robert.* Ad quod usque tempus? *Alphons.* Ad diem Véneris. *Robert.* Unde habébis póstea? *Alphons.* Domo. *Robert.* Quis áfferet? *Alphons.* Égomet ibo petítum? *Robert.* Quando? *Alphons.* Ipso die Véneris. *Robert.* Da mihi mútuo sesquilíbram. *Alphons.* Quis appéndet? *Robert.* Uxor praeceptóris, aut ancílla. *Alphons.* Eámus petítum ex arca mea. *Robert.* Quin ito solus, ego te in culína exspectábo.

ELOCÚTIO.

Non restat matri meae multum panis.
Suffícere alícui.
Súfficit mons aliméntis hóminum.
Ad quod usque tempus? Ad diem Véneris.
Ire petítum áliquid ex arca.
Exspectáre áliquem.
Quem hic exspéctas? Exspecto tabellárium hic íntegram horam.

Collóquium XXXIII.

Arguméntum: ***Invítat Sílvium ad ientándum Stéphanus. Exémplum convíctus, oboediéntiae et stúdii.***

STÉPHANUS, SÍLVIUS.

Stephan. Vis ientáre mecum? *Silv.* Non hábeo ientáculum. *Stephan.* Quid non attulísti? *Silv.* Ego domi ientáveram. *Stephan.* Ítane semper facis? *Silv.* Mínime; sed quia bene mane surréxeram, sic matri plácuit me tractáre. *Stephan.* Prosit tibi: ego ígitur solus ientábo. *Silv.* Et ego ínterim studébo.

ELOCÚTIO.

Ientáre cum áliquo.
Súrgite, iam vendit púeris ientácula pistor.
Bene mane súrgere.
Hoc mihi non placet, quod scribis.
Prosit tibi; bene sit tibi.
Studére medicínae ... dare óperam medicínae, theológiae, iurisprudéntiae, philosóphiae.

Collóquium XXXIV.

Arguméntum: ***Theóphilus et Thomas de prándii horis inter se colloquúntur : ille matúrius ait se prandére, hic sérius, idque propter patrem e cúria exspectándum : eadémque de causa psalmórum***

cantióni se interésse non posse. Modus servándus. Offensiónes mútuo remitténdae.

THÉOPHILUS, THOMAS.

Theoph. Quando vis prandére? *Thom.* Ego iam prandi. *Theoph.* Quota hora? *Thom.* Sesquioctáva. *Theoph.* Tam mane ígitur prandétis? *Thom.* Sic fere solémus aestáte. Vos autem? *Theoph.* Non prandémus ante sesquidécimam: intérdum post undécimam. *Thom.* Hui! Cur non cítius? *Theoph.* Exspectándus est pater, dum e cúria rédeat. *Thom.* Tu ígitur non potes adésse in aula ad cantiónem hymnórum. *Theoph.* Raro ádmodum intérsum. *Thom.* Quómodo excusáris? *Theoph.* Exémptus sum illo múnere. *Thom.* Quis te exémit? *Theoph.* Didáscalus patris mei mónitu. *Thom.* Érgone omnes senatórum fílii habent huiúsmodi privilégium? *Theoph.* Habent, modo patres iúbeant. *Thom.* Nonne mater posset tibi dare prándium ante réditum patris e senátu? *Theoph.* Posset quidem; sed pater vult a me exspectári. *Thom.* Quam ob rem? *Theoph.* Quia sic illi placet. *Thom.* Nunc mihi tacéndum est. Os enim mihi occlusísti. *Theoph.* Cur tu es tam curiósus percontátor? *Thom.* Aduléscens sum: et adulescéntes semper cúpiunt áliquid scire novi. *Theoph.* Fáteor: sed est modus in rebus, ut praecéptor nos saepe docet. *Thom.* Ergo discedámus, ut te pransum cónferas. *Theoph.* Ignósce, quaeso, si qua in re te offénderim. *Thom.* Ego abs te idem peto: ego, inquam, pótius, qui te offéndere pótui loquacitáte mea, sed nihil mali cógitans.

ELOCÚTIO.

Hódie prandébimus hora undécima.
Aestáte íncolae huius loci prandent post undécimam.
Pater exspectándus est.
Quota hora pater tuus venit e curia?
Interésse in cantióne hymnórum ... in convívio.
Interésse negótiis ... contióni.
Exémptus múnere áliquo.
Exémptus honóribus.
Exímere áliqua re ... servitúte, vínculis vel e vínculis.
Mónitu cónsulis exémptus sum.
Iubére áliquem áliquid.
Occlúdere os alícui.
Percontátor curiósus.

Est modus in rebus.
Est modus in rebus, sunt certi dénique fines, quos ultra citráque nequit consístere rectum.
Praecéptor dócuit nos hódie graeca et latína.
Conférre se pransum.
Ignósce mihi, si qua in re offénderim te.
Offéndere áliquem in áliqua re, vel áliqua re.
Cogitáre áliquid mali.
Cogitáre áliquem locum, cogitáre Británniam.

Collóquium XXXV.

Argumentum: ***Thomas Theodóro de sua merénda impértit, et simul ratiónem osténdit, qua sibi ille in pósterum meréndam et ientáculum prospíciat.***

THEODÓRIUS, THOMAS.

Theodor. Oro te, da mihi ex pane tuo. *Thom.* Mihi non hábeo nimis: tamen volo tibi impertíre, áccipe. *Theodor.* Grátias ago tibi. *Thom.* Non est, quod agas ob rem tántulam: Sed dic, quaeso, cur non attulísti? *Theodor.* Quia non fuit domi nostrae, qui mihi daret. *Thom.* Tu vero cur non áccipis? *Theodor.* Non aúdeo, nisi det mater. *Thom.* Bene facis; sed audi bonum consílium. *Theodor.* Auscúlto, ut aúdiam: dic quaeso. *Thom.* Cum prándio finíto tollúntur mensae relíquiae, pétito meréndam tuam, eámque in peram statim recóndito, ita fiet, ut numquam immúnis vénias. *Theodor.* De ientáculo autem quid suades? *Thom.* Ut petas in éxitu cenae, et idem fácias, quod dixi tibi de merénda. *Theodor.* Numquam vidi mélius consílium esse datum. *Thom.* Fac ígitur ut memíneris, et cum vis, útere. *Theodor.* Ego vero utar, quóties opus erit.

ELOCÚTIO.

Impertíre alícui áliquid.
Nemo est domi nostrae.
Auscultáre alícui.
Auscultáre áliquem.
Prándio finíto, vel, pransus ad te accédam.
Tóllere relíquias mensae.

Recóndere áliquid in peram suam.
Recóndere gládium in vagínam.
Recóndere se in áliquem locum.
Immúnis a bello, immúnis milítia.
Suadére alícui áliquid.
Persuadére alícui áliquid.
In éxitu cenae. Exeúnte cena.
Néscio, quis futúrus huius rei éxitus; quem evéntum res habitúra sit, nondum scio.
Fac, quod dixi tibi.

Collóquium XXXVI.

Arguméntum: ***Exémplum oblivióonis.***

URBÁNUS, VERGÍLIUS.

Urban. Scin' tu, quota sit hora? *Vergil.* Non certo scio: sed vídeo instáre cenae tempus. *Urban.* Me míserum! oblítus sum adíre matrem, quae iússerat. *Vergil.* Curre, curre: opportúne vénies, ut cenes domi. *Urban.* Recte mones: eo rogátum véniam. *Vergil.* Eccum hypodidáscalum. *Urban.* Óptime adest.

ELOCÚTIO.

Aedítuus non certo scit, quota sit hora.
Instat hora undécima.
Manus horológii nondum áttigit punctum.
Adíre matrem ... cónsulem, praetórem.
Ire rogátum véniam.
Praecéptor, rogo véniam exeúndi.
Eccum hypodidáscalum.
Óptime adest, in témpore, adest ad tempus, adésse pugnae; adsum.

Collóquium XXXVII.

Arguméntum: ***De cárnium differéntia et beneficiórum divinórum agnitióne. Mendácium vitándum est. Christus véritas. Christiáni sunt fílii Dei et Christi fratres. Cáritas in paúperes.***

AURÉLIUS, AUGUSTÍNUS.

Aurel. Quid mater dedit tibi in meréndam? *August.* Vide. *Aurel.* Caro est: sed quaenam? *August.* Búbula. *Aurel.* Quaero

utrum recens, an salsa? *August.* Est búbula salíta. *Aurel.* Utrum pinguis, an macra? *August.* Eho, inépte, nonne vides macram esse? *Aurel.* Annon mavis esse vitulínam aut vervecínam? *August.* Útraque bona est: sed in omni génere sapit mihi haedína, praesértim assa. *Aurel.* Hem, delicáte puer, iamne palátum tam doctum habes? *August.* Dico ut séntio, non enim est mentiéndum. *Aurel.* Absint a nobis mendácia. Sumus enim fílii Dei, et Christi fratres, qui est ipse véritas, ut ipse de se loquens testátur. *August.* Sed ad rem. Suílla quoque vescor libénter, módico sale aspérsa et bene cocta. *Aurel.* O miríficam Dei grátiam, qui dat nobis tot obsoniórum génera et tam bona! *August.* Quot putas esse hac in urbe paúperes, qui solo pane hordeáceo víctitant, neque tamen ad saturitátem? *Aurel.* Non dúbito quin multi sint, in tanta praesértim annónae caritáte. *August.* Ítaque nos in tanta bonárum rerum cópia, quantas Deo grátias ágere debémus? quas laudes illi dícere? *Aurel.* Éius ígitur benefícia magnífice ubíque praedicémus: atque ínterim precémur, ut paúperum suórum misereátur inópiae. *August.* Útinam ipse ánimos nostros suo Spíritu ad eam rem pénitus affíciat. *Aurel.* Ita precor.

ELOCÚTIO.

Mater dedit mihi carnem búbulam in meréndam ... in prándium.
Vide, quam macra sit haec caro.
Malo esse carnem vitulínam quam búbulam.
Iudaéi non vescúntur carne suílla.
Caro assa sapit mihi in génere omni.
Non est mentiéndum ... mentíri non est viri boni.
Qui mendácio confídit, in paríetem cadúcum inclínat.
Diábolus est mendax et pater ómnium mendaciórum.
Mendácia absint a fíliis Dei et frátribus Christi.
Mentíri apud áliquem ... páscere áliquem mendáciis.
Loqui de se ipso ... de áliis.
Vívere, victitáre pane ... lacte.
Édere ad saturitátem.
Dícere Deo laudes.
Praedicáre benefícia Dei.
Miseréri alicúius ... Dómine, miserére mei.
Affícere ad áliquid.
Affícere laetítia áliquem ... iniúriis áliquem.
Inférre alícui iniúriam.

Collóquium XXXVIII.

Arguméntum: ***De púero contra vétitum praeceptóris in foro dulcíola eménte.***

ROBÉRTUS, BENEDÍCTUS.

Robert. Unde venis? *Benedict.* A foro. *Robert.* Quis te illuc míserat? *Benedict.* Mater. *Robert.* Quid egísti in foro? *Benedict.* Emi dulcíola. Robert. Nescis nos vétitos esse émere dulcíola áliqua? *Benedict.* Quis hoc ignórat? nam dictum est palam in aula. *Robert.* Qui ígitur ausus es émere dulcíola? *Benedict.* Mater dedit mihi nummum, ut mihi émerem in meréndam. Quid mali feci, si párui matri?

ELOCÚTIO.

Vénio a foro piscatório.
Vétiti sunt discípuli lúdere a mane usque ad vésperum.
Palam dícere ... clam ... in aurem.
Qui ausus es émere vinum, cum vétitum sit nos émere vinum?
Quid mali feci?
Quid commísi, commérui?
Parére paréntibus ... magistrátui; parére témpori ... parére necessitáti.

Collóquium XXXIX.

Arguméntum: ***Vestis mane induénda, non intérdiu mutánda.***

CÁROLUS, CUSTOS.

Carol. Unde affers istam tunículam? *Cust.* Domo. *Carol.* Quid vis fácere? *Cust.* Volo indúere. *Carol.* Nunc non est mutándi tempus. *Cust.* Quando ígitur? *Carol.* Cras mane, cum surges e lecto. *Cust.* Bene mones, exspectábo.

ELOCÚTIO.

Afférre áliquid domo.
Indúere thorácem ... pállium.

Paulus non fuit indútus pállio.
Mutáre vestes.
Súrgere e lecto, vel, lecto.
Súrgere multo ante lucem ... in altitúdinem.
Súrgere cúbitu, sella.

Collóquium XL.

Arguméntum: ***Interrogatiúncula de morbo. Deus est medicórum princeps.***

DIONÝSIUS, CONRÁDUS.

Dionys. Quid egísti per hos quíndecim dies? *Conrad.* Ministrávi matri, quae gráviter aegrotábat. *Dionys.* Ain' tu? *Conrad.* Sic est profécto. *Dionys.* Quo laborábat morbo? *Conrad.* Febri tertiána. *Dionys.* An conváluit? *Conrad.* Paulátim convaléscit, grátia Dei. *Dionys.* Quis eam sanávit? *Conrad.* Medicórum summus. *Dionys.* Quis ille? *Conrad.* Ipse Deus. *Dionys.* De hoc nihil dúbito: sed cúius ópera? *Conrad.* Dómini Patérni. *Dionys.* Is habétur máximi nóminis in medicínae professióne. *Conrad.* Id cotídie probant egrégiae curatiónes eius. *Dionys.* Quibus remédiis utebátur in curánda matre tua? *Conrad.* Medicaméntis. *Dionys.* Satis istud intéllego, étiam te tacénte; sed dic plane, quae fúerint ista medicaménta? *Conrad.* Sine me aliquantísper recordári. *Dionys.* Sino: dic tandem quae reminiscáris? *Conrad.* Duo tantum nómina mihi occúrrunt, iniectiónes et potiónes. *Dionys.* Quid ista cónferunt? *Conrad.* Eho, inépte, ita rogas, quasi ego medicínae óperam déderim. Ítaque si cupis ámplius scire, quaere tute ipse ab iis pótius, qui ista profiténtur, hoc est, a médicis et medicamentáriis, pharmacopólis. *Dionys.* Ne mihi suscensúeris, oro. *Conrad.* Cur tu es ádeo curiósus? *Dionys.* Ut addíscam semper áliquid. *Conrad.* At vide ínterim, ne vocéris percontátor. *Dionys.* Audi tamen item pauca. *Conrad.* Lóquere. *Dionys.* Quámdiu aegrotávit mater? *Conrad.* Duas fere hebdómadas. *Dionys.* Intérea ubi erat pater? *Conrad.* Proféctus erat Lugdúnum ad mercátum *Dionys.* Sed tu, qua hora redísti in gymnásium? *Conrad.* Hódie mane. *Dionys.* Dedistíne excusatiónem praeceptóri? *Conrad.* Dedi. *Dionys.* Quid tibi respóndit? *Conrad.* Factum bene, inquit. Tu vero ubi fuísti? *Dionys.* Hestérno die rus ii cum pátruo. *Conrad.* Age, videámus, quid simus redditúri hora secúnda: nam ego quodam modo nunc novus sum scholásticus.

ELOCÚTIO.

Quid egísti per hos quattuórdecim dies?
Gráviter aegrotáre.
Laboráre febri tertiána ... pódagra ... cápite, vel, ex cápite, déntibus.
Soror mea natu máxima convaléscit paulátim.
Deus est medicórum summus.
De hoc nihil dúbito ... de re áliqua dubitáre.
Conváluit ópera médici.
Gerárdus habétur nóminis máximi in professióne medicínae.
Mercátor máximi nóminis.
Uti remédiis in curándo aegro.
Sine me aliquantísper recordári.
Nunc mihi non occúrrit ... reminísci áliquid, alicúius, de áliqua re.
Dare óperam medicínae ... theológiae ... iurisprudéntiae.
Profitéri medicínam ... theológiam.
Profitéri áliquid ... profitéri se iurisconsúltum.
Suscensére alícui. Curiósus recéntium ... incuriósus periculórum.
Proficísci ad mercátum.
Dare excusatiónem praeceptóri.
Ire rus ... redíre rure ... esse rure vel ruri.
Videámus, quid redditúri simus hora secúnda.

Collóquium XLI.

Arguméntum: ***Ernéstus Eusébio aegrotánti suadet, ut quiéscat. Paret Eusébius.***

ERNÉSTUS, EUSÉBIUS.

Ernest. Quid tristis es, Eusébi? *Euseb.* Aegróto. *Ernest.* Quid morbi est? *Euseb.* Néscio. *Ernest.* Sed tamen, estne gravis morbus? *Euseb.* Non ádmodum, gratia Dei. *Ernest.* Quidnam tibi dolet? *Euseb.* Caput. *Ernest.* Quid? totúmne caput? *Euseb.* Non certe. *Ernest.* Quae pars ígitur? *Euseb.* Néscio nomen. *Ernest.* Estne vertex? *Euseb.* Non est. *Ernest.* Quid ergo? utrum sínciput? an ócciput? *Euseb.* Haec pars antérior. *Ernest.* Est ergo sínciput. *Euseb.* Quid ígitur fáciam? *Ernest.* Quiésce bene: mox sanus eris. Sic enim a matre accépi nullum esse praeséntius remédium cápitis dolóribus quam quiétem. *Euseb.* Atque várii sunt

morbi cápitis. *Ernest.* Et vária fortásse remédia: sed quid est facílius, quam id tentáre, quod dixi tibi? *Euseb.* Experíri quidem nihil, ut spero, nocébit: sed ubi quiéscam? *Ernest.* Domi vestrae in lecto. *Euseb.* Mater non sinet. *Ernest.* Immo, si díxeris te aegrotáre. *Euseb.* Atqui me putábit simuláre. *Ernest.* Fíeri potest: sed quid dúbitas perículum fácere? *Euseb.* Bonum consílium. *Ernest.* Útere, si vis. *Euseb.* Fáciam profécto. *Ernest.* Enímvero, si sapis. *Euseb.* Sed unum restat. *Ernest.* Quid est? *Euseb.* Impetránda est a praeceptóre vénia. *Ernest.* Adi et pete. *Euseb.* Quid? si nolit dare. *Ernest.* Immo facíllime. *Euseb.* Qui scis istud? *Ernest.* Quia satis est crédulus nobis; nisi qui aliquóties illum fefellérunt. *Euseb.* Numquam sciens illum feféllí. *Ernest.* Ito ígitur fidénter. *Euseb.* Nunc eo. *Ernest.* Sed heus prius meditáre, quid sis dictúrus, ne forte loquéndo haéreas. *Euseb.* Bene mones: non accédam imparátus.

ELOCÚTIO.

Soror mea natu mínima vidétur mihi subtrístis.
Quo labórat frater tuus morbo?
Laboráre morbo gravi ... ex cápite, pédibus.
Caput dentésque dolent mihi.
Simuláre morbum ... probitátem.
Fácere perículum.
Vénia impetránda est.
Praecéptor satis crédulus est nobis.
Praebére se crédulum.
Inclinátus ad credéndum ánimus.
Id ad fidem própius est.
Adíbo praeceptórem fidénter.
Meditáre, quid dictúrus sis.
Haerére loquéndo, recitándo praelectiónem.
Imparátus accéssit.
Ánimus paci et bello parátus.

Collóquium XLII.

*Arguméntum: **De frígoris acerbitáte et hypocaústi incómmodo.***

FABIÁNUS, FORTUNÁTUS.

Fabian. Quo nunc is? *Fortunat.* In hypocaústum. *Fabian.* Quid eo? *Fortunat.* Hóccine rogándum est? nonne frigus sentis?

Fabian. Quotusquísque nunc non sentit, cum ádeo sit acérbum? sed ego malim me in culína calefácere. *Fortunat.* Atqui praecéptor vétuit. *Fabian.* Non ignóro: sed rogábo véniam. *Fortunat.* Cur non vis in hypocaústo calefíeri? *Fabian.* Vapóres tentant mihi caput, quod alióqui infírmum satis hábeo: unde fit, ut fácile ex cápite labórem. *Fortunat.* Ego quoque sic aliquándo fui: sed paulátim assueféci me ad ferénda hypocaústi incómmoda. *Fabian.* Et ego, ut spero, me assuefáciam: verum praestat id fíeri horis postmeridiánis, ubi tantus ille aestus deferbúerit. *Fortunat.* Sed nunc tempus non est hic philosophándi diútius, iam mihi dentes frígore crépitant.

ELOCÚTIO.

Frígeo, frígore premor.
Frigus acérbum ... véhemens, hórridum.
Frigus tolerábile, temperátum.
Praecéptor vetuit nos calefácere nos in culína.
Vétiti sumus calefácere nos in culína.
Vapóres tentant mihi caput.
Hábeo caput infírmum.
Assueféci me ad ferénda hypocaústi incómmoda.
Assuefácere se alícui rei, vel, ad áliquam rem.
Aestus deférbuit.
Deférbuit adulescéntia.
Ira defervéscit.
Dentes mihi frígore crépitant.

Collóquium XLIII.

Arguméntum: ***Curiósus res novas audíre semper captat.***

GREGÓRIUS, GEÓRGIUS.

Gregor. Unde venis? *Georg.* E foro. *Gregor.* Quid illic audivísti novi? *Georg.* Nihil. *Gregor.* Nihílne? *Georg.* Nihil prorsus. *Gregor.* Mirum est te nihil audivísse de bello, aut de céteris rebus. *Georg.* De iis, quae nihil ad me pértinent, non sóleo percontári. *Gregor.* Esto: sed tamen áliquid vel in tránsitu audíri solet. *Georg.* Ne méntiar, intelléxi nonníhil in tránsitu. *Gregor.* Narra mihi, quaeso. *Georg.* Nunc non est narrándi spátium. *Gregor.* Cur

non? *Georg.* Est mihi álio properándum. *Gregor.* Quonam? *Georg.* Nihil ad te. *Gregor.* Quando ígitur revíses nos, ut ex te hoc audiámus? *Georg.* Post prándium, si licébit per ótium. *Gregor.* Amábo te, fac líceat. *Georg.* Dabo óperam: sed noli me detinére diútius. Vale.

ELOCÚTIO.

Veníre e foro.
Nihílne audivísti novi?
Mirum est te nihil audivísse de bello.
Doménticus usus et consuetúdo.
In usu verbum esse coepit.
Hoc nihil ad me pértinet ... nihil me tangit, áfficit.
Audívi áliquid in tránsitu de fratre tuo.
Non est mihi nunc spátium narrándi.
Properáre, festináre, acceleráre, maturáre.
Properáre ad áliquem locum, in locum ... properáre ócius.
Próperat hoc fácere.
Properándum est tibi, festináto, maturáto opus est, ut brevi revísas nos.
Nunc mihi non licet per ótium.
Dare enixe óperam alícui rei.
Dare óperam, ne áliquid fiat.

Collóquium XLIV.

Arguméntum: ***Interrogatiónes curiósae de rebus minutíssimis, nec tamen inútiles. Praeparátio in rebus ómnibus. Patris famílias diligéntia in re familiári.***

HADRIÁNUS, HILÁRIUS.

Hadrian. Cur hódie mane afuísti? *Hilar.* Occupátus eram. *Hadrian.* In quo negótio? *Hilar.* In scribéndis ad matrem lítteris. *Hadrian.* Quid opus erat illi scríbere? *Hilar.* Quia ad me scrípserat. *Hadrin.* Ergo rescripsísti. *Hilar.* Próprie lóqueris. *Hadrian.* Unde tibi míserat lítteras? *Hilar.* Rure, nempe ex villa nostra. *Hadrian.* Quando rus profécta est? *Hilar.* Superióribus diébus. *Hdrian.* Quid agit ruri? *Hilar.* Curat nostra negótia rústica. *Hadrian.* Quid potíssimum? *Hilar.* Praéparat ea, quae sunt opus ad próximam vindémiam. *Hadrian.* Prudénter agit. *Hilar.* Unde

istud probáveris? *Hadrian.* Nam ómnibus in rebus adhibénda est praeparátio díligens. *Hilar.* Quis te istud dócuit? *Hadrian.* Quidam paedagógus dictávit e Ciceróne. *Hilar.* Qua occasióne? *Hadrian.* Cum admonéret, ut me diligénter parárem ad reddéndum, quod didíceram, póstero die. *Hilar.* Profécto recte monébat. *Hadrian.* Sed ad propósitum revertámur. Non habétis vílicum, qui curet ruri vestra negótia? *Hilar.* Immo et vílicam habémus, et fámulos, et ancíllas. *Hadrian.* Quid ígitur opus est illic tuae matris ópera? *Hilar.* Quia mélius novit providére rebus ómnibus, quam isti imperíti rurícolae. *Hadrian.* Nihílne ámplius? *Hilar.* Sine me finíre propósitum. *Hadrian.* Putábam te absolvísse: perge. *Hilar.* Etiam, ut ex patre audívi, praecípua cura dómini requíritur in re familiári administránda. *Hadrian.* Ergo pater tuus nunc pótius debéret ad villam esse. *Hilar.* Non potest. *Hadrian.* Quid próhibet? *Hilar.* Quia totus est in arte sua occupátus. *Hadrian.* Maiórem, ut opínor, ex ea re fructum pércipit. *Hilar.* Quis dúbitet? *Hadrian.* Inde ígitur fit, ut relínquat uxóri omnem curam rei domésticae. *Hilar.* Omníno sic est. *Hadrian.* Sed mater quando revertétur? *Hilar.* Vix ante perféctam vindémiam. *Hadrian.* Quid tu? non ibis vindemiátum? *Hilar.* A matre, ut spero, arcéssar. Sed quaeso te, quid cogitámus? Iam omnes in auditórium currunt. *Hadrian.* Bene res se habet: currámus et nos, ne postrémi simus.

ELOCÚTIO.

Occupátus in áliqua re.
Rescríbere ad áliquam.
Próprie lóqueris.
Lítterae mihi missae sunt rure.
Mater mea profécta est rus.
Quid frater tuus tam diu agit ruri?
Curáre negótia rústica.
Curáre studióse áliquid.
Paedagógus meus hódie mihi dictávit e Ciceróne ómnibus in rebus diligéntem praeparatiónem adhibéndam esse.
Paráre se ad áliquid ... ad reddéndum quod dídicit aliquis.
Revérti ad propósitum.
Opus est mihi ópera tua.
Opus est mihi, nobis, vobis charta.
Providére rebus necessáriis.
Providére alícui rei.
Providére rei frumentáriae, vel, rem frumentáriam.

Providére ligna in híemem.
Finíre, absólvere áliquid.
Audíre áliquid ex áliquo.
Magna cura requíritur in administránda re familiári.
Administráre rem familiárem.
Percípere fructum ex re áliqua ... ex stúdiis.
Pater meus omnem curam rei domésticae relínquit matri meae.
Mater mea ante perféctam vindémiam vix revertétur.
Ire vindemiátum.
Arcéssi ab áliquo.
Currámus, ne postrémi simus.

Collóquium XLV.

Arguméntum: ***Iúlius de patre rogátus a Iacóbo, Antvérpiam ait hunc ad mercatum abísse, eiúsque réditum in horas exspectári: Deus úbivis locórum suos consérvat.***

IACÓBUS, IÚLIUS.

Iacob. Ubi nunc est pater tuus? *Iul.* Puto eum esse Antvérpiae. *Iacob.* Quid illic agit? *Iul.* Negotiátur. *Iacob.* Ex quo témpore? *Iul.* Ab ipso inítio mercátus. *Iacob.* Valde miror, qui aúdeat illic commorári tot dies, cum pituíta tanta sit per totam urbem. *Iul.* Non est ádeo mirándum. *Iacob.* Ítane tibi vidétur? *Iul.* Ita profécto. Fuit enim álias in maióre perículo, sed Dóminus Deus semper eum custodívit. *Iacob.* Credo équidem, et adhuc custódiet. Sed quando est reversúrus? *Iul.* Néscio. In horas exspectámus. *Iacob.* Redúcat eum Deus! *Iul.* Ita precor.

ELOCÚTIO.

Pater meus negotiátur Antvérpiae.
Ex quo témpore?
Miror, quod pater tuus aúdeat illic commorári.
Pituíta est per totam urbem.
Esse in perículo ... in discrímine versári, constitútum esse, periclitári.
Exspectámus patrem in horas.
Deus illum ducat et redúcat.

Collóquium XLVI.

Arguméntum: Lucas Lambérto de patris advéntu gratulátur. Témporis habénda est rátio.

LUCAS, LAMBÉRTUS.

Luc. Quid ita laetus es? *Lambert.* Quia venit pater. *Luc.* Ain' tu? unde venit?*Lambert.* Lutétia. *Luc.* Quando advénit? *Lambert.* Modo. *Luc.* Iamne salutásti? *Lambert.* Salutávi, cum ex vehículo descénderet. *Luc.* Quid ámplius illi fecísti? *Lambert.* Calceaménta detráxi. *Luc.* Miror te non mansísse domi, propter eius advéntum. *Lambert.* Nec ille permisísset, nec ego vellem, praesértim nunc, cum audiénda est praeléctio. *Luc.* Bene tibi cónsulis, qui témporis ratiónem hábeas. Sed quid pater? valétne? *Lambert.* Recte, Dei benefício. *Luc.* Équidem gaúdeo plúrimum tua et eius causa, quod salvus péregre redíerit. *Lambert.* Facis, ut amícum decet: sed cras plúribus verbis colloquémur. Vide praeceptórem, qui iam ingréditur auditórium. *Luc.* Eámus audítum praelectiónem.

ELOCÚTIO.

Est álacer atque laetus.
Est hílari ánimo; est bono ánimo.
Exultáre gaúdio, laetítia; efférri laetítia; gestíre laetítia.
Quid est, quo minus laetus sis?
Pater venit Lutétia.
Iamne salutásti patrem?
Descéndere ex vehículo ... equo. Rédiit pedes, via férrea, bírota velocíssima, automatária, autocinéto, aëronávi.
Detráhere calceaménta.
Miror te non mansísse domi ... quod non mansísti.
Permísit mihi pater manére domi.
Permíttere alícui ómnia.
Permíttere se alícui ... fídei alicúius.
Consúlere alícui .. consúlere áliquem.
Habére ratiónem témporis ... observáre tempus, servíre témpori.
Gaúdeo tua et fratris tui causa, quod pater tuus salvus et incólumis péregre redíerit.
Non decet Christiánum gaudére aliórum malis.
Cras plúribus verbis colloquémur.
Íngredi hypocaústum ... muséum ... auditórium.

Collóquium XLVII.

Arguméntum: ***Interrogatiúncula de proféctu ad locum et réditu ex loco.***

PAULUS, IOÁNNES.

Paul. Estne domi frater tuus? *Ioan.* Cur istud rogas? *Paul.* Pater meus vóluit eum convenire. *Ioan.* Non est in hac urbe. *Paul.* Ubi ígitur? *Ioan.* Péregre proféctus est. *Paul.* Quando? *Ioan.* Núdius tértius. *Paul.* Quonam iit? *Ioan.* Lutétiam. *Paul.* Qua iter factúrus est? *Ioan.* Lugdúno. *Paul.* Utrum pedes an eques iit? *Ioan.* Iit equo. *Paul.* Quando redíbit? *Ioan.* Néscio. *Paul.* Sed quem diem constítuit illi pater? *Ioan.* Iussit, ut hic adésset ad vicésimum huius mensis diem. *Paul.* Ducat illum Deus, ac redúcat! *Ioan.* Ita precor.

ELOCÚTIO.

Convenire áliquem.
Proficísci péregre.
Qua iter factúrus est?
Dic, qua sit iter?
Ábiit eques, vel, equo.
Rédiit pedes, autocinéto, bírota automatária.
Quonam is? ... quo destinásti iter? ... quo tendis? ... quonam tibi iter est?
Peto domum, rus. Concédo Lugdúnum.
Quem pater tuus sibi constítuit diem réditus?
Pater iussit, ut adéssem; iussit me adesse; ad diem vicésimum octóbris.

Collóquium XLVIII.

Arguméntum: ***De réditu ex villa.***

NORBÉRTUS, MAXIMILIÁNUS.

Norbert. Ubi fuísti his diébus? *Maximil.* Ruri. *Norbert.* Quo in loco? *Maximil.* In villa nostra. *Norbert.* Quid agébas illic?

Maximil. Ministrábam patri. *Norbert.* Quid vero ille? *Maximil.* Pastinábat vites nostras. *Norbert.* Quando illinc redísti? *Maximil.* Heri tantum. *Norbert.* Quid pater? *Maximil.* Una mecum revértit. *Norbert.* Bene factum: sed quo nunc is? *Maximil.* Recta domum. *Norbert.* Quando répetes ludum litterárum? *Maximil.* Cras, iuvánte Deo aut summum peréndie. *Norbert.* Ergo ínterim vale. *Maximil.* Et tu vale, mi Norbérte.

ELOCÚTIO.

Fui ruri ... vénio rure ... ibo rus.
Pastináre vites.
Recta domum ire.
Repétere ludum litterárum.

Collóquium XLIX.

Arguméntum: ***Robértus et Alphónsus de réditu a vindémia deque uvis allátis colloquúntur.***

ROBÉRTUS, ALPHÓNSUS.

Robert. Grátulor tibi réditum, Alphónse; quando redísti rure? *Alphon.* Heri post merídiem. *Robert.* Quid mater? *Alphon.* Quemádmodum illa me secum dúxerat, ita redúxit. *Robert.* Nonne venit in equo? *Alphon.* Et quidem tolutário. *Robert.* Tu vero? *Alphon.* Quid rogas? eram illi a pédibus. *Robert.* Non tibi fuit moléstus labor itíneris? *Alphon.* Nulla mihi fuit via difficilis; adeo erat iucúnda in urbem redítio; quid quaeris? noluíssem eques veníre. *Robert.* Quantum distat hinc villa vestra? *Alphon.* Quáttuor miliáriis, iísque non ádmodum longis. *Robert.* Sed iam. satis de réditu, nunc áliud agámus. Fuistíne memor promíssi tui? num redísti vácuus? *Alphon.* Áttuli uvárum quantum pótui. *Robert.* Quantum ígitur? *Alphon.* Quasíllum. *Robert.* Hui, quasíllum! tibi ígitur? uni! *Alphon.* Immo nobis duóbus. *Robert.* Quid duóbus tantíllum? *Alphon.* Non póteram ferre ámplius, pro víribus corpúsculi mei; quod si robústus essem, ásini onus asportássem, mater enim fácile permittébat. *Robert.* Quam vellem affuísse! *Alphon.* Maťer et ego te plúrimum desiderávimus. Sed esto ánimo bono; ea relíquit fámulum ruri, qui amplíssima corbe onústus véniet; tum illa tibi dabit áffatim. *Rober.* Aha, nunc optáta

lóqueris, mi Alphónse. *Alphon.* Eámus domum; vidébis quasíllum nostrum adhuc, ut spero, íntegrum. *Robert.* O lépidum caput! nam et cupiébam ire salutátum matrem tuam mihi caríssimam. *Alphon.* Profécto illi gratíssimum féceris. *Robert.* Eámus ígitur.

ELOCÚTIO.

Gratulári alícui réditum ... alícui áliquid ... áliqua re, vel, de áliqua re.
Redíre rure.
Venit in equo, vel, venit eques.
Sum illi a pédibus ... a ratiónibus ... a secrétis ... a cubículo ... a látere ... a consíliis ... a contiónibus.
Nulla mihi fuit via diffícilis.
Villa nostra distat ab urbe tribus miliáriis ... tria miliária.
Rédiit vácuus.
Vácuus curis, vel, curárum.
Esse bono ánimo.
Onústus lítteris.
Optáta loqui.
Fácere gratum alícui.

Collóquium L.

Arguméntum: ***Albértus percontátur de rebus ad Geórgium pertinéntibus.***

ALBÉRTUS, GEÓRGIUS.

Albert. Quo in statu sunt res vestrae Lugdunénses? *Georg.* Néscio, iam pridem nihil audímus. *Albert.* Nihílne scripsit frater tuus? *Georg.* Post menses duos nihil litterárum misit, quod víderit pater. *Albert.* Fortásse aegrótat. *Georg.* Mínime vero; nam tabellárii saepe nobis salútem núntiant verbis eius. *Albert.* Libénter aúdio illum recte valére. Valde eum díligo, qui fuit mihi suavíssimus condiscípulus. *Georg.* Ille, ut, opínor, te vicíssim díligit. *Albert.* Id vero mihi non est dúbium. Sed nos hora vocat: eámus in auditórium. *Georg.* Maturémus. Iam recitátur catálogus.

ELOCÚTIO.

Quo in statu sunt res vestrae? Resp. Felíci, próspero, advérso.
Nihílne litterárum accepísti ex pátria?
Nihílne litterárum ad te missum est?
Núntia praeceptóri tuo verbis meis salútem ... meo nómine.
Libénter aúdio, fratrem tuum recte valére.
Geórgius est mihi suavíssimus condiscípulus.
Id non est mihi dúbium ... de hac re nihil dúbito.
Dúbium mihi est ... haéreo, ámbigo, in dúbio sum; addúbito, in dúbium vénio.
Vénio in dúbium de tua fide ... tua fides venit mihi in dúbium.

Collóquium LI.

Arguméntum: ***Interrogatiúncula de accéptis lítteris.***

ROBÉRTUS, RAIMÚNDUS.

Robert. Quid legis? *Raimund.* Lítteras. *Robert.* A quo accéptas? *Raimund.* A patre. *Robert.* Quando accepísti? *Raimund.* Heri véspere. *Robert.* Quis áttulit? *Raimund.* Néscio. *Robert.* Nescis? quis tibi réddidit eas? *Raimund.* Ancílla quaedam a caupóne. *Robert.* Unde sunt datae? *Raimund.* Lutétia, credo. *Robert.* Quo die? *Raimund.* Nondum lícuit inspícere. *Robert.* Nempe ego te interpellávi. *Raimund.* Paulum refert: non ádeo sum occupátus. *Robert.* Age, pérlege tuam epístulam: ego quoque mox idem fáciam.

ELOCÚTIO.

Réddere lítteras alícui.
Lítterae datae sunt, scriptae, Lípsiae.
Nondum lícuit mihi inspícere lítteras.
Tabellárius mihi epístulam tuam non réddidit loco et témpore.

FINIS LIBRI TERTII

LIBER QUARTUS

QUI DE PRAECÉPTIS VEL IIS, QUAE PRO PRAECÉPTIS ÓBTINENT, CUM DISCÍPULIS COLLÓQUIA CÓNTINET.

Collóquium I.

Arguméntum: ***Paedagógus, ad exercéndam suórum discipulórum memóriam, a quodam eórum exercitatiónis matutínae ratiónem éxigit. Narrat iúvenis órdine et distíncte síngula, idque memóriter, et audiéntibus condiscípulis. Exémplum iúvenes in símplici narratióne exercéndi, ut puro sermóni paulátim assuéscant.***

PAEDAGÓGUS, ALBÉRTUS.

Paed. Hódie mane quota expergefáctus es? *Albert.* Ante lucem: quota hora néscio. *Paed.* Quis te expergefécit? *Albert.* Venit excitátor hebdómadae huius; pulsávit ácriter óstium cubículi; quidam apéruit, excitátor accéndit nostram lucérnam, clara voce inclamávit: experrécti sunt omnes. *Paed.* Narra mihi órdine, quid égeris ex illo témpore usque ad finítum ientáculum. Vos, iúvenes, aúribus atque ánimis diligénter atténdite, ut discátis hunc vestrum condiscípulum imitári. *Albert.* Experréctus surréxi e lecto, índui túnicam cum thoráce, sedi in scabéllo, accépi femorália et tibiália, utraque índui, cálceos calceávi, femorália lígulis astrínxi thoráci, tibiália periscélide ligávi supra crura, cíngulo me praecínxi: accépi frígidam e sítula, manus et fáciem lavi, os et dentes cóllui: detérsi mantéli manus et fáciem, caput diligénter pexi, aptávi cápiti piléolum, togam índui: deínde egréssus cubículum descéndi infra. Intérea signum ad precatiónem datur minóre tintinnábulo: in concláve convenítur, precámur una: accípimus órdine ientáculum a fámulo culinário: ientámus in triclínio sedéntes et quiéti, sine múrmure, sine strépitu: quos audívi inépte garriéntes aut verba loquéntes otiósa, amíce admónui: qui non paruérunt admonitióni, détuli ad observatórem, ut eos notáret. *Paed.* Némone vobis praéerat, cum ientarétis? *Albert.* Immo hypodidáscalus. *Paed.* Quid agébat intérea? *Albert.* Ille per médium concláve ambulábat, tenens librum in mánibus, et idéntidem monens observatórem, ut notáret inépte garriéntes. *Paed.* Nullúmne ígitur ver-

bum tunc licet emíttere? *Albert.* Immo licet: verum ii notári solent, qui diu et multis verbis inépte et sine ullo fructu confabulántur. Céterum licet ómnibus iucúndos inter se tractáre sermónes de bonis et honéstis rebus: dum tamen id modéste fiat, citra clamórem et contentiónem. *Paed.* Háctenus satis fecísti mihi; cétera narrábis post prándium, nisi áliquod negótium intervénerit. Eámus nunc in auditórium, ne magístro in mora simus. *Albert.* Audívi modo signum dari. *Paed.* Opportúne datum.

ELOCÚTIO.

Expergísci, solvi somno, evigiláre.
Expergefácere áliquem.
Pulsáre óstium ... cubículi.
Aperíre iánuam, fores.
Inclamáre áliquem eláta voce.
Narráre áliquid órdine.
Atténdere aúribus atque ánimis ... ad áliquid ... alícui.
Imitári áliquem.
Súrgere e lecto ... e strato ... a mensa.
Indúere túnicam ... thorácem ... pállium.
Sedére in scabéllo.
Calceáre cálceos.
Femorália lígulis astríngere thoráci.
Ligáre tibiália periscelídibus supra crura.
Praecíngere se cíngulo.
Aptáre cápiti píleum ... impónere píleum ... operíre caput ... tégere caput.
Aperíre caput.
Réddere urínam.
Accípere frígidam e sítula.
Laváre manus ... ablúere ... acqua purgáre.
Collúere os et dentes.
Detérgere manus et fáciem mantéli.
Signum datur ad precatiónem ... ad contiónem.
Ientámus sedéntes et quiéti, sine múrmure et strépitu.
Observatóris est amíce admonére garriéntes.
Parére admonitióni.
Deférre aliquem ad áliquem .. inépte garriéntes.
Notáre áliquem creta.
Hypodidáscalus praéerat nobis.
Ambuláre per médium auditórium, concláve.

Ne verbum quidem licet in auditório, praesénte praeceptóre, emíttere.
Tractáre sermónes iucúndos de rebus honéstis.
Satisfácere alícui.
Negótium áliquod intérvenit.
Esse alícui in mora.

Collóquium II.

Arguméntum: ***Proséquitur discípulus narratiónem ante prándium incéptam.***

PAEDAGÓGUS, DISCÍPULUS.

Paed. Ubi finivísti narratiónem ante prándium? *Disc.* Cum vellem finem impónere de ientáculo, tu me interpellásti, praecéptor. *Paed.* Perge ígitur narráre órdine réliqua. *Disc.* Dum ientándi finem fácimus, datur públicum signum postérius. Sumit unusquísque libros, imus in auditórium. Convéniunt omnes, ego item vénio cum meis condiscípulis. Sédeo in loco meo; praecéptor ingréditur, púlpitum ascéndit, ut precétur; iubet nos atténtos esse, tumque públice precátur; deínde sedet in cáthedra sua, et inquírit de abséntibus; abséntes notántur in catálogo: qui adsunt ad nomen respóndent, ego quoque respóndeo. Deínde iubet pronuntiári auctóris scriptum. Pronuntiámus terni clara voce, ut solémus cotídie. Tum iubet, ut reddámus interpretatiónem; áliquot ex rudióribus legunt sínguli; nos autem réddimus terni, idque memóriter. Tandem praecéptor rogat vernáculam verbórum significatiónem: doctióres, quibus nominátim praécipit, respóndent: ego quoque iussus ab eo respóndeo: laudat ille eos, qui bene respondérunt, e quorum número ego, quod sine iactántia dico, unus fui. Póstea iubet síngulas oratiónis partes órdine tractári ad ratiónem grammáticam. Postrémo palam praescríbit quid sit post prándium reddéndum: audíta hora octáva, precatiónem ímperat: qua finíta, monet ut offícium sédulo faciámus: tandem nos missos facit. Eo spectánte, exímus, órdine et sine strépitu, laetíque discédimus. Satísne tibi feci, praecéptor? *Paed.* Immo cumulatíssime. *Disc.* Placétne tibi, ut sub cenae tempus idem fáciam de réliquis huius diéi áctibus? *Paed.* Nihil opus erit: nam de iis, quae horis postmeridiánis agúntur, álias te audívi satis.

Disc. Numquid vis praetérea? *Paed.* Estne tempus eúndi in concláve ad cantiónem? *Disc.* Tempus est. *Paed.* Ite ígitur.

ELOCÚTIO.

Impónere finem alícui rei.
Impónere finem ientáculo ... fácere finem ientándi.
Impónere alícui áliquid ... onus.
Impónere alícui.
Signum prius datum est ... signum postérius.
Catálogus recitátur a praeceptóre.
Respondére ad nomen.
Finíta catalogórum recitatióne ... finíta praelectióne.
Si praecéptor iubet discípulos esse atténtos, nulli licet verbum emíttere.
Unusquísque sédeat in loco suo. In suo quisque sédeat loco.
Inquírere de abséntibus, vel in abséntes.
Inquírere in causam abséntiae alicúius.
Inquírere in áliquid, de áliquo.
Pronuntiáre praelectiónem clara voce.
Áliquot ex rudióribus discípulis reddunt interpretatiónem.
Praeíre alícui declinatiónes.
Praeíre alícui bono exémplo.
Voce praeíre.
Verbis vel verba praeíre.
Rogáre vernáculam verbórum significatiónem.
Petrus bene respóndit in perículo.
Absit iactántia dictis ... quod sine iactántia dico.
Praecéptor nondum praescrípsit nobis praelectiónem in crástinum.
Quid proféssor praescrípsit nobis cras reddéndum?
Palam praescrípsit, quid sit post prándium reddéndum.
Precatiónem ímperat.
Fac me missum ... fac sorórem missam.
Exíre órdine ... sine strépitu.
Laetus discéssit.
Sub cenae tempus.
Audíre áliquem de re áliqua.
Est tempus eúndi ... discéndi ... recitándi praelectiónem, vel, recitándae praelectiónis.

Collóquium III.

Arguméntum: ***Paedagógus discípulum divínis rebus per ótium instítuit. Divinórum beneficiórum commemorátio. Christi mors salus est ómnium fidélium. Laudátur discípuli stúdium ac diligéntia. Locus ex Ioánnis Evangélio.***

PAEDAGÓGUS, AUGUSTÍNUS DISCÍPULUS.

Paed. Ades, Augustíne? *Aug.* Adsum, praecéptor. *Paed.* Quid agunt duo condiscípuli tui? *Aug.* Adhuc docéntur a tutóre. *Paed.* Tu vero iamne pronuntiásti contéxtum praelectiónis in crástinum? *Aug.* Pronuntiávi. *Paed.* Satísne recte? *Aug.* Satis, benefício Dei. *Paed.* Quis te audívit? *Aug.* Repetítor. *Paed.* Bene habet: sed est quod monére te velim. *Aug.* Ego hoc audíre percúpio. *Paed.* Saepenúmero, cogitándum tibi est, quantum débeas bonórum ómnium largitóri Deo, qui et ingénium et memóriam tam felícem tibi dedit. *Aug.* Quid Illi non débeam, qui mihi dedit ómnia? *Paed.* Dic áliquot eius benefícia praecípua, quemádmodum dócui te aliquándo. *Aug.* Dedit mihi caeléstis ille Pater corpus, ánimam, vitam, mentem bonam, paréntes bonos, locuplétes, nóbiles, bene erga me afféctos: et qui non modo suppéditant mihi copióse ómnia ad hanc vitam necessária, sed étiam, quod est longe máximum, me bonis lítteris bonísque móribus tam diligénter instituéndum curant, ut nihil sit praetérea requiréndum. *Paed.* Vere ómnia ista dixísti: sed unum praetermisísti, quod est singuláre Dei benefícium. Scin' tu, quid sit? *Aug.* Sine me paulísper cogitáre. *Paed.* Otióse cógita. *Aug.* Nunc ego reminíscor; sed pro magnitúdine rei, néscio quibus verbis id possim exprímere. *Paed.* Dic tamen quo póteris modo. *Aug.* Cógito étiam atque étiam. *Paed.* Dic tandem. *Aug.* Innumerabília sunt Dei óptimi máximi erga me benefícia, in córpore, in ánimo, in extérnis rebus: sed nullum maius nec dici nec cogitári potest, quam quod Fílium suum únicum gratis mihi déderit, qui me misérrimum peccatórem, et sub sátanae tyránnide captívum ac morti aetérnae destinátum redémit, idque morte sua ómnium crudelíssima, et máxime ignominiósa. *Paed.* Satis apte dixísti et tótidem fere verbis quot álias te docúeram. *Sed* numquid Deus tibi uni hoc tantum benefícium praéstitit? *Aug.* Mínime vero. *Paed.* Quibus praetérea? *Aug.* Ómnibus, quotquot Evangélio fidéliter ac vere credíderint. *Paed.* Age, profer locum ex Ioánnis Evangélio in eam senténtiam. *Aug.* Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non péreat,

sed hábeat vitam aetérnam. Non enim misit Deus Fílium suum in mundum, ut condémnet mundum; sed ut servétur mundus per eum. Qui credit in eum, non condemnátur: qui vero non credit, iam condemnátus est, quia non credit in nomen unigéniti Fílii Dei. Haec est autem. *Paed.* Háctenus satis: sed cuius sunt verba ista? *Aug.* Ipsíus Christi, de se ipso loquéntis. *Paed.* Quem alló-quitur? *Aug.* Nicodémum, qui ad eum noctu venit. *Paed.* Fáciat ipse Christus únicus Salvátor noster, ut magis ipsíus cognitióne profícias. *Aug.* Fáciet, spero. *Paed.* Perge ígitur, ut coepísti alá-criter, quod bene vertat Deus in glóriam sui nóminis. *Aug.* Ita precor. *Paed.* Eámus cenátum.

ELOCÚTIO.

Est quod monére velim.
Nóbiles bene erga me affécti sunt.
Afféctus benévolus.
Afféctibus iísdem obnóxius.
Suppeditáre alícui ómnia necessária ... verba alícui.
Pater meus curávit fratrem meum bonis lítteris bonísque móribus instituéndum ... instituére áliquem áliqua re.
Reminísci áliquid, alicúius et de áliqua re.
Étiam atque étiam cogitáre de re áliqua.
Destináre áliquem ad mortem.
Morti aetérnae destinátus ... destináre diem alícui.
Christus redémit nos morte sua ómnium crudelíssima et máxime ignominiósa.
Praestáre alícui benefícium ... praestáre áliquid, offícium, munus suum.
Proférre locum ex sacris lítteris.
Proférre testes, in lucem.
Profícere in cognitióne Christi; profícere nihil.
Deus hoc vertat in nóminis sui glóriam.
Vértere ad glóriam, in bonum, culpam in áliquem.
Vértere vítio alícui áliquid.

Collóquium IV.

Arguméntum: ***Quidam discípulus studére mavult quam lúdere. Exémplum in discípulis raríssimum.***

PAEDAGÓGUS, BLÁSIUS DISCÍPULUS.

Paed. Unde venis? *Blas.* Vénio ex inferióre parte. *Paed.* Quod erat tibi negótium infra? *Blas.* Feram deambulátum. *Paed.* Side nunc ad mensam et mane in cubículo, donec rédeam. *Blas.* Quid agam intérea? *Paed.* Edísce praelectiónem in diem crástinum, ut eam mihi reddas ante cenam. *Blas.* Iam edídici, praecéptor. *Paed.* Lude ígitur. *Blas.* Sed nullos hábeo collusóres. *Paed.* Satis multos invénies in hac vicínia, ex tuis étiam condiscípulis. *Blas.* Nihil id curo; nunc malim, si tibi placet, edíscere de catechéseos libro in diem Domínicum. *Paed.* Ut libet. *Blas.* Si quis te quaeret, quid illi dicam? *Paed.* Dic, me prodísse, sed mox reversúrum.

ELOCÚTIO.

Veníre ex inferióre parte.
Quod erat tibi negótium?
Réddere urínam.
Quaérere áliquem.
Quaérere ex áliquo.
Edíscam áliquid de catechéseos libro in diem Domínicum.
Nulli mihi sunt collusóres ... quaeréndus est mihi collúsor.

Collóquium V.

Arguméntum: ***Quidam paedagógus discípulum edúcit ambulátum. Exercitátio córporis, Sócratis apophthégma. Ambulátio fit propter cómites iucúndior. Exémplum honéstae remissiónis in stúdiis.***

PAEDAGÓGUS, BENEDÍCTUS DISCÍPULUS.

Paed. Heus! Benedícte. *Ben.* Hem, praecéptor. *Paed.* Pone libros: iam satis toto die studuísti: para te, ut eámus ambulátum. *Ben.* Nonne post cenam praestáret? *Paed.* Salúbrior est ante cibum exercitátio córporis. *Ben.* Mémini ex te audivísse.

Paed. Narra Sócratis dictum in eam senténtiam. *Ben.* Cum Sócrates usque ad vésperam conténtius ambuláret, interrogátus quare id fáceret, respóndit se, quo mélius cenáret, obsonáre famem ambulándo. *Paed.* Probe meminísti, quis auctor? *Ben.* Cícero. Sed quo prodíbimus, praecéptor? *Paed.* Extra urbem. *Ben.* Mutabóne cálceos? *Paed.* Muta, ne istos novos púlvere conspérgas, sume etiam umbéllam, nisi mavis solem tibi infuscáre fáciem. *Ben.* Iam parátus adsum. *Paed.* Nunc sane prodeámus. *Ben.* Vocabóne ex vicínia unum aut álterum cómitem? *Paed.* Recte ádmones: sic enim incúndior erit deambulátio, nam per viam sermónes inter vos conferétis, et in umbra colludétis alícubi. *Ben.* Sic etiam excitábitur cibi appeténtia. *Paed.* Ego lento gradu praecédam: ubi nactus eris cómites, vos me per portam ripáriam sequímini. *Ben.* Nos ígitur illic exspectábis? *Paed.* Certo. *Ben.* Quid si nullos invénero? *Paed.* Nihilóminus séquere me, audísti? *Ben.* Audívi, praecéptor.

ELOCÚTIO.

Pónite libros, satis studuístis.
Toto die stúduit ... lítteris incúbuit ... óperam dedit.
Ire spatiátum, ambulátum.
Exercitátio córporis ante cibum salúbrior est.
Conténtius ambuláre.
Obsonáre famem ambulándo.
Prodíre extra urbem.
Mutáre cálceos ... senténtiam ... ánimum.
Mutáre vestiménta.
Conspérgere cálceos púlvere.
Ardor solis infúscat mihi fáciem.
Conférre sermónes inter se per viam.
Excitáre cibi appeténtiam.
Ego lento gradu praecédam ... Sequi áliquem.

Collóquium VI.

Arguméntum: ***Praeféctus offícium diligénter facit in requiréndis abséntibus.***

PAEDAGÓGUS, BERNÁRDUS DISCÍPULUS.

Praef. Ubi est frater tuus? *Bern.* Modo iit domum. *Praef.* Quid eo? *Bern.* Petítum nobis obsónium. *Praef.* Quid nunc vobis

opus est obsónio? *Bern.* In meréndam. *Praef.* Annon habétis in arca vestra? *Bern.* Non. *Praef.* Quid ita non? *Bern.* Quia mater non solet nobis dare obsónium, nisi in praesens tempus. *Praef.* Nempe quia novit vos esse gulósos. *Bern.* Numquid gulósi sumus? *Praef.* Quia fortásse uno convíctu devorátis, quod in tres datum fúerit. *Bern.* Tace, ego dicam fratri te nos gulósos vocáre. *Praef.* Tace, ego dicam praeceptóri fratrem tuum nihil áliud ágere quam discúrrere. *Bern.* Atqui prodíre non solet, nisi cum bona vénia praeceptóris. *Praef.* Atqui praeceptórem fallit. *Bern.* Quómodo fallit? *Praef.* Non enim mens est praeceptóris, ut ter cotídie pródeat. *Bern.* Sine illum veníre; vidébis quid tibi respóndeat. *Praef.* Immo víderit quid praeceptóri respóndeat.

ELOCÚTIO.

Ire petítum obsónium.
Homo gulósus, gulae déditus.
Uno convíctu Christóphorus dévorat, quod in tres datum est.
Frater tuus nihil áliud agit, quam discúrrit.
Pródii cum bona vénia praeceptóris.
Non fuit mens mea, ut te fállerem.
Non fuit mihi ánimus te decipiéndi.
Sine illum veníre.
Víderit frater tuus, quid praeceptóri respóndeat.
Quid aedítuus respóndit tibi?

Collóquium VII.

Arguméntum: ***Discípuli a lusu revocántur.***

REPETÍTOR, CLAÚDIUS et CLÉMENS DISCÍPULI.

Rep. Heus iúvenes, heus, heus! *Claud.* Quid clámitas? *Rep.* Desisténdum est a lusu. *Claud.* Eho, inépte, nondum quarta exácta est. *Rep.* Immo fere semihóra post quartam. *Clem.* Cur non dedísti signum? *Rep.* Quia tintinnábuli funis fractus est ... *Clem.* Clama íterum, sed attólle vocem. *Rep.* Heus iúvenes, recípite vos omnes. Festináte, festináte, inquam; urget praecéptor. *Claud.* Désine clamáre: accúrrunt omnes.

ELOCÚTIO.

Desístere a senténtia sua.
Desisténdum est a lusu, quarta exácta est.
Funis tintinnábuli fractus est.
Recípite vos in auditórium.
Desínere in áliquid.
Desínere clamáre.

Collóquium VIII.

Arguméntum: ***De quodam discípulo rus profécto cum patre.***

TUTOR, CORNÉLIUS DISCÍPULUS.

Tut. Ubi est Petrus? *Cor.* Iit foras. *Tut.* Quo? *Cor.* Ábiit rus. *Tut.* Quocum? *Cor.* Cum patre. *Tut.* Quis vénerat arcessítum? *Cor.* Patris fámulus. *Tut.* Quando in urbem redíbit? *Cor.* Hinc, ut dixit, ad octávum diem. *Tut.* A quo petívit abeúndi véniam? *Cor.* Ab hypodidáscalo. *Tut.* Cur non pótius a ludimagístro? *Cor.* Ad negótia prodíerat. *Tut.* Sat hábeo.

ELOCÚTIO.

Veníre arcessítum áliquem ... ad arcesséndum áliquem.
Hypodidáscalus reditúrus est in urbem die crástino.
Hinc ad tres hebdómadas.
Pétere véniam abeúndi.
Prodíre ad negótia.

Collóquium IX.

Arguméntum: ***Exémplum diligéntiae in agéndis rebus.***

DOMÍNICUS, CUSTOS.

Dom. Licétne ire cúbitum, condiscípuli? *Cust.* Cur ante horam? *Dom.* Quia tértia est mihi surgéndum. *Cust.* Quam ob rem? *Dom.* Scribéndi causa. *Cust.* Quid est tibi scribéndum? *Dom.*

Lítterae ad patrem. *Cust.* Cur non petis a praeceptóre véniam? *Dom.* Bene mones: estne in muséo? *Cust.* Puto esse; vise.

ELOCÚTIO.

Licet mihi, pater, ire cúbitum?
Licet, precor tibi faustam noctem.
Cras surgéndum est mihi hora tértia.
Scribéndi causa surgéndum est.
Scríbere lítteras ad patrem.
Cura has lítteras ad patrem meum perferéndas, ut hae lítterae perferántur.
Pétere véniam a praeceptóre.
Non dúbito, quin Philíppus petíverit véniam a praeceptóre.
Non dúbito Philippum petivísse véniam.

Collóquium X.

***Arguméntum:* Pública tutóris admonítio ad condiscípulos in conclávi commúni. Admonitiónis summa: ne discípuli témpore abutántur. Extemporális respónsio cuiúsdam primae classis discípuli.**

TUTOR, DONÁTUS.

Tut. Desinite, o pueri, garrire absente magistro,
Verba, quibus summus laeditur ille Pater.
De studiis potius tractate et rebus honestis:
Discite sermones, aptaque verba loqui.
Discite et inter vos reddenda revolvere saepe:
Doctor enim pueris semper adesse nequit.
Discite sectari vestigia certa bonorum:
Otia vos fallant blanda cavete precor.
En ego praemoneo, vos ne delectet abuti
Tempore: ne tergum verbera dura premant.
Ecce iterum vobis morum praedico magister,
Si quis erit caesus, ne mihi det vitio.
Don. Desine plura loqui: nemo parere recusat:
Est monitor nobis optimus ille Pater:
Illiusque Patris Natus, cui nomen Iesus:
Et qui nos renovans Spiritus intus alit.

Tut. Quem mihi sperassem tam respondere paratum?
Quis puer angelicos mittit ab ore sonos?
O quam te memorem nostrae doctissime classis?
Nam tibi divinum carmen ab ore fluit.
Non sum tam felix, ut fundam ex tempore versus:
Sed modo quae dixi, praemeditatus eram.
Don. Si meditatus eras, qui nunc tam fundis aperte
Castalios latices? quis furor iste novus?
Tut. Nam tua me tantis moverunt carmina flammis;
Ut mihi nunc videar posse movere feras.
Don. Sed cur immeritum tantis me laudibus effers?
Est tribuenda uni gloria summa Deo.
Atque utinam eloquium nobis spatiumque daretur,
Et nostra in laudes solveret ora suas.
Sed quia tempus adest, ut voce et mente precemur
Idque iubet doctor, desino plura loqui.

ELOCÚTIO.

Non licet discípulos garríre absénte professóre.
Laédere áliquem verbis.
Tractáre de stúdiis.
Revólvere saepe reddénda.
Magíster discípulis semper adésse nequit.
Sectári vestígia bonórum.
Ótia blanda fefellérunt eum.
Vérbera dura prement tergum vestrum.
Tibi erunt paráta verba, huic hómini vérbera.
Dare vítio alícui áliquid.
Nemo recúsat parére.
Recusáre munus.
Deus fuit nobis mónitor.
Natus patris.
Quem mihi sperássem tam respondére parátum?
Ad utrúmque parátus respóndit.
Míttere ab ore sonos angélicos.
Memoráre de áliqua re, áliquid.
Divínum carmen tibi fluit ab ore.
Fúndere versus ex témpore.
Praemeditári áliquid.
Fúndere látices Castálios.
Nulla re movéri potest.

Cármina tua movérunt me tantis flammis, ut mihi nunc vídear posse movére feras.
Efférre áliquem laúdibus.
Glória tribuénda est Deo uni.
Sólvere ora in laudes Dei.
Precári voce et mente.

Collóquium XI.

Arguméntum: ***Tutóris diligéntia in eligénda a discípulis oratióne. Bene sibi cónscius secúro est ánimo.***

TUTOR, DESIDÉRIUS.

Tut. Unde venis, Desidéri? *Des.* Domo. *Tut.* Quid affers illinc? *Des.* Meréndam. *Tut.* Quis tibi permíserat exíre? *Des.* Praecéptor ipse. *Tut.* Unde hoc probábis? *Des.* Adeámus illum, ut consulámus. *Tut.* At vide, quid agas! *Des.* Hac in re nihil tímeo. *Tut.* Adeóne secúrus es? *Des.* Qui verum dicit, nihil timére debet. *Tut.* Vera quidem ista est senténtia, sed quotusquísque non mentítur? *Des.* Certus sum me nihil mentíri nunc. *Tut.* Propémodum persuádes mihi. Abi, credo tibi: quia in mendácio numquam te deprehéndi. *Des.* Agéndae Deo grátiae: quem precor, ut me íntegrum et purum consérvet. *Tut.* Útinam ex ánimo sic omnes precaréntur; récipe nunc te, ut edas meréndam tuam.

ELOCÚTIO.

Praecéptor permísit mihi exíre ... dedit mihi potestátem exeúndi.
Consúlere áliquem, alícui.
Quotusquísque non mentítur?
Persuadére alícui áliquid ... alícui prorsus ita esse.
Hoc mihi non persuadébis.
Deprehéndere áliquem in mendácio.

Collóquium XII.

Arguméntum: ***Facéta observatóris confabulátio cum discípulo vere cándidi et símplicis ingénii.***

OBSERVÁTOR, ÉNNIUS.

Obs. Tu numquam studes: quando eris doctus? *En.* Id fiet progréssu témporis, Deo iuvánte. *Obs.* Recte dicis: sed ínterim laborándum tibi est. *En.* Atqui ego non sum arátor. *Obs.* Étiam rides? Quasi laboráre idem sit, quod aráre. *En.* Scio non idem esse. *Obs.* Cur ergo sic respondísti? Nonne istud ridére est? *En.* Et ridére non est malum, cum sit naturále ómnibus homínibus. *Obs.* Pérgin' tu nugas dícere? *En.* Quod dixi, verum est: et verum dícere non est nugári: cur me immérito réprehéndis? *Obs.* Iure te árguo. *En.* Quo iure? *Obs.* Quia non ignóras ridére pro irridére usitátum esse; et tamen sic accepísti, quasi de risu sim locútus. *En.* Si deféndo causam meam, quid mali fácio? *Obs.* Pergis ígitur esse pértinax? profécto sério notáberis. *En.* Noli, quaeso, mihi irásci, mi Martíne. *Obs.* Non iráscor, sed offícium meum fácio. *En.* Sed audi, quaeso. *Obs.* Quid aúdiam? tuas nugas? *En.* Audi, inquam, nihil méntiar. *Obs.* Dic bréviter: est mihi álibi negótium. *En.* Imprímis, cum tu me admonuísti, non fui otiósus. *Obs.* Quid ergo? Si nihil faciébas, nonne otiósus eras? *En.* Non eram, pace tua díxerim. *Obs.* Qui potest hoc fíeri? *En.* Dicam tibi: etsi tute mélius hoc intéllegis, quam ego. Nihil faciébam, ut apparébat, sed tamen cogitábam áliquid boni. *Obs.* Declára istud mihi. *En.* Cum tu facis versus, saepe meditáris diu, quasi sis otiósus, quamvis numquam sis minus. *Obs.* Pro ista aetáte nimis acútus es. Étiam si tibi, ut ais, otiósus non eras: tamen qui te vidébant, póterant áliter iudicáre. *En.* At solus eram. *Obs.* Verum: sed póterant áliqui intervenire. Dénique non fatéris culpam? *En.* Si qua fuit culpa, in eo fuit, quod primo aspéctu vidébar tibi esse in ótio, cum revéra non essem. *Obs.* In eo nihil requíro: sed de irrisióne quid respóndes? *En.* Certe nihil dixi irridéndi ánimo. *Obs.* Quo ígitur? *En.* Iocábar, crede mihi. *Obs.* Quorsum? *En.* Ut paucis verbis fabulándo áliquid ex te addíscerem. *Obs.* Non is sum, a quo multa docéri queas. *En.* Immo tecum multum boni saepe dídici. *Obs.* Quid tandem vis conclúdere? *En.* Ut mihi ignóscas; quando, ut vides, malo ánimo nihil peccávi, quod équidem sciam. *Obs.* Age ignósco: quia vidéris mihi cándidus, et apértus; neque adhuc vidi te mendácem esse. *En.* Ago tibi grátias, Martíne suavíssime.

Ora et labóra.
Oráre difficílius est quam aráre.
Étiam rides me?
Ridére naturále est ómnibus homínibus.
Nugas tractáre.
Dícere verum non est nugári.
Iure argúere áliquem.
Deféndere causam suam.
Frater tuus pergit esse pértinax.
Irásci alícui ... ne irascáris mihi.
Est mihi negótium in foro.
Quid tibi negótii in cúria?
Pace tua díxerim.
Nimis acútus es pro aetáte tua.
Iudicáre de re áliqua.
Némone intervénit?
Fatéri, confitéri culpam.
Culpa in eo.
Tu es in culpa.
Primo aspéctu videbáris mihi in ótio.
Esse in ótio.
In eo nihil requíro.
Iocári ... extra iocum, remóto ioco.
Est impátiens ioci, lusus, remóto ioco secum agi vult.
Addíscere áliquid ex áliquo.
Ignósce mihi, si qua in re offéndi te.
Vidéris mihi cándidus et apértus.
Homo cándidus, ínteger vitae scelerísque purus.

Collóquium XIII.

*Argumèntum: **Observátor de minútis rebus intérrogans, tentat deprehéndere discípulum quendam in mendácio.***

OBSERVÁTOR, DISCÍPULUS.

Obs. Quid agis? *Disc.* Scribo. *Obs.* Quid scribis? *Disc.* Sententias. *Obs.* Quas? *Disc.* Ex Novo Testaménto. *Obs.* Bene facis: unde habuísti? *Disc.* Hypodidáscalus dictávit nobis. *Obs.* Quando?

Disc. Heri. *Obs.* Quota hora? *Disc.* Merídie. *Obs.* Ubi? *Disc.* In área. *Obs.* Qui áderant? *Disc.* Omnes discípuli, praeter primos et secúndos. *Obs.* Ubi erant illi? *Disc.* In aula commúni. *Obs.* Quid agébant? *Disc.* Disputábant. *Obs.* Vale et perge scríbere.

ELOCÚTIO.

Scríbere senténtias ex Novo Testaménto.
Studiósi dísputant in auditório philosóphico.

Collóquium XIV.

Arguméntum: ***Hic nihil ínvenit repetítor, quod notet.***

REPETÍTOR, DISCÍPULI.

Rep. Quid vos hic ágitis, discípuli? mihi vidémini garríre et nugas ágere. *Quidam discípulus.* Longe fálleris: nam repétimus una. *Rep.* Quae? *Disc.* Verba anómala, quae reddénda sunt hora tértia. *Rep.* Bene fácitis. *Disc.* Vis audíre nostrum collóquium? *Rep.* Immo pérgite: maius opus móveo: volo téndere láqueos picis et gráculis. *Disc.* In área multos ad solem invénies. *Rep.* Rétibus est illic praeda meis paráta.

ELOCÚTIO.

Vidémini mihi garríre.
Repétere verba anómala.
Téndere láqueos picis et gráculis.
Indúcere in láqueum ... est arte sua conclúdere quémpiam, ut nullum sit effúgium.

Collóquium XV.

Arguméntum: ***Discípulos in ótio deprehénsos non detérret praeféctus, sed eos humániter ádmonet. Exémplum praeféctis imitándum in causis levióribus, praesértim cum discípuli non sunt contumáces.***

PRAEFÉCTUS, DISCÍPULI GARRIÉNTES.

Praef. At at! ecce, nunc estis capti: non fatémini? *Quidam discípulus.* Certe fatémur ingénue, sed non díximus mala verba:

quaeso te, mi Nicoláe, noli notáre nos. *Praef.* Quid garriebátis? audívi, néscio quid, de ientáculo. *Disc.* Hoc est, loquebámur de ientáculo matutíno: quia fámulus non déderat nobis in témpore. *Praef.* Puto id fuísse: nec certe est valde magnum malum: nisi quod sunt otiósa verba. *Disc.* Sed latíne loquebámur. *Praef.* Audívi, sed non erat fabulándi locus. Nam, ut scitis, hoc pusíllum témporis post meréndam debet vobis esse valde pretiósum, cum sit dicátum stúdio: scílicet ut se diligénter quisque praéparet ad reddénda magístris ea, quae praescripsérunt: nonne verum dico? *Disc.* Certe verum dicis: nos debuissémus légere simul quaedam de Testamento, quae mox oportébit nos réddere: sed ignósce, precor, suavíssime Nicoláe, posthac érimus prudentióres, et offícium nostrum diligénter faciémus. *Praef.* Si sic fecéritis, praecéptor vos amábit tamquam cor suum. Nonne vidétis, quemádmodum díligat bonos discípulos et studiósos? non amat solum, sed étiam laudat et parvis praémiis áfficit. *Disc.* Ista scimus, et cotídie experímur. *Praef.* Ergo mementóte: et promíssa fácite. *Disc.* Tacébis ígitur hanc culpam? *Praef.* Tacébo. Sed ea lege, ut caveátis recídere. *Disc.* Cavébimus, Christo favénte.

ELOCÚTIO.

Fatéri culpam ingénue.
Dare discípulis cibum in témpore.
Non est hic locus fabulándi.
Pusíllum témporis.
Dicáre tempus stúdio.
Dicáre alícui áliquid.
Dicáre Deo áliquid ... óperam suam alícui.
Praeparáre se ad reddénda magístro ea, quae praescrípsit.
Légere áliquid de Testaménto, de catechési.
Ignósce mihi precor.
Amo te tamquam cor meum.
Discípulus bonus et studiósus.
Affícere praémio áliquem ... honóre.
Fácere promíssa.
Tacébo culpam tuam, ea lege, ut cáveas recídere.
Cavébo mihi ab illo, Christo favénte.
Cavébo illum, Deo dante, si Deo placet, súperis bene fortunántibus, grátia Dei cleménter aspiránte.

Collóquium XVI.

Arguméntum: Rector observatóres públicos ádmonet de ipsórum offício.

RECTOR, FLORENTÍNUS FÁMULUS, OBSERVATÓRES.

Rect. Heus, Florentíne. *Flor.* Hem, praesto sum, ere. *Rect.* Arcésse mihi huc quinque públicos observatóres, quos hestérno die in hunc mensem elégi, nostin? *Flor.* Óptime: nam égomet aderam. *Rect.* Sunt, opínor, in suo quisque auditório: festína. *Flor.* Quam primum redíbo. *Obs.* Ádsumus omnes, Rector: quid tibi placet imperáre? *Rect.* Satis est iubére, nec enim sum imperátor, nec magistrátus. Ego vos huc arcesséndos iussi, ut vos offícii vestri commonefácerem: Vos ígitur atténtis aúribus atque ánimis audíte. Non ignorátis, quanto cum timóre Dómini hestérno die palam in conclávi nostro commúni vos elégerim? Auspicáti sumus a sacris précibus: secúta est admonítio nostra atque exhortátio ad omnem coetum scholásticum de timóre Dómini, deque móribus, qui déceant studiósos in schola versántes cotídie: deínde non sine optimórum adulescéntium testimónio, vos elégi quinque, quos ad hoc munus idóneos existimávi: postrémo ventum est ad secúndam, cum gratiárum actióne, precatiónem. Ne ígitur putavéritis ludum fuísse aut iocum actiónem illam, in qua nomen Dómini tam studióse fúerit invocátum. Ac licet apud imperítos aut arrogántes hoc munus et vile et abiéctum videátur, vos tamen crédite, cum honorífícum tum sacrum esse vestrum istud ministérium. Quod si áliter existimábitis, fíeri non potest, ut múnere vestro recte fungámini. Ítaque ego vos hortor quantum possum, ut cum Dei timóre atque reveréntia diligéntiam praestétis in iis ómnibus, quae intellexéritis ad offícium vestrum pertinére. A vobis ígitur absit omnis favor, ódium, grátia, stúdium vindicándi, et simília, quae transvérsos reddunt hómines, et sincérum corrúmpunt iudícium. Ne timuéritis improbórum minas, qui pusílli ánimi adulescéntes ab offício solent absterrére. Quam enim habent in vos potestátem? pótius eum timéte, qui vester est Dóminus, qui vitae ac necis potestátem habet. Illíus, inquam, tanti príncipis timor vobis ob óculos semper obversétur. Incurrétis, scio, in áliquot improbórum ac dissolutórum ódium: sed pluris sit vobis uníus Patris vestri caeléstis amor et cáritas, quam omnes ómnium hóminum inimicítiae. Estóte semper mémores verbi illíus, quo Salvátor noster et Summus Praecéptor suos discípulos ad con-

stántiam hortabátur. Si vos, inquit, odit mundus, scitóte, quod me quoque prius ódio habúerit. Vos ígitur propter ipsum Christum, omnes flocci fácite nebulónum minas, offensiónes, inimicítias: dúmmodo glóriae Dei possítis inservíre fidéliter. Haec sunt, de quibus nunc pro témporis brevitáte, vos admonéndos esse existimávi, praeter illa, quae vos in auditório hestérno die audivístis. *Primus observator.* Máximas tibi grátias ágimus, praecéptor humaníssime, et Christum precámur, ut sua dona tibi semper adaúgeat. A te vero veheménter pétimus, si tibi moléstum non est, perscríptam des nobis hortatiónem tuam: quo eam inter nos quandóque relegéntes, memóriae tenácius infigámus. *Rect.* Id ego fáciam quam primum, quandóquidem rem sane honestíssimam postulátis. *Primus obs.* Optámus étiam a te, si placet, commentaríolum scriptum habére de praecípuis offícii nostri capítibus, ut simus certióres, quid potíssimum sit nobis hac in re observándum. *Rect.* In ipso témpore de hoc ádmones: et sic ego iam pridem in ánimo habébam: sed me cotídie áliud ex álio impedívit. Dabo ígitur eiúsmodi commentaríolum, quod vidélicet contíneat quidquid ad observatórum publicórum offícia pértinet. Id autem describétis ex ipso archétypo meo: quod ídeo serváre volo, ut céteris quoque trádere possim futúris observatóribus. Nunc redíte in suum quisque auditórium. *Obs.* Recta imus.

ELOCÚTIO.

Frater meus eléctus est observátor, in duos menses.
Iubére áliquem áliquid.
Iussi fratrem tuum arcesséndum vel arcessi.
Commonefácere áliquem offícii ... áliquem áliquid, áliquem de áliqua re.
Audíre atténtis aúribus atque ánimis.
Auspicári praelectiónes a précibus.
Boni mores decent studiósam iuventútem.
Parvum parva decent.
Non exístimo te ad hoc munus idóneum.
Nomen Dei studióse invocáre.
Múnere suo recte fungi.
Hortor te, quantum possum.
Praestáre diligéntiam in áliqua re.
Hoc pértinet ad offícium tuum.
Absit a iúdice omnis favor et ódium.

Corrúmpere iudícium, vel iúdices, iuventútem, lítteras, pecúnia áliquem.
Ódium transvérsos agit hómines.
Non tímeo minas tuas.
Aduléscens pusílli ánimi.
Absterrére áliquem a se.
Absterrére ab ófficio áliquem.
Habére potestátem in áliquem.
Deus habet potestátem vitae et necis.
Obversári ob óculos, ante óculos, vel, obversári óculis.
Incúrrere in ódium hóminum dissolutórum, in áliquem, in voces improbórum, in óculos.
Dei amor et cáritas pluris est, quam omnes inimicítiae ómnium hóminum.
Memor alicúius rei.
Habére áliquem ódio.
Flocci fácere áliquem.
Haec sunt, de quibus vos pro témporis brevitáte admonéndos esse existimávi.
Precor Deum, ut adaúgeat tibi sua dona.
Infígere dicta Sacrárum Litterárum tenácius memóriae.
Postulátis rem aequam et honéstam.
In ipso témpore de hoc ádmones.
Áliud ex álio ímpedit.
Commentaríolus iste continet, quidquid ad offícia observatóris pértinet.
Descríbere ex archétypo.

Collóquium XVII.

Arguméntum: ***Admónitus ludimagíster de classe doctóre vácua statim próvidet.***

FRIDERÍCUS FÁMULUS, PRAECÉPTOR.

Frid. Praecéptor, nemo est, qui dóceat in sexta classe. *Praec.* Quid hoc rei est? Ubi est magíster Philíppus? *Frid.* Morbo detinétur in lecto. *Praec.* Qui scis? *Frid.* Nuntiávit quidam ex discípulis eius domésticis. *Praec.* Dic hypodidáscalo meo. *Frid.* Non est in muséo suo. *Praec.* Qui scis? *Frid.* Nam ego ter aut quater pulsávi óstium. *Praec.* Dic primae classis doctóri, ut mittat e suis

áliquem. *Frid.* Quid si nolit míttere? *Praec.* Abi, inépte: an putas eum esse tam imprudéntem, ut recúset? abi, própera.

ELOCÚTIO.

Detinéri morbo.
Quidam ex discípulis sextae classis nuntiávit mihi omnes discípulos huius Gymnásii horis postmeridiánis ágere férias.
Ter aut quater pulsávi óstium muséi praeceptóris.
Ter pulsáre licet, si non aperítur, abíto.

Collóquium XVIII.

Arguméntum: ***Duo aut tres ex domésticis discípulis praeceptórem mane salutátum véniunt, ut sciat, an omnes surréxerint. Admonítio praeceptóris. Exémplum diligéntiae observátu dignum.***

FRANCÍSCUS UNUS E DISCÍPULIS, PRAECÉPTOR.

Franc. Salve, praecéptor. *Praec.* Salus per Iesum Christum. An surrexérunt omnes? *Franc.* Omnes, praeter párvulos. *Praec.* Num áliquis aegrótat? *Franc.* Nemo, benefício Dei. *Praec.* Quid ágitur? *Franc.* Álii se índuunt: álii iam student náviter. *Praec.* Adéstne vobis hypodidáscalus? *Franc.* Iam dudum. *Praec.* Ite ígitur precátum: vosque diligénter commendáte Dómino Deo per Iesum Christum deprecatórem nostrum: deínde pérgite in stúdiis vestris usque ad horam ientáculi. *Franc.* Ita solémus, praecéptor. *Praec.* Credo équidem: sed quia fere somniculósi estis ac neglegéntes, idcírco ego vos admóneo saépius. *Franc.* Grátiam habémus, praecéptor humaníssime. Aliquídne vis praetérea? *Praec.* Dic fámulo, ut mihi togam áfferat.

ELOCÚTIO.

Salve, salvus sis.
Párvuli nondum surrexérunt.
Quid ágitur? Sedétur, díscitur, scríbitur.
Indúere se; novas vestes.
Studére náviter, vel gnáviter
Ire precátum.
Commendáre se Deo.
Praeceptóri pro méritis te commendávi.
Lúdere usque ad horam cenae ... in serum diéi, usque ad véspe-
rum.

Somniculósus ac néglegens.
Somno valde déditus ... somni mancípium, somnoléntus.

Collóquium XIX.

Arguméntum: ***Interrogátus fílius a patre de oratióne sacra, nihil respóndet.***

PATER, FÍLIUS.

Pat. Affuistíne hódie oratióni de rebus divínis hábitae? *Fil.* Áffui. *Pat.* Qui sunt testes? *Fil.* Multi ex condiscípulis, qui me vidérunt, testári possunt, *Pat.* Sed producéndi erunt áliquot. *Fil.* Prodúcam, si iubes. *Pat.* Quis hábuit oratiónem sacram? *Fil.* Dóminus N. *Pat.* Quota hora coepit? *Fil.* Séptima. *Pat.* Unde sumpsit thema? *Fil.* Ex epístula S. Pauli ad Romános. *Pat.* Quo cápite? *Fil.* Octávo. *Pat.* Adhuc bene respondísti: nunc videámus, quid sequátur. Ecquid memóriae mandásti? *Fil.* Nihil, quod referre possim. *Pat.* Nihílne? cógita paulísper: et vide, ne turbéris: quin esto ánimo bono. *Fil.* Certe, pater, nihil possum reminísci. *Pat.* Ne verbum quidem? *Fil.* Nihil prorsus. *Pat.* Hem, vérbero! quid ígitur profecísti? *Fil.* Néscio, nisi quia fortásse ínterim a malis abstínui. *Pat.* Istud quidem est áliquid: si modo fíeri pótuit, ut malo omníno abstinéres. *Fil.* Abstínui, quoad pótui. *Pat.* Fac ut ita sit! non tamen satis fecísti Deo, cum scriptum sit: Declína a malo et fac bonum. Sed dic mihi, quaeso, cuius rei grátia illuc íeras potíssimum? *Fil.* Ut áliquid addíscerem. *Pat.* Cur id non fecísti? *Fil.* Non pótui. *Pat.* Non potuísti, nébulo? immo noluísti, aut certe non curásti. *Fil.* Cogor fatéri. *Pat.* Quae res te cogit? *Fil.* Consciéntia mea, quae me accúsat apud Deum. *Pat.* Recte dicis: útinam ex ánimo. *Fil.* Équidem ex ánimo dico. *Pat.* Fíeri potest: sed age, quid fuit causae, quam ob rem nihil memóriae mandáveris? *Fil.* Neglegéntia mea: non enim diligénter audiébam. *Pat.* Quid ígitur faciébas? *Fil.* Idéntidem dormiébam. *Pat.* Ita soles: sed quid agébas réliquo témpore? *Fil.* Cogitábam mille inéptias, ut solent púeri. *Pat.* An tu ádeo puer es, ut non débeas atténtus esse ad verbum Dei audiéndum? *Fil.* Si atténtus essem, possem áliquid profícere. *Pat.* Quid ígitur meruísti? *Fil.* Vérbera. *Pat.* Meruísti profécto, idque largíssime. *Fil.* Ingénue confíteor. *Pat.* Verbótenus, opínor. *Fil.* Immo certe ex ánimo. *Pat.* Fortásse? sed ínterim para te ad plagas accipiéndas. *Fil.* Ah, pater, ignósce, óbsecro, peccávi, fáteor, sed nulla ex malítia. *Pat.* Atqui tam supína ista neglegéntia pró-

xime ad malítiam accédit. *Fil.* Non équidem infítior: sed tuam imploro cleméntiam. *Pat.* Quid ígitur fácies, si tibi ignóvero? *Fil.* Fáciam posthac offícium meum, ut spero. *Pat.* Addéndum erat, Deo iuvánte: sed id parum curas. *Fil.* Immo, pater, adiuvánte Deo, praestábo posthac offícium. *Pat.* Age, condóno culpam tuis lácrimis, tibíque ea lege ignósco, ut promíssi memíneris. *Fil.* Grátias ago, pater humaníssime. *Pat.* Eris apud me in máxima grátia, si promíssa serváveris. *Fil.* Fáciat Deus óptimus máximus, ut possim. *Pat.* Fáciat, precor.

ELOCÚTIO.

Adésse oratióni de rebus divínis hábitae.
Petrus est mihi testimónio me interfuísse oratióni de rebus divínis hábitae.
Multi ex condiscípulis meis me vidérunt.
Prodúcere testes.
Habére oratiónem de rebus divínis.
Orátio de rebus divínis habébitur hora octáva.
Unde sacérdos sumpsit thema oratiónis sacrae?
Ecquid memóriae mandásti in oratióne sacra?
Esse bono ánimo, praesénti ánimo.
Reminísci áliquid, alicúius rei, de áliqua re.
Abstinére a malis.
Declína a malo et fac bonum.
Cuius rei grátia illuc isti?
Addíscere áliquid ex áliquo.
Atténtus est ad verbum Dei audiéndum.
Atténtus in áliqua re.
Atténtus ad rem.
Vérbera merére, vel meréri.
Confitéri ingénue.
Para te ad accipiéndas plagas.
Ignósce mihi, praecéptor.
Haec est supína neglegéntia.
Imploráre cleméntiam príncipis.
Deo adiuvánte praestábo offícium meum.
Deo adiuvánte fáciam offícium meum.
Condónat praecéptor noster fácile culpam ingénue confiténtibus.
Ea lege rector ignóvit, ut promíssi meminíssem.
Esse in máxima grátia apud áliquem.
Serváre promíssa ... stare promíssis.

Collóquium XX.

Arguméntum: ***Nímio somno déditus discípulus reprehénditur ob veniéndi in gymnásium tarditátem. Mendácio et causa frívola purgáre se conátur. Eídem, ut verum fateátur, promíttitur impúnitas. Poenárum metu post áliquot tergiversatiónes rem omnem confitétur: diligéntiam promíttit in pósterum. Docétur, qua illam ratióne praestáre queat. Multis verbis, ut mutet mores, humaníssime commonétur. Ex paeniténtiae signo, quod prae se fert, bonam spem promíttit. Exémplum in somniculósos.***

PRAECÉPTOR, GERÁRDUS.

Praec. Heus, Gerárde, séquere me in cubículum, est quod ego te seórsim monére velim. *Ger.* Adsum, praecéptor. *Praec.* Numquámne matúre in scholam vénies? *Ger.* Non possum veníre cítius. *Praec.* Semper hoc dicis: quid ímpedit? *Ger.* Nemo est domi nostrae, qui me expergefáciat. *Praec.* Nemo? *Ger.* Prorsus nemo. *Praec.* Non habétis cubiculárium? *Ger.* Habémus quidem: sed non curat me excitáre. *Praec.* Immo tu, ut opínor, non curas súrgere. Nonne verum dico? quid taces? respónde nunc tandem áliquid. *Ger.* Me míserum! quid agam? *Praec.* Nihil est quod terreáris: fatére verum. *Ger.* Quid si conféssus ero? *Praec.* Ego tibi ignóscam: crede mihi. *Ger.* Ah pudet. *Praec.* Ne púdeat verum fatéri, quaeso: alióqui vapulábis. Pergin' tacére? Heus, observátor, vise matrem eius et roga. *Ger.* Ne míseris, oro, praecéptor: dicam tibi rem omnem: nihil reticébo. *Praec.* Age, esto ánimo bono. *Ger.* Sic est, profécto, ut dixísti. *Praec.* Non satis hoc est, volo audíre singillátim ómnia. Narra mihi plane, quemádmodum sese tota res hábeat. *Ger.* Cum venit cubiculárius me excitátum, primum nihil respóndeo, quasi sério dórmiam: deínde, si magis urget, attóllo aegre caput: Sédeo in lecto: thorácem início húmeris, quasi statim surrectúrus. *Praec.* Quam pulchre narras! nunc te magis amo quam umquam feci, perge. *Ger.* Cum primum egréssus est cubiculárius, tum ego reclíno caput in pulvínum, ac demítto pedes. *Praec.* Etiámne redórmis? *Ger.* Ego vero redórmio bene placidéque. *Praec.* Quámdiu? *Ger.* Donec cubiculárius secúndo véniat. *Praec.* Cum redit, quid tibi dicit? *Ger.* Exclámat, vociferátur, insánit. *Praec.* Quibus útitur verbis? *Ger.* Hem, nébulo, inquit, quando eris in schola? ego dicam praeceptóri tuo, ut te bene vérberet: tu numquam vis súrgere, nisi bis aut ter excitátus fúeris. *Praec.* Bona fide promíttis factúrum te posthac offícium? *Ger.* Si umquam recídero, causam non dicam, quin palam caedar virgis, idque

acerbíssime. *Praec.* Belle quidem promíttis: sed quómodo praestábis promíssa? *Ger.* Adiuvánte Dómino Deo. *Praec.* Qua ratióne flectes illum? *Ger.* Fide et assíduis précibus. *Praec.* Alióqui nihil póteris obtinére. *Ger.* Credo équidem. *Praec.* Non satis est crédere, nisi cures effícere diligénter. *Ger.* Curábo pro víribus, ac dies noctésque id unum meditábor. *Praec.* Óptime lóqueris; dum tamen memor esse pergas. *Ger.* Quómodo possum oblivísci? numquam désinunt istud monére sacerdótes: tu vero fere cotídie ad id nos hortáris: et bene facis, praecéptor, quia omnes sumus valde negligéntes: sed ego máxime ómnium. *Praec.* Da ígitur óperam, ut tu ómnium primus mores istos mutes: at meménto praecípue semper verax esse. *Ger.* Fáciat Deus, ut numquam méntiar. *Praec.* O quam felix eris! *Ger.* Satis in praeséntia felix ero, si tantum me absólveris. *Praec.* Fáciam, quod tibi sum pollícitus: sed ea lege, ut promíssi tui memíneris, et re ipsa praestes, quemádmodum nunc mihi recepísti. *Ger.* Quid ígitur restat, quóminus ábeam liber? *Praec.* Immo áliquid restat: mane, et audi étiam nunc. *Ger.* Quámdiu vis, praecéptor. *Praec.* Inter cétera excútias opórtet istam pigrítiam, quae te in lecto detinére solet; non enim decet studiósum adulescéntem, somniculósum et inértem esse, sed álacrem et experréctum, cuiúsmodi vides áliquos ex condiscípulis tuis. Non tenes memória divínum Petri Apóstoli praecéptum? *Ger.* Quod est? *Praec.* Sóbrii, inquit, estóte, et vigiláte. *Ger.* O quóties audívi! sed, pro dolor! numquam usurpávi. *Praec.* Fac ut studióse usúrpes in pósterum: neque illud solum, sed étiam cétera bene vivéndi praecépta, quae tóties audivísti. Quod quidem, si diligénter féceris, tibi imprímis bene cónsules; iucúndus eris paréntibus, et mihi, et condiscípulis tuis: dénique, id quod est praecípuum, carus eris Deo, qui stúdia tua in glóriam sui nóminis magis in dies promovébit. *Ger.* *O* quantum fructum séntio ex ista admonitióne tua me captúrum! *Praec.* Veheménter sane gaúdeo, et tua et condiscipulórum causa. *Ger.* Quid si narres illis meam paeniténtiam? *Praec.* Ego vero narrábo quam primum: ut exémplo tuo discant nihil esse accéptius Deo quam culpam agnóscere, et ad frugem bonam redíre. Vale, fili, et adésio hora tértia in auditório. *Ger.* Ago tibi grátias ingéntes, amantíssime praecéptor.

ELOCÚTIO.

Est quod te seórsim monére velim.
Expergefácere áliquem.

Excitáre dormiéntem e somno vel a somno; suscitáre áliquem somno vel e somno.
Ancílla non curat me excitáre.
Frater tuus non curat súrgere.
Nihil est, quod terreáris.
Pudet me fatéri verum.
Vise matrem eius et roga.
Dicam tibi rem omnem.
Veríssimam tibi expónam causam.
Nullus domi nostrae servus est, qui me dormiéntem expergefáciat.
Non possum per me evigiláre, ultro expergísci stata hora.
Reticére áliquid.
Néscio, quómodo res se hábeat.
Narráre rem plane.
Cum hódie servus veníret me excitátum, nihil respóndi, quasi sério dormírem.
A cubiculário clare inclamátus nihil respóndeo, ac si arte et gráviter dórmíam.
Quin surgis?
Attóllere, surrígere caput ... pállium ... tóllere humo.
Sedére in lecto ... iacére in lecto.
Inícere thorácem húmeris.
Indúere thorácem.
Égredi cubículo ... ex urbe.
Rursum super pulvínum caput demíttere ... reclináre caput in pulvínum.
Omne onus impérii in eum reclínat.
Bene placidéque dormíre.
Sopóri indulgére ... dormíre, somnum cápere.
Sopor, somnus oppréssit me ... somnus obrépsit mihi ... somnus me compléxus est.
Incúmbere in aurem dextram.
Ancílla secúndo venit, vocíferans: heus tu, Endymion, expergíscere, evígila.
Christóphorus, frater tuus, numquam vult súrgere, nisi bis aut ter excitátus fúerit.
Bona fide mihi promítte te posthac factúrum offícium tuum.
Dícere causam de áliqua re, vel, alicúius rei.
Gerárdus ipse palam caesus est virgis, idque acerbíssime.
Fléctere Deum précibus assíduis.
Obtinére iure áliquid ... précibus et lácrimis.
Curáre effícere ... curábo pro víribus.
Dies noctésque meditári áliquid.

Perge esse memor promíssi ... meménto promíssi tui.
Hortári áliquem ad áliquid.
Tu primus ómnium néglegens es.
Tu primus ómnium mores muta.
Absólvere áliquem ... iniúriam.
Absólvere pensum.
Númeris ómnibus absolútus.
Pollicéri alícui áliquid.
Meménto promíssi tui.
Re ipsa praesta, quemádmodum recepísti mihi.
Recípere intérdum idem est quod promíttere; recípere áliquid álii affirmatióne.
Récipi in cibum, in mensam.
Iam liber ábii.
Excútere somnum, se sommo; óculis propéllere somnum.
Tenére memória Christum cruciaffíxum.
Usurpáre áliquid ... uti re áliqua studióse.
Tibi bene cónsulis.
Iucúndus paréntibus et susceptóribus.
Deus promóveat stúdia tua in nóminis sui glóriam.
Cápere fructum ex áliqua re.
Redíre ad frugem bonam ... evádere ad frugem bonam.
Non omnes fílii evádunt frugi.

Collóquium XXI.

Arguméntum: ***Stulte interrogátur magíster a quodam discípulo de eo, quod palam dictum est. Exémplum est puerílis imprudéntiae, ut discant adulescéntes ad verba doctóris attentióres esse.***

GREGÓRIUS, PRAECÉPTOR.

Greg. Praecéptor, quid reddémus cras mane? *Praec.* Hódie mane palam dixi ante scholae missiónem. *Greg.* At ego non áffui, praecéptor. *Praec.* Roga ígitur condiscípulos: nam si velint síngulí me interrógare de rebus a me palam dictis, quaeso, quando finis erit? Itaque fac sis posthac prudéntior. *Greg.* Curábo pro víribus. *Praec.* Sed tu ubi eras? *Greg.* Prodíeram. *Praec.* Quid prodíeras? *Greg.* Ut curárem negótium áliquod, de quo pater ad me scrípserat. *Praec.* A quo petiísti veniam? Ab hypodidáscalo. *Praec.* Cur non a me pótius? *Greg.* Quia eras occupátus. *Praec.* Quid agébam? *Greg.* Alloquebaris in área quosdam viros honorátos, qui te convéntum vénerant. *Praec.* Abi, nunc recórdor.

ELOCÚTIO.

Ante missiónem scholae.
Post missiónem scholae.
Interrogátus de rebus palam a me dictis.
Quando erit finis nugárum tuárum?
Pater ad me scripsit de multis rebus.
Scríbere angúste ... late ... diffúse ... raptim ...
Álloqui viros honorátos ... clam.
Clandestína inter se habent collóquia.
Veníre convéntum áliquem.
Convenire óptime cum áliquo.

Collóquium XXII.

Arguméntum: Praémium victóriae causa petunt iúvenes : datur a magístro, sed non sine admonitióne. Obligátur áliquis ex promísso. Solus Deus succéssum dat stúdiis. Sine Deo ómnia vana.

HENRÍCUS, PRAECÉPTOR, HADRIÁNUS OBSERVÁTOR.

Henr. Praecéptor, visne dare parvum praémium? *Praec.* Quam ob rem? *Henr.* Victóriae causa. *Praec.* Ubi sunt cómpares tui? *Henr.* Adsunt, Hugo et Audax. *Praec.* Heus, observátor, suntne hi victóres hac hebdómada? *Hadr.* Habent notas ómnium paucíssimas. *Praec.* Ergo sunt victóres: quid áliud ex te quaero? Vos ígitur quod praémium pétitis? *Henr.* Quod tibi placúerit. *Praec.* Quo tandem iure débeo? *Henr.* Ex promísso. *Praec.* Aequum dícitis. Quidquid enim recte promíssum est, praestári debet. *Henr.* Sic ex te didícimus. *Praec.* Ecce vobis pennae síngulae ad scribéndum: ac, ne putavéritis vulgáres eas esse, ex eárum sunt génere, quae vulgo Hollándicae appellántur. *Henr.* Grátias ágimus, praecéptor. *Praec.* Quin pótius ágite Deo, ómnium bonórum auctóri, qui dat stúdiis vestris succéssus prósperos: vos autem in litterárum stúdio pérgite diligénter. *Henr.* Dábimus óperam, quantum iuvábit ille Pater óptimus. *Praec.* Sine eius ope vana sunt nostra ómnia.

ELOCÚTIO.

Dare praémium.
Victóriae causa.
Petrus habet ómnium vítia paucíssima.

Quaérere áliquid ex áliquo.
Quaérere áliquem.
Quo iure débeo tibi praémium? Ex promísso.
Quidquid recte promíssum est, praestári debet.
Hae pennae non sunt vulgáres, sed Hollándicae.
Deus bonórum ómnium auctor.
Det Deus stúdiis vestris succéssus prósperos, benedícat stúdiis vestris.
Pérgere in studio litterárum, prósequi stúdium litterárum.
Sine Dei ope vana sunt nostra ómnia.
Ferre opem alícui, veníre alícui subsídio, ferre suppétias alícui.

Collóquium XXIII.

Arguméntum: ***Hugo a praeceptóre petens mútuo pecúniam míttitur ad hypodidáscalum.***

HUGO, PRAECÉPTOR.

Hu. Praecéptor, visne mihi mútuo dare aliquántulum pecúniae? *Praec.* Quid opus est tibi pecúnia? *Hu.* Ut Sílvio satisfáciam. *Praec.* Quantum debes illi? *Hu.* Nummos duos. *Praec.* Quo nómine? *Hu.* Quia scripsit mihi áliquot lítteras. *Praec.* Osténde. tum petis. *Hu.* Grátias ago, praecéptor. *Praec.* Non est, quod agas: *Hu.* Vide, si placet. *Praec.* Adi hypodidáscalum: dic, ut det, quansed refer in códicem tuum. *Hu.* Quin iam réttuli. *Praec.* Factum bene: osténde ipsi hypodidáscalo.

ELOCÚTIO.

Opus est fratri meo pecúnia ad eméndam chartam.
Satisfácere alícui.
Ne vídear ingrátus, satisfáciam petitióni tuae.
Non est quod agas grátias.
Refférre in códicem ... in librum argumentórum.

Collóquium XXIV.

Arguméntum: ***A praeceptóre chartam petens discípulus ad eius fámulum míttitur.***

IACÓBUS, PRAECÉPTOR.

Iac. Praecéptor, non est mihi charta ad scribéndum: visne dare códicem? *Praec.* Quem in usum? *Iac.* Partim ad collóquia, partim ad exemplária. *Praec.* Rettulísti in códicem tuum? *Iac.* Réttuli. *Praec.* Osténde. *Iac.* Ecce tibi, praecéptor. *Praec.* Quid hoc rettulísti duodevigínti: vis ergo de maióre? *Iac.* Si tibi placet. *Praec.* Pete a fámulo: ac ne dúbitet, osténde illi tuum códicem, ut idem in suum réferat. *Iac.* Aúdio. *Praec.* Audi item, cave abutáris charta: ne tibi pater gráviter suscénseat. *Iac.* Fáciat Deus, ut bene utar.

ELOCÚTIO.

Non est Friderícо charta ad scribéndum.
Quem in usum petis códicem chartae? Ad scribéndum ...
Referre in códicem duodevigínti nummos.
Noli dubitáre, quin sis acceptúrus nummos e pátria.
Cave abutáris penna, cum pennam chartae fírmius ímprimis.
Suscensére alícui ... irásci alícui.

Cóllóquium XXV.

Arguméntum: ***Duo fratres, itúri domum, monéntur a praeceptóre de testimónio afferéndo, aut teste adducéndo.***

IOSÉPHUS, PRAECÉPTOR.

Ios. Licétne mihi exíre una cum fratre? *Praec.* Quid causae est? *Ios.* Ut mater emat nobis cálceos: deínde ut tonsórem adeámus. *Praec.* Quid eo? *Ios.* Reséctum capíllos. *Praec.* Quid nunc opus est? *Ios.* Ut cras, si Dóminus permíserit, invisámus pátruum. *Praec.* Ite et matúre redíte ad stúdium. Sed heus, púeri, afférte mihi a matre testimónium in crástinum diem, aut testem addúcite. *Ios.* Deo iuvánte, id curábo diligénter. Quid vis, praecéptor? *Praec.* Ut meis verbis matrem officióse salutétis.

ELOCÚTIO.

Quid causae est, quod tóties cum fratre éxeas?
Mater emit mihi par calceórum apud sutórem.
Resecáre capíllos.
Non opus est, ut capílli vobis resecéntur.
Redíre ad stúdium.
Addúcere, dare testes.
Testári, esse testimónio, testimónium dare.
Deum testor, Deus mihi testis est, Deum hábeo mihi testem.
Salúta matrem tuam meis verbis officióse.
Dic matri salútem meo nómine.
Testis levis, idóneus.
Testis idóneus et lócuples; testis gravis, incorrúptus atque ínteger.

Collóquium XXVI.

Arguméntum: ***Fílius in villam a patre ablegándus véniam petit et testimónium se allatúrum promíttit.***

Ioséphus, Praecéptor.

Ios. Praecéptor. *Praec.* Quid vis? *Ios.* Licétne mihi ire domum? *Praec.* Cur ante horam? *Ios.* Pater iussit, ut nunc abírem. *Praec.* Quid eget ópera tua? *Ios.* Vult me in villám míttere. *Praec.* Quid eo? *Ios.* Petítum uvas, et eádem ópera nuntiátum áliquid vílico nostro. *Praec.* Quid si me fallis? *Ios.* Áfferam testimónium, ut sóleo. *Praec.* Quando redíbis? *Ios.* Hora prima, ut spero. *Praec.* Qui tam cito? *Ios.* Villa nostra non longe hinc est. *Praec.* Ito sane.

ELOCÚTIO.

Pater iussit, ut exírem, iussit me exíre domo.
Egére ópera alicúius.
Pétere uvas.
Ópera eádem nuntiábis vílico meo, ut áfferat mihi uvas.
Villa nostra non longe hinc est ... non procul hinc distat.

Collóquium XXVII.

Arguméntum: ***Fílius suam patri in scribéndo navatúrus óperam a praeceptóre petit véniam, et iubétur póstero die afférre testimónium.***

LAMBÉRTUS, PRAECÉPTOR.

Lamb. Licétne abésse hora secúnda? *Praec.* Quid habes negótii? *Lamb.* Pater eget ópera mea. *Praec.* Qua in re? *Lamb.* Ut ei áliquid scribam. *Praec.* Sed ínterim non reddes, quae praescrípta sunt vobis? *Lamb.* Iam edídici. *Praec.* Factum bene. *Lamb.* Placétne tibi audíre me? *Praec.* Cras aúdiam, cum licébit per ótium. *Lamb.* Permittísne ígitur, ut absim, praecéptor? *Praec.* Age permítto: sed ita, ut crástino die scriptum áfferas testimónium. *Lamb.* Ego semper tibi áffero aut a patre scriptum, aut a nostro fámulo, patris nómine. *Praec.* Recte facit pater. Sunt enim multi, qui me pascunt mendáciis. Nunc abi, et patri dic salútem verbis meis. *Lamb.* Fáciam, praecéptor.

ELOCÚTIO.

Nullus discípulus áfuit hora secúnda.
Quid habuísti negótii?
Pater éguit ópera mea in curándis negótiis domésticis.
Qua in re pater usus est opera tua?
Réddite, quae praescrípta sunt.
Praecéptor, placétne tibi audíre me?
Permísit mihi praecéptor abésse, ut abéssem.
Crástino die, aut a patre, aut a fámulo nómine patris scriptum áfferam testimónium.
Páscere áliquem mendáciis ... circumvenire áliquem mendáciis.
Dic cónsuli salútem verbis meis, ex me.
Meo nómine cónsulem salutáto; iubébis cónsulem meo nómine salvére.
Annúntia cónsuli ex me salútem; mea vice salúta.

Collóquium XXVIII.

Arguméntum: ***Itúrus ad patrem in caupónam.***

LEONÁRDUS, PRAECÉPTOR.

Leon. Praecéptor, arcéssor a patre. *Praec.* Ubi is est? *Leon.* In deversório. *Praec.* Quando venit? *Leon.* Advénit modo. *Praec.*

Quis tibi tam cito nuntiávit? *Leon.* Misit ad me fámulum. *Praec.* Ubi est? *Leon.* Prae fóribus me exspéctat. *Praec.* Cur eum non intromisísti? *Leon.* Nóluit intráre. *Praec.* Quid ita? *Leon.* Quia, ut ait, festinatióne urgétur. *Praec.* Voca illum, ut paucis convéniam, deínde abi: sed cura quam primum huc adsis. *Leon.* Eo vocátum.

ELOCÚTIO.

Arcéssere áliquem ... arcéssere sibi malum.
Nuntiáre alícui áliquid.
Frater exspéctat me prae fóribus.
Intromíttere áliquem in aedes.
Festinatióne urgétur ... urgétur angústiis ... urgére ius suum.
Conveníre áliquem.
Conveníre áliquem paucis.
Cura, quamprímum huc adsis.

Collóquium XXIX.

Arguméntum: ***Lúcius scribéndi causa itúrus ad tutórem, véniam ímpetrat, sed prius diligénter interrogátur.***

Lúcius, Praecéptor.

Luc. Licétne mihi praecéptor, adíre tutórem? *Praec.* Quae te causa movet? *Luc.* Iússit ille, ut se hódie convenírem, si licéret per ótium. *Praec.* Quando iussit? *Luc.* Núdius tértius! *Praec.* Ubi illum vidísti? *Luc.* In área, quae est e regióne sacrae aedis. *Praec.* At vide, ne mentiáris. *Luc.* A me absit mendácium. Si vis, dabo testes ex condiscípulis, qui mecum áderant. *Praec.* Qui sunt illi? *Luc.* Donátus et Conrádus: visne eos arcéssam? *Praec.* Mane: ego illos convéniam. Sed dic, quid eget tutor ópera tua? *Luc.* Ad áliquid describéndum. *Praec.* Qua ígitur hora vis illum adíre? *Luc.* Nunc, si tibi placet. *Praec.* Quando huc redíbis? *Luc.* Ut primum me dimíserit. *Praec.* Nunc abi, atque illi ex me dic salútem plúrimam. *Luc.* Fáciam libénter.

ELOCÚTIO.

Quae causa movit te, ut adíres tutórem?
Pater iussit, ut se convenírem.
Non licet mihi per ótium.

E regióne sacrae aedis ... templi.
Vide ne mentiáris.
Dare testes ex condiscípulis.
Tutor meus eget ópera mea, ad describéndum áliquid.
Dic soróri tuae ex me salútem plúrimam.
Salúta tuum praeceptórem meo nómine.

Collóquium XXX.

Arguméntum: ***Itúri ad núptias, prídie véniam petunt, ut domi vestiménta mutent : admonéntur paucis a praeceptóre.***

MARCUS, PRAECÉPTOR.

Marc. Licétne, praecéptor, ut ego et patruélis eámus domum? *Praec.* Quid eo? *Marc.* Ad núptias consobrínae. *Praec.* Quando fient núptiae? *Marc.* Crástino die. *Praec.* Cur tam cito vultis ire? *Marc.* Ut mutémus vestiménta. *Praec.* Per me licet, eátis hac tamen lege, ut cras huc redeátis cúbitum. *Marc.* Quid si volúerit patruus, ut exspectémus repótia? *Praec.* Non detinébit vos, satis scio, dúmmodo dicátis ei, qua lege dimíserim. *Marc.* Verum faté-bimur. *Praec.* Abíte et ab omni cavéte intemperántia: facitéque, ut lúceat lux vestra coram ómnibus, unde gloria nostri illius caeléstis Patris celebrétur. *Marc.* Ita quidem sperámus fore, ipso nos in ómnibus adiuvánte.

ELOCÚTIO.

Ire ad núptias; fácere, paráre, adornáre, apparáre núptias.
Núbere alícui.
Soror tua nupsit fratri meo ... coníuncta est cum fratre meo.
Núbere in famíliam claram.
Dúcere vel assúmere áliquam in matrimónium ... iúngere sibi matrimónio.
Mutáre vestiménta ... cálceos.
Hac lege dimítto vos, ut maturétis réditum.
Cavéte vobis ab omni intemperántia.
Glóriam alicúius celebráre.

Collóquium XXXI.

Arguméntum: ***Itúrus ad forum. Provérbium de pane.***

MARTÍNUS, PRAECÉPTOR.

Mart. Licétne exíre, praecéptor? *Praec.* Quae tibi est exeúndi causa? *Mart.* Ut quaéram in foro áliquem ex nostrátibus. *Praec.* Quid hoc opus est? *Mart.* Mandáre illi volo, ut meos admóneat de pane mihi aut afferéndo, aut mitténdo. *Praec.* Ubi panis déficit, ómnia sunt illic venália. *Mart.* Istud vulgátum est apud nos provérbium. *Praec.* Immo ubíque pervulgátum: ádeo panis mortálium vitae est necessárius. Sed ad rem: tu nunc prodíre vis? *Mart.* Si tibi placet, praecéptor: ne mei negótii occasiónem amíttam. *Praec.* Abi, et festína ante prándium redíre. *Mart.* Dabo équidem óperam.

ELOCÚTIO.

Quae tibi est exeúndi causa?
Quid causae est, quod exíre velis?
Ibo in forum quaesítum áliquem ex nostrátibus.
Ádmone meos de mitténdo mihi pane ... ut mittant mihi panem.
Ubi panis déficit, ómnia sunt illic venália.
Provérbium hoc ubíque pervulgátum est.
Sermo vulgáris.
Amíttere occasiónem negótii sui.
Festína redíre ante prándium.
Festináre ad locum, in locum.

Collóquium XXXII.

Arguméntum: ***Míchael ad forum itúrus paucis interrogátur a praeceptóre.***

MÍCHAEL, PRAECÉPTOR.

Mich. Praecéptor, licétne mihi prodíre? *Praec.* Quae tibi est prodeúndi causa? *Mich.* Est mihi eúndum ad forum. *Praec.* Quid

eo? *Mich.* Ut emam córium. *Praec.* In quem usum? *Mich.* Ad calceórum sóleas. *Praec.* Quis te adiuvábit in emptióne? *Mich.* Quidam oppidánus, cui hoc mandávit pater meus. *Praec.* Debuísti adíre me cum céteris, qui ad forum prodiérunt. *Mich.* Occupátus eram. *Praec.* Qua in re? *Mich.* In scribéndis ad patrem lítteris. *Praec.* Quando eas dabis? *Mich.* Hódie, si quem in foro nostrátem offéndero. *Praec.* Abi, et meménto ad horam sólitam adésse. *Mich.* Fáciam.

ELOCÚTIO.

Eúndum est mihi in forum ... opórtet me ire in forum.
Émere córium ad sóleas calceórum.
Iuva me in emptióne córii.
Offéndere áliquem.
Adésse ad horam sólitam.

Collóquium XXXIII.

*Arguméntum: **Nicoláus et frater panem petítum itúri, diligénter a praeceptóre, ne fallant eum, interrogántur.***

NICOLÁUS, PRAECÉPTOR, NORBÉRTUS et ALPHÓNSUS DISCÍPULI.

Nicol. Praecéptor, licétne cras ire domum? *Praec.* Quid eo? *Nicol.* Petítum panem. *Praec.* Non tibi restat? *Nicol.* Restat quidem, sed paulum ádmodum. *Praec.* Quid frater? estne tecum itúrus? *Nicol.* Iussit pater. *Praec.* Quando convenísti illum? *Nicol.* Die Iovis, cum venísset in hanc urbem. *Praec.* Ubi eum vidísti? *Nicol.* Apud forum. *Praec.* Non mentíris? *Nicol.* Non méntior. *Praec.* Unde probábis? *Nicol.* Sunt ex condiscípulis, qui affuérunt. *Praec.* Qui tandem? *Nicol.* Adsunt Norbértus et Alphónsus. *Praec.* Estne verum? *Disc.* Omníno verum. *Praec.* Qui scitis? *Disc.* Vídimus eius patrem, et audívimus ipsa verba. *Praec.* Si ita est, permítto, ut eas domum cum fratre. *Nicol.* Vale, praecéptor. *Praec.* Vos servet Dóminus Deus. *Nicol.* Idem tibi precámur ex ánimo. *Praec.* Sed heus, quando huc adéritis? *Nicol.* Crástino die véspere, Deo iuvánte. *Praec.* Cura, ut promíssi memíneris. *Nicol.* Curábo. *Praec.* Scílicet, ut soles. *Nicol.* Immo mélius spero. Quid vis? *Praec.* Ut verbis meis salútem dicas paréntibus. *Nicol.* Fáciam libénter: íterum vale, praecéptor. *Praec.* Vos quoque

valéte: et lento gradu ambuláte propter aestum solis. *Nicol.* Ita fácere solémus.

ELOCÚTIO.

Non restat mihi panis.
Mentíri non est viri boni.
Mendácem opórtet esse mémorem.
Permítto, ut eátis domum.
Precári ex ánimo.
Meminísse promíssi.
Dic verbis meis conterráneo tuo salútem.
Ambuláre lento gradu propter aestum solis.

Collóquium XXXIV.

Arguméntum: ***Emptúrus cultros admonétur, ut sibi impóni cáveat.***

ROBÉRTUS, PRAECÉPTOR.

Rob. Praecéptor, licétne prodíre? *Praec.* Quam ob rem? *Rob.* Ut emam cultros cenatórios. *Praec.* Ubi sunt quos habébas? *Rob.* Relíqui domi. *Praec.* Quid ita? *Rob.* Quia iam obtúsi erant et inútiles. *Praec.* Habésne pecúniam ad eméndos álios? *Rob.* Mater dedit mihi. *Praec.* Quis erit adiútor in eméndo? *Rob.* Gerárdus. *Praec.* Ite sane: et cavéte, ne vobis imponátur. *Rob.* Cavébimus, Deo iuvánte. *Praec.* Omnes quidem iuvat, sed eos potíssimum, qui ad Eius honórem ómnia réferunt.

ELOCÚTIO.

Emi cultros cenatórios dimídio aúreo.
Emísti magni, pluris, plúrimi.
Culter meus obtúsus est et inútilis.
Esto mihi, Gerárde, adiútor in eméndis cultris.
Impónere alícui ... cavéte, ne imponátur vobis ... impónere alícui nomen.
Referre ómnia ad honórem Dei.

Collóquium XXXV.

Arguméntum: ***Onófrius vestíficem aditúrus.***

ONÓFRIUS, PRAECÉPTOR.

Onof. Licétne exíre? *Praec.* Quo? *Onof.* Ad vestíficem. *Praec.* Quid eo? *Onof.* Ut mihi túnicam faciéndam metiátur. *Praec.* Quae tibi est matéria. *Onof.* Niger pannus. *Praec.* Ubi est? *Onof.* In arca mea. *Praec.* Véstifex autem quis tibi est? *Onof.* Petrus Sílvius. *Praec.* Estne perítus ártifex? *Onof.* Sic audívi: et est notus patri meo, qui iussit, ut illum adírem. *Praec.* Ubi hábitat? *Onof.* In vico Xenodochíi. *Praec.* Non nimis longe est, cave discúrras. *Onof.* Cavébo. *Praec.* Fácile a me véniam ímpetrant, qui numquam fallunt. *Onof.* Avértat Deus, ut umquam fallam.

ELOCÚTIO.

Véstifex mensus est mihi túnicam faciéndam.
Metíri magnitúdinem alicúius rei.
Iníre mensúram rei ... ágere mensúram alicúius rei.
Metíri fruméntum, óculo áliquid, pédibus áliquid, pede suo se.
Quae tibi est matéria vestiménti?
Quis tibi véstifex est?
Ártifex perítus ... perítus linguae graecae.
Pater iussit me adíre sartórem in vico Xenodochíi habitántem.
Pater iussit me scríbere.
Cave, discúrras ... cáve, dicas, id est, ne dicas.
Avértere hostem ab áliquo.
Avértere culpam in álium.

Collóquium XXXVI.

Arguméntum: ***Itúrus ad vestíficem.***

ORÉSTES, PRAECÉPTOR.

Orest. Praecéptor, licétne prodíre? *Praec.* Quo prodíre cupis? *Orest.* Ad vestíficem. *Praec.* Quid eo? *Orest.* Petítum femorália. *Praec.* Iamne facta sunt? *Orest.* Sunt, opínor. *Praec.* Recte, opínor, dicis: quia res incérta est. *Orest.* Atqui promíserat mihi in hunc

diem. *Praec.* Quid si fallat? *Orest.* Nihil mirum erit. *Praec.* Nunc quoque vere locútus es: nam raro ad promíssum tempus fidem praestant artífices. *Orest.* Viso tamen, praecéptor, si mihi permíttis. *Praec.* Nihil impédio. *Orest.* Quid vis, praecéptor? *Praec.* ímmo, ut próperes, ne desis praelectióni. *Orest.* Bene mones: ábeo.

ELOCÚTIO.

Prodíbo ad vestíficem petítum femorália.
Promísit mihi véstifex se hódie confectúrum esse mihi femorália.
Verum non stetit promíssis.
Raro ad promíssum tempus fidem praestant artífices.
Praestáre fidem.
Deésse praelectióni.

Collóquium XXXVII.

Arguméntum: ***Paulus ad vestíficem itúrus et eádem ópera ad chirúrgum.***

Paulus, Praecéptor.

Paul. Licétne prodíre, praecéptor? *Praec.* Quo? *Paul.* Primum ad sartórem, deínde ad chirúrgum. *Praec.* Cur ad vestíficem? *Paul.* Ut curem tibiália reficiénda. *Praec.* Suntne laceráta? *Paul.* Ádeo laceráta, ut vix indúere possim. *Praec.* Cur ad chirúrgum? *Paul.* Ut illi osténdam ulcus, quod mihi his diébus subórtum est in fémore. *Praec.* Détege, ut vídeam. *Paul.* Vide, quando ita placet. *Praec.* Est forúnculus. *Paul.* Ita coniciébam. *Praec.* Cum aperúeris chirúrgo, roga illum, ut emplástrum úlceri aptum adhíbeat. *Paul.* Fáciam, quod suades. *Praec.* Sed numquis est, qui tecum prodíre velit? *Paul.* Immo Ioánnes Flaviánus. *Praec.* Quod habet negótium? *Paul.* Tonsórem vult adíre. *Praec.* Ite ígitur una, et redíte simíliter. *Paul.* Quid vis praetérea? *Praec.* Ut maturétis réditum, ne merénda vestra multémini.

ELOCÚTIO.

Curáre tibiália reficiénda.
Femorália mea ádeo laceráta sunt, ut vix indúere possim.
Ulcus subórtum est mihi his diébus in fémore.

Conício esse forúnculum.
Aperíre alícui áliquid ... ánimum suum alícui ... caput alícui.
Emplástrum úlceri aptum adhibére.
Maturáre réditum.
Multári re áliqua.
Multáre morte áliquem ... multam pétere.

Collóquium XXXVIII.

Arguméntum: ***Petrus de váriis negótiis obeúndis véniam petit.***

PETRUS, PRAECÉPTOR.

Pet. Praecéptor, licétne mihi exíre? *Praec.* Quo tibi eúndum est? *Pet.* Ad tonsórem. *Praec.* Non est tibi áliud negótium? *Pet.* A tonsóre volo ire emptum lígulas, illinc me ad sutórem conférre. *Praec.* Cur ad sutórem? *Pet.* Ut uni ex cálceis meis annéctat corrígiam. *Praec.* Ista ómnia quando confícies? *Pet.* Intra horae spátium, ut spero. *Praec.* Erunt multi fortásse qui in tonstrína exspéctant. *Pet.* Fíeri potest: sed, si vídero diútius mihi morándum illic esse, exspectábo in diem Satúrni. *Praec.* Estne álius, qui prodíre velit? *Pet.* Pontánus ait se velle cálamum émere. *Praec.* Scisne illi opus esse? *Pet.* Scio. *Praec.* Ite ígitur una: curáte diligénter suum utérque negótium, nec sitis cessatóres. *Pet.* Deo iuvánte, cavébimus.

ELOCÚTIO.

Eúndum est mihi ad tonsórem.
Conférre se ad sutórem.
Sutor uni ex cálceis meis annéxuit corrígiam.
Confícere negótium suum ... mandátum alicúius.
Intra horae spátium haec ómnia confíciam.
Fíeri potest, ut multi sint qui exspéctant in tonstrína.
Morándum est mihi hic diu ...; morári tríduum alícubi; nihil ista moror; non moror.
Remorári áliquem, afférre alícui moram, inférre alícui moram.
Exspectáre in diem Véneris ... Iovis, Mercúrii, Martis, Lunae.
Saltem áliquot dies profer.
Nolíte cessáre ... ne sitis cessatóres.

Collóquium XXXIX.

Arguméntum: ***De suburbána deambulatióne. Geórgius et Adólphus discípuli véniam ímpetrant eúndi ambulátum, ut céteris ludéntibus, libérius et iucúndius colloquántur. Dei laudándi arguméntum cultóribus eius numquam deest.***

GEÓRGIUS, ADÓLPHUS, PRAECÉPTOR.

Georg. Praecéptor, licétne pauca? *Praec.* Lóquere. *Adolph.* Nos duo proposúimus, si tibi ita viderétur, ire, dum céteri ludunt, foras ambulátum. *Praec.* Quo vultis exíre? *Georg.* In próxima suburbána. *Praec.* Quid autem agétis ambulántes? *Adolph.* Tractábimus collóquium áliquod. *Praec.* Sed de bonis et honéstis rebus. *Georg.* Haec témporis serénitas et tam pulchra terrae fácies praebébunt nobis honéstum áliquod arguméntum. *Praec.* Numquam deest Dei laudándi matéria, sed veris eius cultóribus. *Adolph.* Numquam profécto: sed ut ad propósitum revertámur, permittisne nobis, praecéptor, extra urbem prodíre? *Praec.* Nisi mihi perspécta esset vestra perpétua fidélitas et verus amor litterárum, numquam permítterem: praesértim, cum pravi adulescéntes me saepe in hoc génere feféllerint. Vos ígitur prodíte: deínde matúre ad cenam revertímini.

ELOCÚTIO.

Proposúeram mihi ire foras ambulátum.
Caeli serénitas invítat nos ad deambulándum.
Quid egístis ambulántes?
Tractáre rem áliquam ... nugas tractáre.
Caelum satis serénum est; nihil hoc caelo blándius, nihil amoénius.
Pulchra terrae fácies.
Praebére arguméntum alícui ... aures alícui ... causam, os alícui, se dócilem, se gratum.
Numquam deest Dei laudándi matéria veris eius cultóribus.
Revérti ad propósitum.
Nisi perspécta esset praeceptóri mea fidélitas et verus amor litterárum, non permisísset mihi prodíre extra urbem.
Perspícere fidem alicúius ... integritátem alicúius.

Collóquium XL.

Arguméntum: ***Robértus multórum nómine véniam petit prodeúndi ad mercátum.***

ROBÉRTUS, PRAECÉPTOR.

Rob. Praecéptor, licet nobis prodíre? *Praec.* Estísne multi qui prodíre vultis? *Rob.* Omnes fere. *Praec.* Quid hoc sibi vult? *Rob.* Est hódie mercátus, inde fit, ut fere sibi quisque velit áliquid émere. *Praec.* Nunc ego sum occupátior, quam ut singulórum prodeúndi causam possim cognóscere: adíte ígitur repetitórem, qui cognóscat et, si vacat, vos dedúcat ipse. *Rob.* Grátias ágimus, praecéptor humaníssime.

ELOCÚTIO.

Émere sibi res multas.
Quae tibi est causa prodeúndi?
Praecéptor nunc est occupátior, quam ut singulórum prodeúndi causam cognóscere possit.
Non vacávit mihi te dúcere domum.

Collóquium XLI.

Arguméntum: ***Itúrus domum ob levem causam, non ímpetrat, adeóque obiurgátur. Exémplum observátu dignum, ne púeri cursitáre témere permittántur.***

RUDÓLPHUS, PRAECÉPTOR.

Rud. Licétne prodíre? *Praec.* Quo? *Rud.* Domum. *Praec.* Hem, tam saepe itáre domum. *Rud.* Mater iússit, ut ego et frater se adirémus hódie. *Praec.* Cuius rei grátia? *Rud.* Ut ancílla vestiménta nobis excúteret. *Praec.* Quid istud? suntne vobis máculae? *Rud.* Et multae quidem. *Praec.* Cur uxórem meam non admonuístis? *Rud.* Non ausi sumus. *Praec.* Quasi vero illa sit usque ádeo diffícilis. Ancíllam habet ea potíssimum grátia, ut vestrum ómnium curet mundítiem: nec vos ignorátis hoc, sed gaudétis matris inviséndae occasiónem vobis dari. Vos ígitur manéte: cras ego

curábo, ut vobis excutiántur vestes. *Rud.* Sed mater nos obiurgábit. *Praec.* Égomet eam placábo, quiéscite.

ELOCÚTIO.

Itáre domum.
Mater iussit, ut adírem se.
Ancílla excússit mihi vestiménta.
Excútere alícui lácrimas ... áliquem sella.
Multae fratri tuo sunt máculae ... habet multas frater tuus máculas.
Non ausus sum matrem admonére de pane.
Uxor praeceptóris diffícilis non est.
Ea potíssimum grátia paréntes habent ancíllas, ut curent puerórum mundítiem.
Gaúdeo mihi dari occasiónem inviséndae matris.
Gaúdeo, quod mihi datur occásio inviséndi matrem.
Obiurgáre áliquem.
Placáre áliquem ... reprehéndere áliquem.
Placáre iram alicúius.

Collóquium XLII.

Arguméntum: Quidam prodíre voléntes obiurgántur, et in pósterum diem reiciúntur.

ROBÉRTUS, PRAECÉPTOR.

Rob. Praecéptor, licétne nobis ire ad tonsórem? *Praec.* Quid eo? *Rob.* Ut capíllum tondeámus. *Praec.* Libénter cotídie exirétis séxies: quin exspectáte in crástinum diem, ut eátis una cum céteris. *Rob.* Atqui propter mercátum turba erit in tonstrína. *Praec.* Quid tum, satis habébitis ótii ad exspectándum: Recípite vos ad stúdium. *Rob.* Ut libet, praecéptor.

ELOCÚTIO.

Tondére capíllos ... boni pastóris est tondére pecus, sed non deglúbere.
Turba est in tonstrína propter mercátum.

Satis ótii habes ad studéndum.
Datur tibi satis spátii ad excolénda stúdia.
Recípite vos ad stúdium ... in muséum.

Collóquium XLIII.

Arguméntum: ***Sebastiánus iubétur scríbere ad patrem cuiúsdam púeri de remitténdo ad scholam fílio.***

PRAECÉPTOR, SEBASTIÁNUS.

Praec. Hódie ígitur Petrum convenísti? *Seb.* Hódie. *Praec.* Ubi? *Seb.* In sacra aede. *Praec.* Quota hora? *Seb.* Octáva matutína. *Praec.* Numquid rogásti, quando sit repetitúrus scholam? *Seb.* Rogávi. *Praec.* Quid ille? *Seb.* Néscio, inquit. *Praec.* Debuísti illum ad réditum exhortári. *Seb.* Id ego feci, et multis quidem verbis. *Praec.* Bene fecísti: sed quid ille respóndit? *Seb.* Se adhuc a patre detinéri ad fructus colligéndos. *Praec.* Quid si ad ipsum patrem scribas de statu nostro scholástico? fortásse enim movébitur, quo fílium cítius remíttat. *Seb.* Si tibi ita vidétur, fáciam, idque diligénter. *Praec.* Fac ígitur quam primum: sed audi, scribe pleníssime: deínde lítteras tuas mihi osténde, priúsquam des perferéndas. *Seb.* Sédulo fáciam, praecéptor.

ELOCÚTIO.

Repétere scholam.
Exhortári áliquem ad áliquid ... multis verbis.
Detinéri ab áliquo.
Núdius tértius scripsi ad patrem meum de statu nostro scholástico.
Quo in statu sunt res vestrae scholásticae?
Remíttere púerum ad scholam.
Iussus sum scríbere ad patrem meum de remitténdo ad scholam fratre meo.
Quid tibi vidétur ... vidéris mihi díligens.
Scribe pleníssime ad príncipem.
Osténde mihi lítteras tuas, priúsquam des perferéndas.
Cura has lítteras quaeso perférendas Romam.

Collóquium XLIV.

Arguméntum: ***Stéphanus a negótio revérsus, praeceptóri, ut moris est, se sistit.***

STÉPHANUS, PRAECÉPTOR.

Steph. Praecéptor, tuo permíssu hora prima prodíeram: nunc rédeo. *Praec.* Curásti negótium tuum? *Steph.* Curávi, Dei benefício. *Praec.* Factum bene, quota est hora? *Steph.* Instat secúnda. *Praec.* Voca mihi fámulum: deínde ito ad meréndam cum céteris.

ELOCÚTIO.

Pródii permíssu praeceptóris.
Curáre negótium suum.
Redíre a negótio.
Instat hora prima.
Ire ad prándium.
Voca mihi fámulum meum.

Collóquium XLV.

Arguméntum: ***Sero quidam ad scholam accédens, excúsat se, quod fratrem exspectáverit, eúmque in foro restitísse ait, ut atraméntum émeret. Inter fratres ómnia debent esse commúnia. Fratérnitas.***

PRAECÉPTOR, SIGISMÚNDUS.

Praec. Cur non venísti cítius? *Sig.* Exspectábam fratrem. *Praec.* Ubi est? *Sig.* Réstitit in foro. *Praec.* Cur eum non adduxísti? *Sig.* Vóluit émere atraméntum. *Praec.* Immo pira, mala, aut áliquid e céteris frúctibus. *Sig.* Néscio, tamen id dicébat. *Praec.* Cum sitis fratres, cur non habétis domi commúne atraméntum in ampúlla? *Sig.* Frater nihil vult habére commúne mecum. *Praec.* Vult ígitur ómnia sibi própria. *Sig.* Ita est. *Praec.* Ádmone me, cum véniet: ego illum docébo, quid sit fratérnitas. *Sig.* Fáciam, praecéptor. *Praec.* Abi in locum tuum.

ELOCÚTIO.

Cur non venísti cítius in scholam?
Cur non sérius accessísti ad scholam?
Exspectáre áliquem.
Frater réstitit in foro, ut émeret chartam.
Cónferam me in forum, emptum pira.
Émere áliquid e frúctibus, áliquid frúctuum.
Nolo tecum quidquam commúne habére.
Inter fratres ómnia debent esse commúnia.
Ómnia amícis sunt commúnia.
Ómnia tibi vis própria.
Abi in locum tuum, óccupa locum tuum; sede in loco tuo; redi in sedem tuam.

Collóquium XLVI.

Arguméntum: ***Puer interrogátus de abséntia, causam affert honéstam, eámque scriptam profert.***

PRAECÉPTOR, TITUS.

Praec. Quid sibi vult, quod afuísti hac tota hebdómada? *Tit.* Opórtuit me manére domi. *Praec.* Quam ob rem? *Tit.* Ut matri adéssem, quae aegrotábat. *Praec.* Quod illi offícium praestábas? *Tit.* Saépius ei legébam. *Praec.* Quid legébas? *Tit.* Áliquid ex sacris lítteris. *Praec.* Sanctum istud et laudábile ministérium. Útinam sic omnes studérent verbo Dei. Sed quid? nihil agébas praetérea? *Tit.* Quóties opus erat, illi ministrábam cum ancílla. *Praec.* Profer huius rei testimónium, si habes. *Tit.* Ecce. *Praec.* Quis scripsit? *Tit.* Fámulus noster matris nómine. *Praec.* Agnósco eius manum: quia saepe ab illo mihi attulísti. *Tit.* Licétne ígitur redíre in sedem meam? *Praec.* Quidni líceat, cum mihi satisféceris? *Tit.* Grátias ago, praecéptor.

ELOCÚTIO.

Abésse tota hebdómada.
Opórtuit me manére domi ... manéndum mihi fuit domi.
Praestáre alícui offícia ... ministráre alícui.
Légere áliquid ex sacris lítteris.

Studére verbo Dei ... studére honestáti.
Proférre testimónium scriptum ... testes alicúius rei.
Fámulus haec scripsit nómine matris.
Scripsit manu sua.
Excusávit se praeceptóri, apud praeceptórem, quod ipso inconsúlto prodíerit.
Licétne mihi redíre in sedem meam? ... abíre in locum meum.

Collóquium XLVII.

Arguméntum: ***Excúsat se quidam, quod inconsúlto praeceptóre prodíerit: cuius rei testes prodúcit.***

THEOBÁLDUS, PRAECÉPTOR.

Theo. Praecéptor, placétne audíre excusatiónem meam? *Praec.* Quando afuísti? *Theo.* Hestérno die. *Praec.* Quota hora? *Theo.* Prima. *Praec.* Quae fuit causa? *Theo.* Arcessítus fui. *Praec.* A quo? *Theo.* A patre *Praec.* Quis tibi nuntiávit? *Theo.* Fámulus noster. *Praec.* Cur me non adísti? *Theo.* Quia dicébat ille se urgéri festinatióne. *Praec.* Suntne tibi testes? *Theo.* Adsunt, praecéptor. *Praec.* Abi, sede in loco tuo: ego ínterim eos interrogábo.

ELOCÚTIO.

Arcéssi ab áliquo.
Úrgeor festinatióne.
Sunt mihi tres testes ... tres sunt mihi testimónio.

Collóquium XLVIII.

Arguméntum: ***Argúitur, qui éxiit iniússu praeceptóris: sed véniam exórat.***

PRAECÉPTOR, TERÉNTIUS.

Praec. Demíror, unde nunc vénias? *Ter.* Domo rédeo, praecéptor. *Praec.* Cur íeras domum? *Ter.* Petítum meréndam. *Praec.* Quam ob rem non attulísti? *Ter.* Mater erat occupáta. *Praec.* Quid tum? debuísti exíre iniússu meo? *Ter.* Non débui, fáteor. *Praec.*

Quid ígitur meruísti? *Ter.* Plagas accípere: sed ignósce mihi, quaeso, praecéptor. *Praec.* Cur non petivísti exeúndi potestátem? *Ter.* Quia non audébam te interpelláre. *Praec.* Quid agébam? *Ter.* Tenébas libéllum quendam, et legébas áliquid. *Praec.* Fíeri pótuit, sed vos tamen saepe me interpellátis ob rem leviórem. Nunc ígitur para te ad vapulándum. *Ter.* Parce mihi, óbsecro, praecéptor. *Praec.* Sine, ut prius cógitem aliquantísper. Age, parco: tum quia ingénue confitéris, tum quod satis studiósus mihi vidéris. *Ter.* Grátias ago máximas, praecéptor humaníssime.

ELOCÚTIO.

Éxiit iniússu praeceptóris, spe audiéndi áliquid novi, quod ex Ánglia nobis apportásti.
Merére plagas.
Pétere potestátem exeúndi.
Sine, ut prius cógitem aliquantísper.
Sine me prius aliquantísper cogitáre.
Contubernális meus vidétur mihi satis studiósus.
Multos habet studiósos sui.
Paucos hábeo cives studiósos mei.
Semper fui studiosíssimus tui et tuórum.

Collóquium XLIX.

Arguméntum ***Quaerit praecéptor de fámuli abséntia.***

PRAECÉPTOR, VINCÉNTIUS.

Praec. Ubi est Martínus? *Vinc.* Iit ad forum. *Praec.* Quid eo? *Vinc.* Emptum, ut dixit, cíngulum. *Praec.* Iniússu meo non exíre débuit: sed hoc nihil ad te. Quis dabit vobis meréndam? *Vinc.* Dixit se hora secúnda reversúrum, ut daret nobis. *Praec.* Quid si fallat? *Vinc.* Id non est moris eius. *Praec.* Nisi ad horam affúerit, ádmone uxórem de vestra merénda, habet enim clavem álteram cellae penáriae.

ELOCÚTIO.

Non debuísti exíre iniússu meo.
Hoc nihil ad te.
Quid istud ad te áttinet?

Dixit se reversúrum hora secúnda.
Non est moris eius.
Adésse ad horam.
Admonére áliquem de re áliqua.
Admonére áliquem alicúius rei.
Ad aurem admonéri ab amícis.

Collóquium L.

Arguméntum: ***Praecéptor, ex Valério cógnita fratris eius valetúdine, iubet domum ut eum Valérius dedúcat.***

PRAECÉPTOR, VALÉRIUS.

Praec. Heus, Valéri! *Val.* Hem, praecéptor. *Praec.* Quid flet frater tuus? *Val.* Aegrótat. *Praec.* Qui scis? *Val.* Satis appáret. *Praec.* Quo signo? *Val.* Quia vómuit. *Praec.* Quid illi dolet? *Val.* Caput et stómachus, ut dicit. *Praec.* Cur non récipit se domum? *Val.* Ausus non est. *Praec.* Tu vero non audébas me admonére? Age duc illum tu ipse domum, et matri narra diligénter, ut ille se hábeat. Própera, quid cessas? Duc eum lento gradu. *Val.* Ducam, praecéptor.

ELOCÚTIO.

Frater meus flet, plorat, lácrimat, emíttit lácrimas.
Qui scis Christóphorum aegrotáre?
Vómere post cenam ... vómere in conspéctu alicúius.
Vómitum sístere, inhibére.
Caput mihi dolet.
Recípere se domum.
Ducam sorórem tuam Catharínam domum.
Dúcere uxórem.
Narra matri, quómodo soror se hábeat.
Própera, quid cessas, cessátor? Duc eum lento gradu.

Collóquium LI.

Arguméntum: ***Praecéptor a púero patris nómine salutátus: et ubi paréntes sint, quique váleant, percontátus, vicíssim patri salútem núntiat.***

VINCÉNTIUS, PRAECÉPTOR.

Vinc. Pater meus tibi salútem plúrimam dicit. *Praec.* Ain' tu, quando rure rédiit? *Vinc.* Heri tantum. *Praec.* Ut valet? *Vinc.* Óptime. *Praec.* Mater vero ubi est? *Vinc.* Adhuc est in Gállia. *Praec.* Ubi in Gállia? *Vinc.* Auréliae. *Praec.* De illa quid audítis? *Vinc.* Esse bona valetúdine praéditam, Dei benefício. *Praec.* Dóminus Deus consérvet eam. *Vinc.* Ita precor. *Praec.* Dic vicíssim patri salútem plúrimam verbis meis. *Vinc.* Fáciam sédulo.

ELOCÚTIO.

Dícere alícui salútem plúrimam.
Redíre rure ... habitáre ruri ... ire rus.
Esse bona valetúdine praéditum.
Praéditus bono ingénio ... auctoritáte ... alta mente.
Dic vicíssim patri salútem plúrimam verbis meis.
Núntia vicíssim patri salútem.

Collóquium LII.

Arguméntum: ***Quidam puer patris nómine praeceptórem in hortos invítat, praecéptor óbiter áliquid docet ad mores pértinens.***

ADÓLPHUS, PRAECÉPTOR.

Adolph. Praecéptor, salvus sis. *Praec.* Auspicáto ádvenis: quid núntias? *Adolph.* Orat te pater meus, ut ánimi causa eámus una in hortos suos suburbános. *Praec.* Ad eam rem nos invítat serénitas, et nunc sumus feriáti. Sed quid illic aspéctu iucúndum vidébimus? *Adolph.* Várias et pulchras árbores cum frúctibus suis item herbárum et florum miram varietátem. *Praec.* Nihil est illis rebus hoc témpore iucúndius. *Adolph.* Ea est Dei erga nos beneficéntia. *Praec.* Quam quidem assíduis laúdibus prósequi debémus.

Adolph. Sed véreor, ne patri in mora simus. *Praec.* Tantísper exspécta, dum togam mutem, ut sim ad ambulándum expedítior. Iam parátus sum: nunc eámus. Sed estne domi pater? *Adolph.* Prae fóribus nos exspéctat. *Praec.* Bene res se habet: vide, ut eum decénter salútes. *Adolph.* De hoc, te docénte, saepe admóniti fúimus.

ELOCÚTIO.

Salvus sis, reverénde Dómine Pastor.
Salve, salus tibi, salvére te iúbeo, bene sit tibi, salvéte páriter omnes.
Opto tibi salútem plúrimam.
Auspicáto ádvenis.
Ánimi causa.
Caeli serénitas invítat nos ad deambulándum.
Hómines male feriáti.
Vidébimus áliquid aspéctu iucúndum.
Miram vidébimus florum varietátem.
Nihil vere iucúndius.
Prósequi áliquem assíduis laúdibus, ódio, honóre.
Véreor, ne sim tibi in mora ... ne sim tibi impediménto.
Parátus ad deambulándum.
Prae fóribus te exspectábo.
Salutávi pastórem decénter.
Admonéri de re áliqua.
Praeceptóre docénte ego dormiébam.

Collóquium LIII.

Arguméntum: Magíster ad prándium invitátus excusatiónem mittit.

ALBÉRTUS, MAGÍSTER.

Alb. Praecéptor, pater te invítat ad prándium, si tibi placet. *Mag.* Estne solus? *Alb.* Solus, opínor, praeter domésticos. *Mag.* Excúsa me illi, iam enim aliúnde invitátus sum. Age tamen illi meis verbis grátias. *Alb.* Numquid vis áliud? *Mag.* Nihil, nisi ut matúre ad scholam rédeas. *Alb.* Matúre, iuvánte Deo.

ELOCÚTIO.

Praecéptor, pater te invítat ad prándium.
Excúsa me illi, iam enim aliúnde invitátus sum.
Ipse exspécto quendam invitátum ad prándium ex vetéribus amícis.
Age illi verbis meis grátias et renúntia illi salútem.
Matúre redíre ad scholam.

Collóquium LIV.

Arguméntum: ***Praecéptor docens revocátur ex auditório.***

ARNÓLDUS, PRAECÉPTOR, DISCÍPULI.

Arn. Praecéptor! *Praec.* Hem, quid est? *Arn.* Sunt quidem, qui te convéntum volunt. *Praec.* Ubi sunt? *Arn.* Te exspéctant in vico. *Praec.* Nunc adíbo. *Arn.* Atqui urgent. *Praec.* Praecúrre tu, et eos intromítte in áream: ego te sequar, vos ínterim exspectáte cum siléntio, mox ego ádero, ut vos ad cenam dimíttam. *Disc.* O quam bonum verbum!

ELOCÚTIO.

Quidam te convéntum vult.
Convenire alícui rei.
Convenire áliquem.
Praecúrrere alícui, vel, áliquem ... aetáte áliquem ... advéntum alicúius.
Lingua mentem praecúrrit.
Intromíttere áliquem in aedes.
Exspectáte me cum siléntio.
Dimíttere áliquem cum bona pace ... uxórem e matrimónio ... ósculo áliquem.
Dimítte me, fac me missum.
Mílites dimíttere.

FINIS LIBRI QUARTI

LIBER QUINTUS

De rebus gravióribus et quae iudícium póstulant atque exércent.

Collóquium I.

Arguméntum: ***Núntius laetus de stúdiis.***

ALBÉRTUS, BERNÁRDUS.

Alb. Ecquid novi? *Bern.* Accépi lítteras a fratre, qui Lovánii hábitat. *Alb.* Quando accepísti? *Bern.* Heri sub noctem. *Alb.* Quis áttulit? *Bern.* Piscárius. *Alb.* Quidnam intellexísti ex istis lítteris? *Bern.* Ómnia bene illic se habére, quae ad stúdia pértinent. *Alb.* Vérane praédicas? *Bern.* Exspécta, lítteras ipsas osténdam tibi post prándium. *Alb.* Est profécto, quod nostris frátribus gratulémur. *Bern.* Scílicet, quod Deo nostro grátias máximas agámus. *Alb.* Id quidem praestáre debémus omni témpore: sed nunc máxime, cum audímus ea, quae ad glóriam eius praecípue pértinent. *Bern.* Útinam hoc semper habeámus in memória! *Alb.* Communicábis ígitur mecum tuas lítteras? *Bern.* Ut promísi. *Alb.* Ergo post prándium. *Bern.* Étiam dúbitas? *Alb.* Intérea vale. *Bern.* Vale, et salve, Albérte.

ELOCÚTIO.

Ecquid novi habes? Numquid novi?
Si quid novi habes, fac me certiórem.
Accípere lítteras ab áliquo.
Lítterae tuae mihi heri sub noctem rédditae, tráditae sunt.
Schedae tuae meas ad manus pervenérunt.
Quidnam intellexísti ex lítteris istis?
Quid cóntinent lítterae?
Ómnia bene se habent, quae ad valetúdinem pértinent.
Pértinet ad Dei glóriam.
Commúnica mecum lítteras tuas.

Communicáre áliquid cum áliquo, cum áliquo de re áliqua, áliquem áliqua re.
Communicáre inter se áliquid, vel, inter se de re áliqua.

Collóquium II.

*Arguméntum: **Ágitur de Evangélio diligénter audiéndo, ut Deum secúndum illud colámus, et iuste sobriéque vivámus. Voces iuste et sóbrie quid significent.***

AUGUSTÍNUS, BONIFÁCIUS.

Aug. Cur diligénter audíre debémus Evangélium? *Bonif.* Ut discámus Deum cólere ex voluntáte eius. *Aug.* Nihil áliud respóndes? *Bonif.* Quid respóndeam? Nihil enim scio praetérea. *Aug.* Nonne étiam ut *sóbrie* et *iuste* vivámus? *Bonif.* Declára mihi illa duo advérbia, quaeso. *Aug.* Sóbrie, id est continénter: Iuste, id est, in iustítia, nempe ut suum cuíque tribuámus. Ita fit, ut sóbrie ad vitam cuiúsque privátam pertíneat: Iuste autem ad caritátem, quam próximo debémus. *Bonif.* Sed audi, mi Augustíne. Nonne cultus Dei ómnia illa compléctitur? *Aug.* Probe sentis, Bonifáci: sed vólui experíri, an responsiónem tuam recte intellégeres. *Bonif.* Bene fecísti. Nam de sincéro verbi divíni intelléctu nihil nimis dici potest. Et de hac re quidem tecum plúribus verbis libénter ágerem: sed nos hora ipsa ádmonet, ut discedámus.

ELOCÚTIO.

Cólere Deum ex voluntáte eius .. secúndum Evangélium.
Sóbrie et iuste vivéndum christiánis.
Suum cúique tribúere.
Caritátem debémus próximo nostro, immo et inimícis.
Probe sentis ... iudícium tuum cum ratióne cóngruit ... bene iúdicas.
A certo et vero sensu iúdicas.
Intellégere áliquid ex áliquo, de géstibus.
Nihil de ista re nimis dici potest.
Plúribus verbis cum áliquo de re quadam ágere.
Multum cum illo hac de re locútus sum.
Hora nos ádmonet, ut discedámus ... est tempus discedéndi.
Abíre, discédere, recédere, abscédere.
Numquam discédit a látere illíus.

Collóquium III.

Arguméntum: ***Puer a patre commendátur praeceptóri. Verus amor patris in fílium. Corréctio necessária púero. Hortátio ad diligéntiam. Exémplum púeri studiósi et oboediéntis.***

BONIFÁCIUS, CLAÚDIUS.

Bonif. Audívi patrem tuum venísse hódie in gymnásium. *Claud.* Verum audivísti. *Bonif.* Cuius rei vénerat grátia? *Claud.* Ut pro meis aliméntis praeceptóri numeráret pecúniam: simul ut me illi commendáret. *Bonif.* Numquámne te commendávit? *Claud.* Immo saepíssime. *Bonif.* Quid sibi vult ista commendátio tam frequens? *Claud.* Amóre vero me proséquitur. *Bonif.* Quid tum? *Claud.* Ideo cupit me diligénter erudíri. *Bonif.* Quid si comméndet, ut saépius vápules? *Claud.* Ea est fortásse causa: sed quid inde? non proptérea me díligit minus. *Bonif.* Unde istud cólligis? *Claud.* Quia púero tam necessária est corréctio, quam aliméntum. *Bonif.* Verum quidem dicis: sed pauci ita iúdicant. Nemo étiam est, quin panem, quam virgam, malit. *Claud.* Hoc est natuŕale ómnibus: quis neget? sed tamen patiénter ferénda est poena, praesértim iusta. *Bonif.* Haec habétur in libéllo moráli senténtia: « Quod mérito páteris, patiénter ferre meménto ». Sed quid si poena sit iniústa? *Claud.* Ea quoque patiénda est nihilóminus. *Bonif.* Útinam id nobis in mentem veníret, quóties áliquid pátimur. *Claud.* Praecéptor id nos saepe monet, quóties occúrrit occásio. *Bonif.* Ergo demus óperam, ut simus posthac diligentióres. *Claud.* Ita fáciat Deus.

ELOCÚTIO.

Numeráre hóspiti pecúniam pro aliméntis.
Sólvere alícui prétium convíctus.
Commendáre áliquem alícui ... áliquem de melióre nota.
Quam diligentíssime ... commendáre áliquem alteríus fídei.
Commendári alícui.
Quid sibi vult commendátio tam frequens?
Prósequi áliquem amóre vero.
Cupit me diligénter erudíri.
Corréctio púeris necessária est.
Nemo est, quin panem, quam virgam malit.
Poena etiam iniústa ferénda.

Quod mérito páteris, patiénter ferre meménto.
Occásio occúrrit.
Surdo narras fábulam.
Ita Deus fáciat.
Provérbium vulgi sermóne tritum.
Interésse oratióni de rebus divínis hábitae.
Occupátus eram in scribéndis lítteris ad matrem ... in vindémiis.
Lítteras scribéndo occupátus.
Differre negótium.
Urgébat me tabellárii festinátio.
Ómnia Deo postponénda ... divínis rebus ómnia postponénda sunt.
Saepe Deum terrénis postpónimus.
Deus spíritu suo immútet nos.
Postpónere áliquem alícui.
Ómnia postpósui, dúmmodo praecéptis patris parérem.
Auditórium fuit frequens pro more.
Frequens est cum eo.
Impéndere labórem alícui rei ... in áliquam rem.
Hómines glaébae affíxi sunt.
Impéndere biénnium alícui rei ... stúdium alícui rei ... pecúniam in áliquam rem ... sumptum ad áliquid ... tempus stúdiis.
De hoc non est meum tibi réddere ratiónem.
Turpe est doctóri, cum culpa redárguit ipsum.
Impíngere cólaphum alícui ... implére caput cólaphis.
Impíngere caput paríeti.

Collóquium IV.

Arguméntum: ***Offícia doméstici apud ludimagístrum hypodidáscali.***

CLEMENS, MAGÍSTER, DOMÍNICUS, HYPODIDÁSCALUS.

Clem. Quid hisce diébus inter nos égimus? satísne cogitásti? *Domi.* Étiam atque étiam cogitávi. *Clem.* Ecquid placet tibi condício quam óbtuli? *Domi.* Máxime. *Clem.* Quid mensa, seu convíctus? *Domi.* Nihil in ea re desídero. *Clem.* Quid restat ígitur? *Domi.* Ut, si tibi non moléstum est, praescríbas mihi, quam óperam a me tibi praestári velis. *Clem.* Id vero est aequíssimum. Áccipe ígitur praecípua offícii tui cápita; quorum hoc primum est: cotídie mane diligénter curáre, ut omnes mei discípuli matúre cúbitu surgant, pro ratióne témporis tum hibérni, tum aestívi.

Ubi surréxerint, ea curent, quae ad cultum et mundítiem córporis pértinent: demum ut adsint privátae nostrae precátioni. Secúndum, ter cotídie in auditórium dedúcere, mane scílicet, et ante horam undécimam ac tértiam postmeridiánam. Illic, nisi égomet ádero, exspectáre, donec áliquis ex doctóribus adsit: intérea curáre recitándos catálogos, et precatiónem dicéndam. Item observáre sédulo, numquis ex discípulis absit ab auditório suo: si quis áberit, mihi statim renuntiáre. Tértium, manére cum discípulis, quóties non docéntur in scholis suis: intérea minóres ad praelectiónem et scriptúram institúere, ceterorúmque repetitiónes audíre, quantum tempus et opportúnitas patiétur: omnes dénique in offício retinére, admonére, argúere, obiurgáre, virgis étiam, ubi opus fúerit, castigáre. Quartum, feriátis diébus eos ad sacra órdine dedúcere, ac demum simíliter redúcere. Quintum, quóties lúdere permíssum erit, subínde observáre, ne quid praeter offícium et bonos mores vel factis vel dictis admíttant. Sextum, suppeditáre illis, ex pecúnia, quam tibi in manus dabo, chartam, pennas, atraméntum, et ália quaedam, solum parvi prétii, necessária: éaque ómnia in expensárum códicem referre. Id autem Mercúrii et Satúrni potíssimum diébus fíeri solet. Séptimum, quae ad eórum libros, vestiménta et curam córporis pertinébunt, non neglégere, hoc est, intérdum ab illis librórum et vestimentórum ratiónem exígere, valetúdinis et cultus córporis ratiónem habére, et ália eiúsmodi in adulescéntibus, praesértim minóribus, curánda et observánda. Octávum, docére púeros tum in classe, tum in céteris, praeter tres classes órdinis superióris, si quando necéssitas postuláverit. Nonum, intérdum, si opus fúerit, me et domi et foris in privátis negótiis adiuváre. Háctenus audísti, quae mihi abs te praestári velim offícia, quaeque étiam ab áliis domésticis hypodidáscalis exígere sóleam. Eórum tamen ómnium non ádeo sevérus exáctor ero, quin ipse, quóties per ótium licébit, áliqua tibi remíttam, in quibus ego quasi vicárii partes agam. Intellexístin' haec ómnia? *Hypodi.* Ego vero diligénter ómnia: sed unum te oro, ut ad memóriam renovándam des mihi eórum commentaríolum, et simul cogitándi ac deliberándi spátium. *Mag.* Quantum témporis póstulas? *Hypodi.* Diem unum. *Mag.* Ego vero duos íntegros dabo. Intérea, ut coepísti, nullo tuo sumptu nobis perges convívere et commorári, tam líbere quam si esses domi tuae. *Hypodi.* Istud non sine humanitáte facis: quo fit, ut maióre benefício me devíncias. *Mag.* Habébis post prándium quem requíris commentárium. *Hypodi.* Quid si mihi velis dictáre? *Mag.* Malim égomet ipse scríbere, ne quid forte inter dictándum éxcidat. *Hypodi.* Ut libet.

Ágere áliquid inter se ... de re áliqua.
Étiam atque étiam áliquid cogitáre.
Ecquid placet tibi condício quam óbtuli?
Ádeo placet mihi convíctus, ut nihil in ea re desíderem.
Aestus solis mihi moléstus est.
Pater praescrípsit mihi, quam óperam a me sibi praestári vellet.
Haec sunt praecípua officiórum meórum cápita.
Cura, ut frater surgat.
Curáre ea, quae ad mundítiem et córporis cultum pértinent.
Matúre cúbitu súrgere.
Adésse precatióni.
Exspécta, donec adsit Philíppus.
Curáre recitándos catálogos.
Curáre lítteras perferéndas ... ut perferántur.
Dícere precatiónem ... clara et distíncta voce.
Custódis est, observáre sédulo, num quis absit ... ab auditório.
Ágere partes alicúius ... praecípitem áliquem.
Hódie non docébimur in scholis.
Institúere inferiórum órdinum discípulos ad praelectiónem et scriptúram.
Quantum tempus et opportúnitas pátitur.
Retinére discípulos in offício ... praémiis ... reprehensiónibus.
Admonére, obiurgáre, argúere iúvenes.
Fílius públice virgis caesus, castigátus est.
Deducéndi sunt huius gymnásii discípuli órdine ad sacra.
Permíssum est nobis lúdere.
Observáre, ne quid praeter offícium et bonos mores, vel factis vel dictis iuvéntus scholástica admíttat.
Admíttere fraudem.
Suppeditáre alícui ómnia necessária ... fruméntum.
Si vita suppéditat.
Referre áliquid in códicem expensárum.
Res parvi prétii.
Nihil negléxit, quod ad curam córporis pértinet.
Pértinet ad rem ... non huc pértinet.
Exígere ratiónem librórum et vestimentórum.
Haec púeris minóribus curánda et observánda sunt.
Praestáre débitum honórem ... praestáre offícia alícui.
Haec offícia mihi abs te praestári velim.
Exígere áliquid ... acérbius ... promíssum.
Exáctor sevérus ... acerbíssima exáctio.

Remíttere alícui áliquid.
Non licet mihi per ótium ... tempus non fert, permíttit.
Ágere partes vicárii.
Dare alícui spátium deliberándi.
Dabo tibi duos íntegros dies ad deliberándum.
Perges convívere nobíscum nullo tuo sumptu.
Tam líbere commorátus sum apud fratrem tuum, quam si essem domi meae.
Commorári paulísper, dum...
Devincíre ad áliquid áliquem ... praémiis ... áliquem sibi benefíciis.
Scríbere manu sua.
Excidit mihi áliquid inter scribéndum.
Mercúrius, unus ex septem planétis, cúius corpus cunctórum síderum mínimum.

Collóquium V.

Arguméntum: ***Studiósus quidam aduléscens apud familiárem conquéritur de habitatiónis suae incommoditáte ad litterárum stúdia. Cupit in aédibus scholásticis habitáre. Narrat, cur non líceat. Atténdit condiscípulus. Consúltant una de ineúnda ratióne ad rem perficiéndam. Hortátio ad Deum invocándum. Non prodest consílium nisi iuvánte Deo. Deus, qui dat consílium bonum, dat étiam efféctum.***

CLAÚDIUS, DESIDÉRIUS.

Claud. Quam dóleo me non interfuísse mane repetitióni vestrae. *Desid.* Cur non venísti in gymnásium cítius, ut soles? *Claud.* Me míserum! non surréxi in témpore. *Desid.* Quam ob rem? *Claud.* Quia nemo expergefécit. *Desid.* Quis te solet excitáre? *Claud.* Hospes noster, aut eius ancílla, sed absénte illo, ancílla saepe oblivíscitur, aut certe néglegit. *Desid.* Ubi era hospes? *Claud.* Sub auróram prodíerat ad sua negótia, ut póstea rescívi. *Desid.* Quid hóspita, nihílne curat? *Claud.* Quid putas eam curáre? cotídie ex quo surréxit, semper inténta est partim curándis filíolis, partim céteris domésticis rebus. *Desid.* Nullósne habes contubernáles scholásticos? *Claud.* Prorsus nullos. *Desid.* Ah puer infélix, qui néminem habes, quocum de stúdiis cónferas! *Claud.* Ob eam rem mea est misérrima condício, quantum ego iúdico. Non enim possum arbítrio meo studére propter tantam merca-

tórum turbam, qui domum illam frequéntant, et mihi toto die óbstrepunt. *Desid.* Non habes tibi cubículum? *Claud.* Quid mihi prodest habére? est enim ita coniúnctum scalis cochleátis, ut ne felis quidem ascéndat aut descéndat, quin fériat aures meas áliquis strépitus. *Desid.* Magna profécto moléstia. *Claud.* Illa vero multo maior, quod supra meum cubículum est amplíssimum conclávc, ubi merces asseránturr. Unde fit, ut horis ómnibus áliquae graves sárcinae vel importéntur vel exporténtur. *Desid.* O Deum immortálem! quómodo illic potes vívere? *Claud.* Quid ais, vívere? équidem non vivo, sed lángueo pótius, neque umquam mihi vídeor esse liber, nisi cum sum in schola tecum una et cum céteris nostris condiscípulis. *Desid.* Quam dóleo vicem tuam! *Claud.* Útinam mihi licéret tecum habitáre in his aédibus scholásticis! *Desid.* Nihil esset mihi iucúndius: sed quid ímpedit? *Claud.* Patris vetus amicítia cum illo hóspite meo. *Desid.* Debéres patrem admonére de studiórum tuórum incómmodis. *Claud.* Saepe quidem mónui et coram et per lítteras. *Desid.* Quid ille respóndet? *Claud.* Frustra monétur, quasi surdo narrétur fábula. *Desid.* Quid ita? *Claud.* Quia numquam in discéndi ludo versátus est: ideóque in studiórum ratióne nihil intéllegit. *Desid.* Ego tamen, si mea res agerétur, omnem movérem lápidem, ut voti compos effícerer. *Claud.* Quid si praecéptor ipse ad patrem meum scríbat? *Desid.* Numquam istud illi persuadébis. *Claud.* Cur non? *Desid.* Quia non vult ambíre quémpiam, ut discipulórum turbam sibi cómparet. Abhórret enim ab omni tum ambitióne tum avarítia. *Claud.* Quid ígitur mihi suades ut fáciam? *Desid.* Unum hábeo consílium. *Claud.* Ne mihi, óbsecro, reticúeris. *Desid.* Ea res per amícos tentánda est. *Claud.* Idem mihi quoque aliquándo in mentem venit, sed numquam ausus sum experíri. *Desid.* Quid dúbitas? *Claud.* Véreor, ne hoc parum succédat. *Desid.* Rei éxitus est in manu Dómini: sed quid tentáre nocébit? *Claud.* Tentémus sane. Nihil enim mali, ut confído, inde potest accídere. At ego néscio, qua ratióne hic uténdum sit. *Desid.* Dic mihi, nonne exspéctas, ut brevi pater in hanc urbem véniat? *Claud.* Spero ventúrum propédiem. *Desid.* Quando ígitur? *Claud.* Ad caléndas Quintíles. *Desid.* Óptime est. Scin'ígitur, quid sit opus facto? *Claud.* Doce quaeso. *Desid.* Fac singillátim convénias duos aut tres patérnos amícos praecípuos, qui sunt viri graves et honoráti: nempe ut plus váleat eórum auctóritas apud patrem tuum. *Claud.* Bene mones: quid illis dicam? *Desid.* Narrábis diligénter omnes incommoditátes studiórum tuórum. *Claud.* Nihílne ámplius? *Desid.* Docébis ínsuper, quonam modo tibi providéri possit, ut tempus rédimas, quod apud istum hóspitem tam mísere háctenus perdidísti: adde, nisi eo re-

médio tibi matúre consulátur, actum esse de tuis stúdiis et eórum progréssu. Dénique ne ante destíteris monére, oráre, obsecráre, donec persuádeas, ut tibi promíttant se actúros esse sério cum patre tuo negótium. *Claud.* Quid si recusábunt? *Desid.* Vix fíeri potest, ut recúsent omnes. *Claud.* Non est verisímile, praesértim cum sint mei amantíssimi, et mihi patris nómine gratificéntur ádeo libénter. *Desid.* Ad haec res ipsa urgébit eos, nempe tanta studiórum tuórum iactúra. *Claud.* Plúribus verbis opus non est. Auxílio Dei fretus aggrédiar quam primum pótero. *Desid.* Sed ínterim memor esto, ut in divínas preces die noctéque incúmbas. *Claud.* Ipso volénte Deo, id curábo pro víribus. Satis enim scio nullum consílium mihi esse profutúrum, nisi, cum ille iúverit. *Desid.* Sed iam tempus est, ut domum te recípias, ne forte hospes offendátur; quid cessas? *Claud.* Cógito, quid praetermíserim, de quo esses admonéndus. *Desid.* Si quid altérutri nostrum praetérea occúrrerit, cras otióse tractábimus. *Claud.* Vale ígitur, mi Desidéri: et perge, quaeso, me tuis précibus adiuváre: quemádmodum iuvísti óptimo consílio. *Desid.* A Dómino Deo profécta sunt ómnia, qui, ut consílium dedit, sic dabit efféctum. *Claud.* Ita fore confído. Íterum vale. *Desid.* Vale, Claudi suavíssime.

ELOCÚTIO.

Quam dóleo me non interfuísse hódie mane oratíoni de rebus divínis hábitae ... scholae ... ob minus prósperam valetúdinem.
Súrgere in témpore ... matúre.
Expergefácere, excitáre áliquem.
Hóspite absénte, ancílla oblíta est me excitáre.
Hospes meus sub auróram, prima luce, pródiit ad negótia sua.
Sub vésperum heri rescívi sorórem tuam heri mórtuam esse ex febri.
Quid putas me curáre?
Hóspita mea inténta est curándis rebus domésticis.
Nulli mihi sunt contubernáles scholástici.
Studére arbítrio suo ... studére honestáti ... dare óperam honestáti.
Frequentáre domum áliquam ... scholam.
Toto die óbstrepit mihi.
Cubículum meum coniúnctum est scalis chochleátis.
Strépitus ferit aures meas.
Feríre foedus ... feríre pugno ... feríre aures.
Importáre fruméntum in amplíssimum concláve ... importáre sárcinas ... efférre, exportáre.

Numquam vidéris mihi liber a stúdiis, nisi cum es in sacra aede.
Liber ab áliqua re, vel, áliqua re, légibus, terróre, delíctis.
Dolére vicem alicúius.
Útinam mihi licéret tecum habitáre!
Veníre in collocutiónem cum hóspite tuo
Nihil enim esset iucúndius.
Vetus mihi cum hóspite tuo est amicítia.
Utor hóspite tuo valde familiáriter.
Admonére áliquem offícii, vel, de offício.
Ádmone patrem de studiórum tuórum incómmodis.
Monéndus est pater coram et per lítteras.
Surdo narráre fábulam.
Pátruus meus numquam in discéndi ludo versátus est.
Versári circa áliquid ... inter manus ... in angústiis ... in discrímine.
Tu ratiónem studiórum non intéllegis.
Omnem movébo lápidem, ut voti mei compos effíciar.
Res tua ágitur ... nihil ad me ... quid istuc ad te áttinet.
Persuadére alícui áliquid.
Prorsus ita esse, ut dícis, mihi persuádes.
Ambíre vírginem.
Comparáre sibi áliquid.
Abhorrére a re áliqua ... abhórret a stúdiis ... ab avarítia.
Quid suades mihi faciéndum?
Reticébo nihil, quod sciam.
Nihil te celábo.
Hoc quidem hércule haud reticébo.
Tacére, silére, conticére, siléntio uti, obmutéscere, supprímere, continére vocem.
Véreor, ut succédat.
Néscio, qui futúrus huius rei éxitus, cum ille sit in manu Dómini.
Exspécto brevi patrem in hanc urbem ventúrum esse.
Spero illum ventúrum futúra hebdómada.
Quod opus est facto ... quaesito opus est ... opus est cauto.
Vir gravis et honorátus ... vir antíqua virtúte et fide.
Pastóris nostri auctóritas plúrimum valet apud senátum ecclesiásticum.
Narrábo venerándis senatóribus ecclesiásticis incommoditátes studiórum meórum.
Rédime tempus, quod háctenus perdidísti.
Deus provídeat tibi in hac annónae caritáte.
Quidquid providéri potest, próvide, ne...
Ita provísum est légibus.
Nisi próvides, actum est de te.

Ómnibus rebus próvide.
Consúlere sibi bene.
Nisi hoc remédio tibi matúre consulátur, actum est de stúdiis tuis.
Non desístam monére amícum meum, donec ipsi hoc persuádeam.
Tribúnus promísit mihi se sério actúrum esse negótium meum cum cónsule.
Ágere causam ... ex bona fide ágere, in crucem áliquem, in exílium, in fugam, res aliénas, vigílias ad portam.
Non recúso quin, vel, quo minus hoc fiat.
Scio te esse amantíssimum mei.
Ego sum amans tui, id est, amo te; sum amántior tui, i.e. plus amo te.
Tui amantíssimus frater.
Gratificári alícui de re áliqua.
Plúribus verbis opus non est ... opus est mihi vestiméntis; cálcei sunt nobis opus ... aúdio tibi opus esse pecúnia ... opus est nobis cálceis novis.
Multa tibi sunt opus.
Auxílio Dei fretus hoc factúrus sum.
Recípiam me domum, ne hospes offendátur.
Bona spe fretus, áliqua re ... fretus grátia, auxílio, consílio.
Curáre pro víribus.
Confído fore.
Iuváre consílio.

Collóquium VI.

*Arguméntum: **Quidam ultro vult veníre habitátum in ephebéo: gaudet amícus eius, eúmque ad maturándum hortátur. Patris lénitas in fílium. Pleríque púeri habitatiónem in schola tamquam cárcerem refúgiunt; Improbi adulescéntes a stúdio probos abstérrent. Àliquot génera exercitatiónis scholásticae, praecípue latíne loquéndi. Praecéptor in schola sevérior quam inter domésticos; et quare magístri gravitáte schola in offício contineátur. Disciplínae scholásticae bona. Quibus rebus inducántur adulescéntes ad amórem litterárum. Praecéptor bonus a studiósis diligátur. Disciplína sevérior quibus adhibénda. Mens bona et sincérum iudícium a Deo. Exémplum raríssimum adulescéntis, qui ultro quaerit in schola habitáre.***

DOMÍNICUS, EDUÁRDUS.

Domin. Nescis, quid mihi his diébus in mentem vénerit? *Eduard.* Quid istud, quaeso? *Domin.* Cógito in ephebéum me re-

cípere. *Eduard.* Quae in ephebéo habitándi causa? *Domin.* Non ut tamquam inquilínus hábitem, sed ut vobíscum convívam in mensa praeceptóris. *Eduard.* O útinam istud ex animo ac vere díceres! *Domin.* Ex nostra mútua consuetúdine atque amicítia debéres satis intellégere me nihil apud te neque simuláre neque dissimuláre sólitum. *Eduard.* Plane istud iam pridem intelléxi: sed audíto ex te isto verbo, me rápuit afféctus in eam exclamatiónem: ita prorsus oblítus eram mei. *Domin.* Non áliter dictum tuum accípio: sed ad rem. Pater quidem non cogit me: sed ex vultu et verbis eius satis vídeo id illi placére máxime. *Eduard.* Nempe hoc est: novit pater tuus, vir prudentíssimus, liberália ingénia cogi nolle, duci fácile. Sed tamen non dúbito id fíeri divíni instínctu núminis, tu vero quid iúdicas? *Domin.* In eádem sum senténtia; praesértim cum ego quoque in eam partem sponte propéndeam. *Eduard.* Magnum arguméntum, istud esse ex Deo consílium. *Domin.* Id ego credíderim. Nam qui ad eam rem cogúntur a paréntibus, fere infítias eunt, ut detréctent impérium. *Eduard.* Ego, ut fátear ingénue, aliquándo id in me sum expértus, ante scílicet quam ingréderer. Quid enim censes? audiébam ex istis ignáviae mancípiis tot maledícta tum de praeceptóre, tum de disciplína, ut mihi vidérer cárcerem aut pistrínum íngredi pótius quam ephebéum. Quod si tu quoque in áliquem eiúsmodi perturbatorem incíderis, non dúbium est, quin ille mánibus pedibúsque obníxe conarétur absterrére ab isto sacro propósito. *Domin.* Némini adhuc palam feci. *Eduard.* Quod mihi dicis, non est palam fácere. *Domin.* Satis scio: sed mihi istud éxcidit ex Teréntio. Nunc pergámus ad réliqua. *Eduard.* Quid restat, nisi ut Deum precéris, et pergas náviter in senténtia? *Domin.* Audívi de cotidiáno victu in vestra mensa, de praeceptóris et hypodidáscali familiaritáte in audiénda praelectiónum repetitióne; de facilitáte praeceptóris in ipso convíctu, de illo post cenam plácido studiórum certámine, de libertáte colloquéndi per ótium de honéstis rebus, de líbera inter vos reprehensióne, de his, inquam, ómnibus satis multa narrásti mihi álias: quae quidem valde placent ómnia: mihi tamen nihil vidétur utílius, quam illa perpétua latíne loquéndi exercitátio. Quis enim maior est studiórum fructus? quid honéstius? quid iucúndum magis? praesértim ubi álius álium sine ódio aut invídia líbere reprehéndit. *Eduard.* Quid, quod victi in eárum rerum certámine, pudóre tantum puniúntur, victóres étiam praémio donántur. *Domin.* Omnes dénique vestrae exercitatiónes, vel audítu ipso, me deléctant mirífice. *Eduard.* Quanto magis illud dices, si, dum gerúntur, interfúeris? *Domin.* Ego, Deo volénte, intérero. *Eduard.* Útinam propédiem. *Domin.* Ita spero quidem: unus tamen restat

mihi scrúpulus, quo me fácile, si vis, liberábis. *Eduard.* Fáciam bona fide, si pótero; sed ínterim vide, modo ne nodum in scirpo quaeras, ut ántea vídimus in Teréntio. Age, qui tandem scrúpulus iste est? *Domin.* Suspécta mihi est vestra disciplína scholástica; non quod velim ob id incépto desístere: sed ut alácrius véniam et iucúndius, ubi ea de re audíero. *Eduard.* Nisi tu is esses, qui, ut ego novi, me nec vanum nec mendácem exístimas, équidem mallem de hoc omníno tacére, quam ea tibi referre, quae séntio. *Domin.* Quid ita tandem? *Eduard.* Quia difficile est ea verisimília fácere, quamquam alióqui veríssima, cum de his vulgus hóminum péssima quaeque dicat et iúdicet. *Domin.* Quorsum istud quaeso? *Eduard.* Nam improbórum mendáciis ádeo male audit nostra discíplina inter istos illiterátos, ut mirum sit unum áliquem habitáre in ephebéo nostro velle: tamétsi, quod est opus Dei, quo peius audímus, eo plures ad nos convéniunt. *Domin.* Nihil opus est tam longa insinuatióne: dic mihi plane ómnia: ne timúeris, non me absterrébis. Ómnia percépi atque ánimo mecum perégi. *Eduard.* Advérte ígitur ánimum, dicam brevíssime, quidquid alicúius esse moménti vidébitur. Imprímis illud velim tibi persuádeas praeceptórem esse nobis multo humaniórem quam in schola appáreat. Tam enim familiáriter versátur inter nos, quam prudens pater solet inter líberos. Cur ígitur, inquis, est palam tam sevérus? Respóndeo: quia sine tali severitáte, ut ex ipso audívi, cum aliquándo familiári cuídam narráret, tanta turba scholástica, tamque váriis móribus praédita, nec coërcéri, nec in offício continéri posset. Suo enim quisque more, suo quisque arbitrátu vellet vívere. *Domin.* Quin étiam miror ego mecum saepíssime tantam esse in tota schola reveréntiam, tantum siléntium, tantam dénique modéstiam. *Eduard.* Multo magis miraréris, si umquam vidísses scholas pagánicas. *Domin.* Vidi aliquándo, atque considerávi diligénter. Plus est siléntii in ephebéo vestro sescentenário, quam quadragínta púeri, immo trigínta in istis scholis triviálibus obtíneant. Sed perge quaeso: véreor ut sis orátor asiánus. Iam enim íncipit orátio tua quasi lóngius aberráre. *Eduard.* Atqui étiam interpéllas ipse. *Domin.* Nihil extra propósitum dixi: sed nunc proséquere. *Eduard.* Vis in summa dicam tibi: disciplína haec doméstica, licet paucis ímprobis odiósa videátur, bonis tamen et studiósis propter utilitátem valde placet. Nam si domi res esset dissolúta, quid nobis tutum foret contra petulántium insúltus? quae nobis quies? quae studiórum tranquíllitas Ítaque disciplína ipsa veris studiórum amatóribus est perfúgium et quasi propugnáculum, non secus ac nautis portus in tempestáte. Dénique quisquis est inter nos pacíficus, et ad recte semper agéndum parátus, is est a disciplína tutíssi-

mus. Nec vero id agit praecéptor, ut nos plagis et verbéribus trahat ad litterárum stúdia: sed nos pótius indúcere studet his máxime rebus: honésta et liberáli tractatióne, benevoléntia, humanitáte, facilitáte morum, benefíciis, dénique virtútis et studiórum amóre. Ex quo fit, ut maior pars nostrum sic affécta sit, ut illi ex ánimo parére stúdeat, eum cáveat offéndere, eum tamquam paréntem díligat, obsérvet, revereátur. *Domin.* Alióqui discipulórum offício non fungerémini. *Eduard.* At sunt quidam verberónes, qui nec Deum timent, nec paréntes, nec vérbera, qui et litterárum stúdia odérunt cane peius et angue, ut verbis utar Horátii: tálibus, inquam, sevéra intérdum adhibétur disciplína: quia vidélicet necéssitas cogit. *Domin.* Sat hábeo. Nunc enim vídeo, quorsum spectet vestrae disciplínae sevéritas. *Eduard.* Nimírum ut mores bonos tueátur, malos autem córrigat aut expéllat. *Domin.* Ego disciplínam istam sane deósculor, tantum abest, ut reformídem. Te autem, mi Eduárde, amo équidem ob istam loquéndi libertátem, qua mihi stímulos acrióres addidísti. *Eduard.* Ego vero immortáles grátias ago Patri caelésti, qui tibi mentem bonam déderit, et sincérum iudícium. *Domin.* Vale ígitur, et me, si Dóminus permíserit, exspécta in próximam hebdómadam: íterum vale, et incéptum nostrum tuis précibus Christo comménda étiam atque étiam. *Eduard.* Precor tibi noctem quiétam, et somnum plácidum.

ELOCÚTIO.

Ex consuetúdine ... habére consuetúdinem cum áliquo.
Praecláre áliquid gérere.
Scrúpulus consciéntiae.
In portu navigáre ... e portu sólvere ... ad portum appéllere.
Niti auctoritáte alicúius.
Consciéntia stímulat ipsum.
Quid tibi in mentem venit, quod recéperis te in gymnásium?
Recípere se in áliquem locum.
In se recípere.
Hábitat inquilínus.
Convívere alícui, vel, cum áliquo.
Convívere alícui in mensa.
Dícere ex ánimo.
Símulat non intellégere ... simuláre mortem ... morbum ... pietátem.
Dissimuláre ódium.
Audítis ex fratre tuo his novis rebus rápuit me afféctus in exclamatiónem.

Rápere ad se áliquid ... rápere in admiratiónem sui áliquem.
Oblítus eram mei, vestri et aliórum amicórum.
Spero te non oblitúrum mei.
Vídeo ex patris vultu et verbis hoc illi placére máxime.
Liberália ingénia nolunt cogi, sed duci.
Non dúbito id fíeri instínctu núminis divíni ... non dúbito quin fiat.
In eádem esse senténtia ... eándem tuéri senténtiam.
Sponte in eam partem propéndeo.
Hoc mea sponte fácere constitúeram.
Si tua sponte in id propéndes, non opus est, ut ad id cogáris a paréntibus.
Infítias ire.
Detrectáre impérium.
Fatéri culpam ingénue.
Mancípium pigrítiae.
Íngredi gymnásium, ephebéum ... cárcerem.
Incídere in áliquem ... in morbum, in febrim, in magnum áliquod perículum, malum.
Non dúbium est mihi, quin mánibus pedibúsque Rector conátus fúerit fratrem tuum ab isto malo propósito absterrére.
Non dúbium est mihi, quin te visúrus sim Romae.
Non fúerat mihi dúbium, quin conatúrus esset hoc fácere.
Némini, nisi Eduárdo, hoc feci palam.
Pérgere náviter in stúdiis.
Nihil vidétur mihi utílius quam latíne loquéndi exercitátio.
Praémio donári.
Delectáre se audítu exercitatiónum.
Delectáre áliquem ... se aliqua re.
Delectári áliqua re.
Collóquium vestrum mirífice me delectávit.
Unus mihi scrúpulus restat, quo me velim líberes.
Rogo te, bona fide fácias, quod promisísti.
Nodum in scirpo quaérere.
Suspécta est mihi vestra disciplína scholástica.
Desístere incépto.
Audíre áliquem de re áliqua.
Existimáre áliquem mendácem.
Malo de his rebus omníno tacére, quam ea tibi referre, quae séntio.
Quid sentis hac de re?
Tu numquam fácies hanc rem verisímilem,
Vulgus de tyránno isto péssima quaeque dicit et iúdicat.

Disciplína vestra male audit ... male audíre ... bene audíre ab aliquo.
Multi discípuli ad studiórum Universitátem nostram convéniunt.
Res est nullíus moménti ... res de lana caprína.
Dicam brevíssime, quidquid alicúius esse moménti vidébitur.
Haec tibi persuádeas velim ...
Hoc ubi persuásum hábeas, persuáde tibi praeceptórem satis humánum.
Persuáde tibi praeceptórem nostrum, próxime Deum, causam salútis tuae esse.
Ut appáret ... appáret praeceptórem esse satis humánum.
Turba scholástica sine severitáte in offício continéri nequit.
Aduléscens bonis móribus praéditus ... bene morátus, móribus cómmodis, cui mores emendáti sunt.
Vívere suo arbitrátu.
Miror tantum in schola esse siléntium.
Véreor, ut sis futúrus orátor.
Non verétur patrem ... veréri alícui ... ab áliquo.
Longe abérras a propósito.
Ómnia, quae prófers, extra propósitum dicis.
Prósequi órdinem rerum ... prósequi ómnia ... prósequi amóre, ódio, laúdibus.
Dícere in summa ... summátim, vérbulo rem exprímere, paucis ómnia complécti.
Disciplína scholástica multis discípulis odiósa vidétur.
Dissolútae vitae aduléscens.
Tutus ab hóstibus ... iter non est tutum a latrónibus.
Disciplína veris studiórum amatóribus est perfúgium et propugnáculum.
Familiáris tuus plagis et verbéribus trahi vult ad stúdia litterárum.
Indúcere áliquem promíssis ... humanitáte ... benefíciis.
Indúcere in ánimum meum numquam pótui, ut hoc fácerem vel créderem.
In errórem indúcere ... in tentatiónem.
Quómodo maior pars nostrum affécta sit, ex magístro póteris cognóscere.
Quómodo nunc afféctus es?
Cave offéndere praeceptórem ... cave hoc fácias, vel, cave, ne hoc fácias.
Fungi offício praetóris.
Cane et angue peius odísse áliquem.

Ut utar verbis Plínii.
Sevéra multis púeris adhibénda disciplína.
Adstrícto disciplínae génere multi scholástici coërcéndi sunt.
Necéssitas cogit, vult, éxigit, póstulat, requírit.
Necéssitas durum telum.
Corrígere malos mores.
Deósculor disciplínam vestram.
Reformidáre disciplínam.
Dare libertátem loquéndi alícui.
Áddere stímulas acrióres alícui ... calcar alícui; áddere de suo.
Exspécta me in próximam hebdómadam.
Comménda tuis précibus stúdium nostrum Christo.
Comméndo tibi hunc étiam atque étiam, ut virum tua amicítia digníssimum.
Hic aduléscens mihi étiam atque étiam commendátus est a multis, quem tibi ítidem commendátum esse volo.
Precor tibi noctem quiétam et somnum plácidum.

Collóquium VII.

Arguméntum: ***Tres púeri paedagógum suum quasi improvíso ádeunt: suam quisque pronúntiat senténtiam, ut ipsos ducat deambulátum: ille concédit libénter. Sic studiósos púeros tractáre decet, ut sint ad suum munus obeúndum alacrióres.***

DESIDÉRIUS, ERNÉSTUS, FRANCÍSCUS, PAEDAGÓGUS.

« Quod caret alterna requie, durabile non est,
Haec reparat vires, fessaque membra novat ».

Ern. Nec me offéndet lusus in púeris: est hoc alacritátis signum. *Franc.* Nulla res est, quae perférre possit contínuum labórem. *Paedag.* Vídeo quorsum spectent ista, nimírum ut vos ambulátum ducam: sed eándem cantilénam semper fere recantátis, ut solent vestrae avículae. *Desid.* Quid ergo vis dicámus, praecéptor? *Paedag.* Dícite posthac suam quisque senténtiam ex novo Testaménto. *Ern.* Euge, nihil erit nobis facílius: habémus enim in promptu multam eárum cópiam. Vis ergo, praecéptor, ut iam nunc incipiámus? *Paedag.* Sane velim, quando, ut ais, tanta est vobis cópia. *Ern.* Quis incípiet? *Paedag.* Tu, Desidéri, vis honóris tui causa huius rei spéciem édere? *Desid.* Id ego libénter fáciam: sed Dei honóris causa. *Paedag.* Laudo istud verbum; Divínus enim honor et glória ómnibus in rebus est praeférenda. Eia, íncipe, si quid ha-

bes. *Desid.* Nisi abundáverit iustítia vestra plus quam scribárum et pharisaeórum, non intrábitis in regnum caelórum. Matth. quinto cápite, 20. *Ern.* Depósito mendácio, loquímini veritátem unusquisque próximo suo; ad Ephésios cápite quarto, 25. *Franc.* Fílii oboedíte paréntibus vestris in Dómino: hoc enim iustum est; ad Ephésios cápite sexto, 1. *Paedag.* Euge, bonam spéciem: vidéte, ut progréssus respóndeat; hoc est, ut pergátis in pósterum dilígénter. *Desid.* Qui nobis princípium dedit, dabit idem succéssus prósperos. *Paedag.* Ita sperándum est. Paráte vos, ut prodíre maturémus. *Desid.* Mox adérimus paratíssimi. *Paedag.* Súmite suum quisque pállium, ut prodeátis honéstius. Sed heus, púeri! *Ern.* Quid vis, praecéptor? *Paedag.* Vidéte, ut librum cárminum étiam afferátis, alícubi in umbra cantábimus. *Ern.* Ita fiet ambulátio nostra iucúndior.

ELOCÚTIO.

In promptu habére.

Éphesus urbs Jóniae, celebérrimo Diánae templo clara, ab Amazónibus cóndita.

Colóssae, óppidum Phrygiae, non procul a Laodicéa.

Carére réquie.

Reparáre, recípere, recollígere, vires.

Non possum perférre istum labórem ... non sum huic óneri feréndo.

Duxi heri sorórem tuam ambulátum.

Semper eándem cantas cantilénam.

Non hábeo nummos in promptu ... praeséntem pecúniam.

Magna est illis librórum cópia.

Édere spécimen alicúius rei.

Glória Dei in ómnibus praeferénda.

Íngredi regnum caelórum.

Oboediéndum est paréntibus ... Evéntus respóndet praedictióni.

Pérgere in stúdiis ... Det Deus stúdiis vestris succéssus prósperos.

Maturémus prodíre.

Ambulátio nostra hestérno die fuit ádmodum iucúnda.

Collóquium VIII.

Arguméntum: ***Patiéntia in parvis exercitáta paulátim crescit. Memóriae exercéndae rátio. Neglegéntia. Brevis exhortátio ad excutiéndam neglegéntiam, pigrítiam, tarditátem.***

FRANCÍSCUS, GEÓRGIUS.

Franc. Quo ludi génere te hódie exercuísti? *Georg.* Iuglándium. *Franc.* Ecquid lucri fecísti? *Georg.* Immo pérdidi. *Franc.* Fortúna ígitur tibi advérsa fuit. *Georg.* Néscio quae fortúna: tantum scio mea culpa id accidísse, sed ita volénte Deo. *Franc.* Cur Deus id vóluit? *Georg.* Ut hinc discam ferre gravióra, cum áccident. *Franc.* Quasi vero Deus lusiónes puerórum curet. *Georg.* Curat profécto: quin etiam nihil fit in rerum natúra sine divína providéntia. *Franc.* Síccine philosopháris? quisnam te ista dócuit? *Georg.* Non tute audísti tóties ex praeceptóre nostro? *Franc.* Fiéri pótuit ut audírem: sed quid agas? Fluxa est mihi memória. *Georg.* Nimírum, quia illam non exérces. *Franc.* Quómodo exercénda est? *Georg.* Primum diligénti attentióne: hoc est, diligénter adverténdo ad ea, quae audímus, aut légimus: deínde éadem saepe repeténdo: dénique docéndo álios ea, quae didícimus. *Franc.* Ista nobis saépius inculcántur a praeceptóre: sed, me míserum! quam supína est haec mea neglegéntia! *Georg* Sic sumus omnes. *Franc.* Quid ígitur fáciam? *Georg.* Expergíscere, mi Francísce; toto ánimo, totísque víribus ad Deum aspíra, illum assídue et pio afféctu precáre: vígilans esto: pravos fúgito, versáre cum bonis: tum móribus facíllimis éffice, ut eos tibi familiáres reddas. *Franc.* Quid tandem cónsequar? *Georg.* Rogas? si te istis móribus assueféceris, Dóminus Deus sua cleméntia tui miserébitur, brevíque ánimum tuum immutátum sénties. *Franc.* O quam opportúnus hic mihi congréssus fuit! óbsecro te, mi Geórgi, ut saépius colloquámur. *Georg.* Per me non stabit, quóties utríque licébit per ótium. *Franc.* Grátias ago máximas. *Georg.* Non est, quod agas, recipiámus nos in auditórium.

ELOCÚTIO.

Quo ludi génere nos exercébimus? conórum ... globulórum ... follem pédibus míttere, follem pugnis míttere, pilam tabéllis míttere ... manubriáto retículo ac pila lúdere.

Quid fecísti lucri? nihil ... ne óbolum quidem.
Fortúna mihi non favit, fuit mihi advérsa.
Tua culpa factum.
Nihil fit in rerum natúra sine Dei providéntia.
Est mihi memória fluxa.
Advértite diligénter ad audíta et lecta.
Advértere ánimum ... ánimo, idem.
Lecta repétere.
Toto ánimo ad Deum aspiráre.
Deum pio precári afféctu.
Vide, ut pravos fúgias, verséris cum bonis.
Versári cum áliquo.
Redde tibi familiáres bonos.
Assuefácere se alícui.
Assuétus alicúius rei, et alícui rei.
Deus misereátur tui cleméntia sua.
Congréssus hic mihi fuit opportúnus.
Per me non stabit.
Utríque iam licet per ótium.

Collóquium IX.

Arguméntum: ***De neglegéntia quidam admonétur. Admonítio ad somniculósos. Praeceptórum morálium usus. Cotídie proficiéndum. Vítia naturália. Armis spirituálibus pugnándum contra vítia.***

FORTUNÁTUS, GERÁRDUS.

Fort. Non satis mirári possum te non esse diligentiórem. *Ger.* Qua in re vídeor tibi néglegens? *Fort.* Quod mane fere numquam ades in témpore: atque inde fit, ut paene cotídie notéris in catálogo. Cur tu es tam somniculósus? *Ger.* Mea sic fert natúra. *Fort.* Córrige natúram istam, hoc est natúrae vítium: quid tibi prófuit Catónis nostri dictum? *Ger.* Quodnam quaeso? *Fort.* « Plus vígila semper: nec somno ». *Ger.* Ne plura: ego probe mémini. *Fort.* Nihil prodest meminísse, nisi ad usum tuum accómmodes. *Ger.* Útinam et hoc et alia praecépta salúbria tam fácile ad bene vivéndi usum transferrémus, quam ea fácile ediscimus. *Fort.* Ut verum fátear, praecípere quam praestáre multo est facílius. Sed tamen eníti debémus, ut vel mónitis vel précibus proficiámus áliquid, et in dies evadámus melióres. *Ger.* Quid id non facit, eius

salus desperánda est: sed nihil difficílius emendátur, quam naturále vítium. *Fort.* Ómnia fere vítia nobis sunt naturália: et nisi Dei bónitas serváret nos, essémus omnes sceleratíssimi. *Ger.* Quid ígitur faciéndum? *Fort.* Fórtiter contra vítia nostra pugnándum est. *Ger.* Quo duce? *Fort.* Ipso Deo. *Ger.* Quibus armis? *Fort.* Divínis et spirituálibus. *Ger.* Ubi tandem inveniúntur? *Fort.* In epístula S. Pauli ad Ephésios. *Ger.* Quoto cápite? *Fort.* Sexto. *Ger.* Quid si locum ipse non intelléxero? *Fort.* Non omníno intélleges, satis scio: sed praecéptor erit consuléndus. *Ger.* Quid si mecum affúeris? *Fort.* Adésse volo, certum est: verum captánda erit opportúnitas. *Ger.* De hoc ígitur álias consílium capiémus. *Fort.* Quando istud erit? *Ger.* Próximo die Mercúrii, si tibi ita vidétur. *Fort.* Quota hora? *Ger.* Post merídiem prima. *Fort.* Placet senténtia. *Ger.* Nunc ígitur discedámus.

ELOCÚTIO.

Miror fratrem tuum non esse diligentiórem.
Vidéris mihi néglegens.
De hoc tu víderis; tu víderis.
Tu numquam ades in témpore.
Notétur hic in catálogo.
Corrigénda sunt vítia natúrae.
Ego probe mémini.
Transférre ad usum suum; convértere in usus suos; accommodáre úsibus suis.
Christiáni eníti debent, ut in dies evádant melióres.
Despérat sibi, de se, salúti, salútem, de salúte.
Salus contubernális tui desperánda est.
Despéro de salúte contubernális tui.
Deo duce pugnábimus cum hoste.
Pugnáre armis spirituálibus.
Praecéptor erit consuléndus.
Opportúnitas captánda est.
Cápere consílium de re áliqua.
Si tibi ita vidétur ... si visum fúerit tibi.

Collóquium X.

Arguméntum: ***De studiórum témpore amísso. Eius recuperándi spes, et quibus modis id fíeri possit. Viva magístri vox. Hortátio ad ánimum bonum.***

GEÓRGIUS, HERMÍNIUS.

Georg. Tandem ígitur hódie e villa revertísti? *Herm.* Hódie tantum, idque paulo ante prándium. *Georg.* Atque díxeras te fu-túrum illic bíduum. *Herm.* Ita sperábam fore, et sic pater promí-serat. *Georg.* Quid ígitur óbstitit, quo minus redíres cítius? *Herm.* Mater me detínuit, quamquam étiam cum lácrimis eam obsecrávi, ut me missum fáceret. *Georg.* Sed cur te tam diu remoráta est? *Herm.* Ut se comitárer in réditu. *Georg.* Quid vero agébas intérea? *Herm.* Colligébam fructus cum rústicis nostris. *Gerg.* Quos fruc-tus? *Herm.* Quasi non sint tibi noti fructus autumnáles, et serótini, pira, mala, iuglándes, castáneae. *Georg.* O iucúnda exercitátio! *Herm.* Non est iucúnda solum, sed étiam frugífera. *Georg.* Sed hoc malum, quod ínterim quinque aut sex praelectiónum fructus tibi périit. *Herm.* Non omníno périit, spero; curábo pro víribus, ut áliqua ex parte recúperem. *Georg.* Quid fácies? *Herm.* Descrí-bam quam pótero diligentíssime. *Georg.* Quid tum póstea? *Herm.* Edíscam ipsam auctóris oratiónem. *Georg.* Sed sen-ténTiam non satis intélleges. *Herm.* Ipsa me iuvábit praecep-tóris interpretátio, ut sensum magna ex parte ássequar. *Georg.* Nec tamen id satis erit. *Herm.* Tu, si placet, áderis mihi per ótium, ut conferámus una. *Georg.* Libénter équidem fáciam: sed ne istud quidem suffíciet. *Herm.* Non hábeo quid possim ámplius. *Georg.* Quanto praéstitit ipsam audire magistri vocem! *Herm.* Multo sane praéstitit: sed quando id mihi non cóntigit, nec mea culpa factum est, nihil hábeo, quod me accúsem in hac parte. *Georg.* Recte dicis, fac ígitur hábeas ánimum bonum. Nam quod ego te-cum plúribus verbis de hac re disputávi, non ídeo feci, ut vellem te addúcere in desperatiónem: sed totum proféctum est ex meo in te amóre singulári. *Herm.* Haud mihi dúbium istud est; quo fit, ut maiórem tibi hábeam grátiam. *Georg.* Sed ecce, vocat nos ad cenam tintinnábulum. *Herm.* Núntius opportúnus.

ELOCÚTIO.

Revérti e villa in urbem ... ad institútum.
Bíduum vixi Génavae.

Spero me futúrum Romae, ad décimum diem Ianuárii.
Sperábam ita fore, ut pater promíserat.
Quid óbstitit, quo minus cítius redíres?
Fac me missum.
Fac sorórem tuam missam, quam satis diu remorátus es.
Feci statim ipsum missum tuo iussu ... fac ipsos missos.
Comitári áliquem; curábo pro víribus ... pro viríli annítar parte.
Non possum ássequi sensum.
Non ássequi possum praeceptórem dictántem.
Praestat ipsam audíre magístri vocem.
Culpa non est mea ... sed tua.
Ínnocens sum; expers culpae; extra noxam sum.
A me culpa haec est procul.
Quam commisísti culpam, quae culpa a te commíssa est?
Conférre culpam in álium, conícere.
Habéto bonum ánimum ... esto bono ánimo.
Addúcere in desperatiónem áliquem ... in suspiciónem ... in dubitatiónem, ad iracúndiam.
Haud mihi dúbium istud est.
Salus tua mihi non est dúbia.

Collóquium XI.

Arguméntum: ***Praeceptóris accusátio in vernáculo sermóne loquéntes. Eiúsdem ad latine loquéndum exhortátio. Interpretátio edícti de vétito vernáculo sermóne. Male actúri quaerunt látebras. Nítimur in vétitum. Exhortátio ad recte vivéndi stúdium.***

GERÁRDUS, HONÓRIUS.

Ger. Affuísti matutínae precatióni? *Hon.* Áffui: tu vero ubi eras? *Ger.* Íeram ad patrem. *Hon.* Quid eo? *Ger.* Heri véspere iússerat, ut se convenírem bene mane. *Hon.* Qui ausus es tam mane prodíre, idque inconsúlto praeceptóre? *Ger.* Iam heri véniam impetráram, ántequam irétur cúbitum. Sed dic mihi, quid ille post precatiónem palam admonúerit? *Hon.* Audívi, inquit, esse inter vos, qui saepe número vernáculo sermóne fabuléntur, et nemo intérea vestrum mihi quidquam índicat, quod est arguméntum consensiónis ómnium in eódem peccáto: haec fuit accusatiónis summa: deínde in eam senténtiam multa dixit, quae meminísse non possum. *Ger.* Sed quae tandem fuit conclúsio? *Hon.* Quam ob rem, inquit, admóneo vos, ut álius álium ad latíne loquéndum cohortémini diligénter, et eórum nómina, qui parére nolúerint, ad me

quam prímum deferátis, ut huic malo remédium adhíbeam. *Ger.* Nullum ígitur verbum licébit efférre vernáculum? *Hon.* Quantum ex verbis eius collígere pótui, non ita rem intéllegit. Non enim, ut scis, usque ádeo est sevérus exáctor, ut statim púniat, si cui verbum áliquod inter colloquéndum excíderit. *Ger.* Aliquóties, ut mémini, palam dixit edíctum suum ad eos pertinére, qui cum latíne sciant, tamen semper latíbula quaerunt. *Hon.* Ea est quorúndam pertinácia, ut malint saepíssime vapuláre, repugnándo praecéptis honestíssimis, quam laudári atque étiam díligi obsequéndo. *Ger.* Memínisti audíre ex ipso praeceptóre. « Nítimur in vétitum ». *Hon.* Mémini: atque ádeo est veríssimum: tamen qui doctrínab Christi libénter amplectúntur, non stúdio peccant, neque malítia. *Ger.* Istud praestat verus ille timor Dómini. *Hon.* Tales ígitur, quoad licet per natúrae infirmitátem, sédulo cavére nitúntur, ne quid sciéntes fáciant, dicant aut cógitent, quo Deus vel minimum offendátur. *Ger.* Ergo studeámus et nos ipsum cavére, studeámus recte vívere, et Dei nostri parére voluntáti: non modo ne vapulémus, sed magis ut illi óptimo Patri nostro placeámus. *Hon.* Ita fiet, ut vere simus non tenebrárum, sed lucis fílii. *Ger.* Sed de his álias pluribus: nunc ad praelectiónem recipiámus nos. *Hon.* Ecce, vocat signum.

ELOCÚTIO

Adésse precatióni matutínae.
Pater iussit, ut se convenírem bene mane.
Inconsúlta et ínscia matre pródiit.
Impetrávi véniam, ántequam irétur cúbitum.
Omnes consséntiunt in uno defféctu.
Consentíre sibi ... alícui.
Cohortámini ínvicem ad latíne loquéndum ... ut álius álium cohortémini.
Deférre garriéntium nómina ad praceptórem.
Ego huic malo adhibébo remédium.
Nullum verbum discípulis licet efférre vernáculum
Éxcidit mihi haec vox inter colloquéndum.
Fabuláti sunt Gerárdus et Paulus in templo de rebus ineptíssimis.
Latíbula quaérere ... male actúri, quaerunt látebras.
Repugnáre alícui.
Nítimur in vétitum semper cupimúsque negáta ... peccáre malítia.
Sciens non factúrus sum id... studeámus placére Deo.
Placet hómini, quidquid Deo placet.
De his álias plúribus.

Collóquium XII.

Arguméntum: ***Discéssus quidam ante vacatiónem scholásticam deprehénditur a condíscipulo.***

HERMÍNIUS, IACÓBUS.

Herm. Tu ígitur cras, ut aúdio, discessúrus es? *Iac.* Cras, si Dóminus permíserit. *Herm.* Eho, cur tam cito? *Iac.* Urget me pater. *Herm.* Immo tu urges patrem. *Iac.* Ítane tibi vidétur? quomodo patrem urgére possum? *Herm.* Assídua missióne litterárum. *Iac.* Tantum semel scripsi instáre vacatiónem scholásticam. *Herm.* Quando misísti lítteras? *Iac.* Hebdómada supérióre. *Herm.* Quo die? *Iac.* Die Véneris. *Herm.* Quid fácies domi? *Iac.* Póteras exspectáre dimissiónis diem. *Iac.* Néscio, quando sit futúrus. *Herm.* Spero fore ad finem próximae hebdómadae. *Iac.* Sed istud non est in nostro situm arbítrio. *Herm.* Ne in praeceptóris quidem. Sed ista sapientióribus relinquámus. *Iac.* Tútius est: monet enim provérbium: Ne sutor ultra crépidam. *Herm.* Saepe istud ex praeceptóre audívimus. *Iac.* Idem quoque non semel dócuit nos illam S. Pauli senténtiam: Noli altum sápere: sed time. *Herm.* Illud étiam frequénter habet in ore: Altióra te ne quaesíeris. *Iac.* Sed audin' tu ad cenam signum dari? *Herm.* Adhuc pulsat aures meas tintinnábulum. *Iac.* Eámus in auditórium, ne desímus precatióni. Cras ante discéssum te salutábo.

ELOCÚTIO.

Accommodáre se totum ad arbítrium nutúmque alicúius.
Si Deus permíserit, civis meus cras discédet Londínio Amstelodámum.
Assídua litterárum missióne urgébo patrem, ut mittat mihi nummos.
Vacátio scholástica instat ... dies dimissiónis, vacatiónis, fériae.
Hoc non in meo, sed in Dei arbítrio pósitum est.
Vivit ad nutum et arbítrium patris sui, matris suae, uxóris suae.
Deus hóminum consília suo nutu gubérnat.
Ne sutor ultra crépidam.
Noli altum sápere.
Nolíte esse prudéntes apud vosmetípsos.
Hoc frequénter habet in ore.
Ne quaesíeris altióra.

Aúdio dari signum cenae.
Adésse precatióni ... deésse precatióni.
Salutábo te ante discéssum.

Collóquium XIII.

Arguméntum: ***In vacatióne scholástica studiósi adulescéntes libénter quidem reláxant ánimos, non tamen omníno cessant, nec ótio illo per ignáviam abutúntur. Fides étiam inimíco servánda. Agéndi affféctus addit celeritátem. Solus Deus suórum ductor. Exémplum studiósis observátu digníssimum.***

HONÓRIUS, IUSTUS.

Hon. Fuistíne hódie in studiórum Universitáte? *Iust.* Ubi ergo fúerim? tu vero quid agébas? *Hon.* Eram domi occupátus. *Iust.* Id evénit praeter morem tuum, soles enim abésse rárius. *Hon.* Quam possum raríssime, quid autem actum est? *Iust.* Nihil prorsus. *Hon.* Érgone remissiónem habémus? *Iust.* Certe. *Hon.* Quam ob rem? *Iust.* Propter mercátum hodiérnum. *Hon.* Quis dedit? *Iust.* Magíster, permíssu tamen rectóris. *Hon.* Quid concéssit? *Iust.* Vacatiónem ab omni múnere scholástico. *Hon* An in totum diem? *Iust.* A mane ad occásum usque solis: tamétsi diligénter et multis quidem verbis admónuit, ut in ótio de negótio cogitarémus; ne cras in Universitátem studiórum venirémus imparáti. *Hon.* Quid ígitur nos? hóccine abutémur ótio? *Iust.* Id vero aetátem nostram decet mínime. *Hon.* Tu ergo, quid paras fácere? *Iust.* Me recípere in muséum: nisi forte tibi magis placet, ut sesquihóram áliquo prodeámus ambulátum. *Hon.* Égone recúsem? immo nihil est, quod nunc magis velim: nam et nos intérea tractábimus aliquem sermónem litterárium, et simul corpus exercébimus. *Iust.* Eámus ígitur extra muros. *Hon.* Quonam? *Iust.* Usque ad ripam lacus. *Hon.* Valde istud mihi arrídet: sed tu, si placet, me exspectábis. *Iust.* Quámdiu? *Hon.* Tantísper, dum crépidas eo mutátum cálceis. *Iust.* Ubi vis exspectári? *Hon.* Ad portam Franciscánam. *Iust.* At vide, ne me feféllelris. *Hon.* An ego amícum fallam: cum sciam étiam inimíco servándam esse fidem? *Iust.* Abi, festína: ego, dum te oppérior, áliquid ínterim legam. *Hon.* Salve, Iuste. *Iust.* Quis iste salutátor? *Hon.* Ecce: rédii. *Iust.* Eho, tam cito! mihi vidéris volásse. *Hon.* Nimírum affféctus ipse pédibus alas áddidit. *Iust.* Eámus nunc ducénte Deo. *Hon.* Solus Deus est, qui suos ducit ac redúcit. *Iust.* Maturémus, satis longe hinc lacus abest. *Hon.* Tanto mélius prandébimus: perge.

Hoc tibi evénit praeter morem tuum.
A merídie remissiónem habémus ... animórum relaxatiónem.
Quid actum est in auditório hora tértia?
Praecéptor a mane ad occásum usque solis concéssit nobis vacatiónem ab omni múnere scholástico.
Adulescéntes studiósi reláxant ánimos.
Non decet discípulos imparátos veníre in gymnásium.
Hoc meam aetátem non decet.
Prodeámus duas vel tres horas ambulátum.
Neútiquam recusábo.
Tractáre sermónem litterárium.
Hoc mihi arrísit ... arrídeo tibi.
Exspécta me hic, si placet, dum huc rédeam.
Mutáre crépidas cálceis.
Exspectávi te íntegram horam ad portam Franciscánam.
Inimícis étiam servánda est fides.
Opperíri áliquem.
Deus vos in pátriam ducat ac redúcat.
Locus iste hinc longe abest.

Collóquium XIV.

Arguméntum: ***De exercitatiónibus post vacatiónem scholásticam revocátis. De clássium exploratióne ante promotiónes. De spe praémii. De eádem in advérsis rebus. De frúctibus autumnálibus. De máximo vini provéntu. De abúsu vini in summa cópia. De admonitiónum contémptu. De iis, qui se dóciles praebent ad verbum Dei audiéndum.***

IACÓBUS, LAMBÉRTUS.

Iac. Salve, Lambérte optatíssime! *Lamb.* Salve et tu vindemiátor iucundíssime. *Iac.* Quómodo se habet schola? *Lamb.* Óptime. *Iac.* Iamne rediérunt multi? *Lamb.* Vix quarta pars nunc abest. *Iac.* Quid ágitur? *Lamb.* Docétur, légitur, scríbitur, repétitur. *Iac.* Ista sunt generália et cotidiána: sed quid fit in nostra classe? *Lamb.* Idem quod fit in céteris, et quod fiébat ante vacatiónem. *Iac.* Érgone iam habéntur praelectiónes? *Lamb.* Iam abhinc octo dies. Nam quid áliud fiat? *Iac.* Solebámus per áliquot dies exercéri in iis repeténdis, quae ántea didicerámus. *Lamb.* Tribus

diébus totis nihil áliud actum est. *Iac.* Quid explorátio? Iamne incépta est? *Lamb.* Hui, incépta! propémodum finíta est: cras sexta classis interrogábitur. *Iac.* Me míserum! Exclúsus sum a praémio. *Lamb.* Etiámne praémium sperábas? *Iac.* Quidni sperárem? unicuíque speráre licet, praesértim studióso. *Lamb.* Malim ego nihil speráre. *Iac.* Quid ita? *Lamb.* Nam si nihil contígerit, nulla mihi erit frustrátio, neque moléstia: sin cónsequar áliquid, id ego in lucro deputábo. *Iac.* Numquámne legísti: vidi quéndam vívere spe, qui moritúrus erat? *Lamb.* Immo vero legi, et memória téneo: sed hic nihil ad propósitum. *Iac.* Cur non? *Lamb.* Quia illic lóquitur Ovídius de spe illa, quae in rebus advérsis retinénda est: quem sensum expréssit Cato noster hoc dísticho: Rebus in advérsis ánimum submíttere noli, spem rétine: spes una hóminem nec morte relínquit. *Iac.* Tu ígitur nihil speras? *Lamb.* Spero vitam aetérnam. *Iac.* Dixísti modo sperándum esse in advérsis rebus: quae tibi sunt advérsa? *Lamb.* Ea, quae me oppúgnant cotídie. *Iac.* Quae tandem illa? *Lamb.* Domésticae sollicitúdines, infírmitas humána et ímprobi hómines, qui me iniúriis affíciunt. *Iac.* Ex quo témpore factus es theólogus? *Lamb.* Non sum theólogus, sed quod dico, id ego dídici e sacris oratiónibus de rebus divínis. *Iac.* Laudo équidem: sed age, dic mihi sério, estne acta classis nostrae explorátio? *Lamb.* Iam tibi sério dictum puta. *Iac.* Dóleo me non interfuísse. *Lamb.* Cítius veníre debuísti, quid agébas? *Iac.* Mater me coégit vindémiae éxitum exspectáre. *Lamb.* Credo, sed tu tua voluntáte coáctus es. *Iac.* Ut fátear ingénue, libénter exspectávi: sed quid agas? hómines sumus, ut aiunt. *Lamb.* Immo iúvenes. *Iac.* Sed vix credas, quam sit iucúndum rusticári, praesértim ubi tanta est ómnium frúctuum affluéntia. *Lamb.* Estne vobis magnus vini provéntus? *Iac.* Tantus profécto, ut maiórem vidísse non memínerim. *Lamb.* Quid aiunt rústici in hac tanta ubertáte? *Iac.* Nihil áliud quam potatiónes et lucra crepant, quin étiam vino iam perínde abutúntur, quasi aqua fontána sit. *Lamb.* Ea est stultae plebis deméntia, ut Dei benefíciis numquam recte uti sciat. *Iac.* Scílicet illud est, quod dícitur: Numquam sápiunt stulti nisi in angústiis. *Lamb.* Ergo plectúntur mérito. *Iac.* Quid, quod admonitiónes étiam irrídent. *Lamb.* Sunt, qui nullam omníno ferre possint, quin bene et cómiter étiam monéntibus irascántur. *Iac.* Audívi áliquid grávius: fuérunt, qui mihi vérbera minaréntur, cum eos humaníssime admonérem. *Lamb.* Istud mihi novum non est. Nam et quidam mihi aliquándo pugnum intentávit: et, nisi véritus esset mei patris auctoritátem, profécto vapulássem acérrime. *Iac.* Sed omittámus eos, quia caeci sunt, nec tamen se tales esse intéllegunt: iactant se probe

callére, quid sit Evangélium, cum revéra Evangélio adverséntur. *Lamb.* Si verbi divíni minístros et pastóres suos non aúdiunt, qui putas fíeri posse, ut nos aúdiant? At sunt quidam símplices et benévoli, qui auditióne verbi divíni mirum in modum delectántur: hi sunt, quos docére est iucundíssimum. *Iac.* Quam gaúdeo quóties in tales íncido! ut ego illos compléctor libénter! *Lamb.* Nec immérito: nam ubi eos docúeris, tum demum fruéris labóris tui fructu, non sine voluptáte máxima. *Iac.* Sed nos quid cogitámus? non vides, ut nox fere nos oppresserit? *Lamb.* Discedámus ígitur: et cras, si Dóminus permíserit, plúribus verbis agámus una de stúdiis alácriter repeténdis.

ELOCÚTIO.

Affícere iniúria áliquem.
Quin étiam.
Intentáre mortem alícui.
Quómodo se habet schola Berolinénsis?
Quo in statu sunt res scholae Berolinénsis?
Vix quarta pars discipulórum intérfuit praelectióni.
Iam abhinc octo dies habéntur praelectiónes.
Abhinc annis quíndecim.
Quando explorátio incépta est?
Ingeniórum explorátio classis secúndae finíta (acta) est.
Cras prima classis interrogábitur.
Typógraphi fílius ob neglegéntiam exclúsus est a praémio ... non ornátus est praémio.
Spero me acceptúrum praémium próximo perículo.
Spero me ornátum iri praémio ... spero me promótum iri.
Deputáre áliquid in lucro ... deputáre se indígnum.
Pater meus moritúrus omnem spem habébat in mérito Iesu Christi.
Vívere spe ... pane.
Ánimus in rebus advérsis non submitténdus.
Spero Deum mihi in rebus advérsis opem latúrum.
Dum spiro, spero.
Ómnia vidéntur mihi advérsa.
Oppugnáre áliquem ... pecúnia.
Nec théologus, nec iurisconsúltus, nec médicus est.
Hoc sério tibi dictum puta.
Quid mihi dicéndum putas? incértus sum, quid mihi faciéndum.
Dóleo me non interfuísse praelectióni.
Coáctus scripsi, nolens volens.

Exspectábo te hic libénter, sed redi ócius.
Estne vobis magna frúctuum affluéntia?
Quidam rusticórum nil nisi lucra crepant.
Plecti mérito ... cápite.
Ea est vulgi deméntia, ut étiam cómiter monéntibus irascátur.
Audívi civem (populárem) nostrum minátum esse vérbera.
Nisi verérer auctoritátem patris.
Diábolus adversátur piis.
Delectári stúdiis.
Gaúdeo me incidísse in tales pios nautas.
Complécti áliquem ... amóre ... benevoléntia.
Paucis multa complécti ... verbis.
In senectúte fruéris frúctibus labóris tui.
Nox ópprimet nos.

Collóquium XV.

Arguméntum: ***De móribus adulescéntis ingénui tam abséntе patre quam praesénte. De quinto Decálogi praecépto. Locus S. Pauli de honóre liberórum erga paréntes. Exémplum simulátae repugnántiae ad eliciéndum collóquium.***

Lambértus, Martínus.

Lamb. Pater tuus (ut accépi) rédiit e Gállia. *Mart.* Rédiit sane. *Lamb.* Quando? *Mart.* Die lunae véspere. *Lamb.* Advéntus eius non tibi moléstus fuit? *Mart.* Quid moléstus? Immo vero iucundíssimus: sed cur hoc rogas? *Lamb.* Quia fórsitan illo absénte libérius vivéndi tibi est potéstas. *Mart.* Néscio, quam mihi libertátem narres. *Lamb.* Ludéndi, cursitándi. *Mart.* An ígitur putas me nihil áliud ágere, dum pater abest? *Lamb.* Sic vere solent omnes. *Mart.* Dissolúti quidem. Nam, quod ad me áttinet, abséntе patre sic vivo, ut eo praesénte. Ludo, cum tempus póstulat: non discúrro, sed cum bona matris vénia in públicum pródeo, cum áliquid hábeo negótii. *Lamb.* Etiámne matri tantópere súbditus es? *Mart.* Aeque ac patri: quid enim putas? nonne de utróque aequále est praecéptum Dómini? *Lamb.* Honóra, inquit, patrem tuum et matrem tuam. *Mart.* Quid éthnicus ille auctor distichórum morálium? Aequa dilígito caros pietáte paréntes: nec matrem offéndas, dum vis bonus esse parénti. Quid S. Paulus noster? Fílii, oboedíte, inquit, paréntibus in Dómino. Nonne paréntis nómine pater et mater continéntur? *Lamb.* Istud a latínis observátur

auctóribus. *Mart.* Quin étiam si quod esset reveréntiae discrímen, viderémur óptimo iure plus debére mátribus, ut quae dolóres tantos ac labóres propter nos pertúlerint. *Lamb.* Novi ego ista: et quae dixísti, placent mihi ómnia. *Mart.* Cur ergo mihi repugnábas? *Lamb.* Ut ea quasi repugnántia nobis arcésserem sermónis matériam. Nam, ut tute nosti, praecéptor saepe nos exhortátur, ut nostrum ótium in eiúsmodi sermónibus impendámus. *Mart.* Bonum sane ótium, quod honésto in negótio consúmitur. *Lamb.* Huc pértinet illud Africáni apopthégma, qui díxit se numquam minus otiósum esse, quam cum otiósus esset, ut ex Ciceróne didícimus. *Mart.* Sed iam tempus monet, ut huic sermóni finem imponámus. *Lamb.* Recte mones: fortásse enim tua causa cena tardátur domi. *Mart.* Plura, si Dóminus permíserit, in próximo congréssu. *Lamb.* Precor tibi noctem prósperam. *Mart.* Et ego tibi plácidam per membra quiétem.

ELOCÚTIO.

Compos ánimi ... méntis.
Excandéscere in áliquem.
Ne gravéris hoc fácere.
Cedo mihi aquam.
Pendére ánimi, vel ánimo ... pendére ex áliquo, ab áliquo.
Díffèrunt inter se, a se ínvicem.
In conspéctu ... prodíre in conspéctum alicúius.
Vidéris mihi tristis ... vídeo te esse tristem.
Percúlsus timóre.
Martínus deprehénsus est in furto ... in mendáciis ... in secréta compotatióne.
Indígnum fácinus.
Afflíctus et fractus ánimus ... afflícta província.
Navis tempestáte afflícta.
Impéllere áliquem ad áliquid ... ad fácinus.
Obseráre áliquid.
Putábam te profécfum esse rus ... rédii rure, sum rure, vel ruri, eo rus.
Óbdere péssulum óstio.
Sic omníno sum persuásus ... mihi persuásum est ... hoc mihi non persuadébis.
Nímium tríbuit prudéntiae suae.
Infaústum prándium.
Praecéptor deprehéndit nos ... garriéntes.

Excandéscere gravíssime in áliquem.
Commovéri gráviter re áliqua ... misericórdia.
Attónitus obmútui.
Prorípere se áliquo ... ab áliquo loco, ex áliquo loco, in locum: se a templo.
Unde hoc olfecísti?
Suspéctus alicúius rei, áliqua re, super áliqua re.
Suspéctum esse alícui; tu mihi suspéctus es.
Suspicári áliquid, de áliquo suspicári.
Quis huius rei futúrus éxitus?
Sollícitum esse de re áliqua.
Vos non vidémini sollíciti de re hac.
Tu poenas méritas non evádes; poena te certo manébit.
An palam vel clámculum hoc factum?
Hoc causam tuam gravábit.
Conférre consília.
Absólvi ómnibus senténtiis ... vínculis.
Explicáre vires ingénii sui.
Exígere poenam ab áliquo ... supplícium ab áliquo.
Ánimus pendet mihi.
Semper tibi péndeat hamus.
In advérsis ad Deum confugiéndum est.
Confúgere ad opem alicúius.
Dare poenas gravíssimas.
Deus nobis offert auxílium suum.
Hic non est locus cessándi aut tardándi.
Omnes vires, omnes nervos inténdere.
Suscípere causam; curam alicúius; bellum, fílium ... ex áliqua; invídiam, ódium; áliquid in se.
Ignóscere alícui áliquid.
Res adhuc est íntegra.
Hoc flagris dignum non vidétur.
Plecti severíssime.
Edíscere praelectiónem ad verbum.
Deus omnes tuas actiónes bene vertat.
Sic accépi a matre.
Advéntus matris fuit mihi iucundíssimus.
Iter fuit mihi moléstum.
Libérius vivéndi absénte magístro púeris est potéstas.
Data est ómnibus ludéndi potéstas.
Discúrrere per pláteas toto die.
Vidémur nobis plus debére mátribus quam pátribus.

Recórdor semper dolórum, quos mater propter me perpéssa est, pértulit.
Repugnáre alícui.
Haec repúgnant inter se ... ego non repugnábo.
Impéndere ótium in áliquid.
Consúmere ótium suum in negótio honésto ... consúmere aestátem in áliquo loco ... ingénium in músicis, noctem áliqua re, multum témporis in áliqua re.
Numquam minus otiósus sum, quam cum otiósus sum.
Imponámus sermóni finem.
Precor patri matríque quiétem plácidam et noctem prósperam.

Collóquium XVI.

Arguméntum: ***Nicoláus narrat Martíno de inopináto patris advéntu, ob falsum de morbo rumórem. Cito iráscens fácile placátur: Ira puerórum brevis. Exémplum patérnae diligéntiae in liberórum cura.***

MARTÍNUS, NICOLÁUS.

Mart. Qua pecúnia emísti librum istum? *Nic.* Qua censes, nisi mea? *Mart.* Miror, unde habúeris. *Nic.* Quid miráris? An tibi débeo réddere ratiónem? *Mart.* Égone éxigo? *Nic.* Vidéris exígere. *Mart.* Non éxigo, inquam, sed sic solémus inter nos familiáriter et líbere fabulári, ut latíne semper condiscámus áliquid. *Nic.* Ea res, fáteor, plúrimum cónfert nobis ad adipiscéndam latíne loquéndi facultátem. Sed nemo est tam lenis, quin intérdum subirascátur. *Mart.* Est ut dicis: sed est brevis puerórum ira. *Nic.* Quod autem de pecúnia rogábas, eam a patre accéperam. *Mart.* Quando venit? *Nic.* Abhinc octo dies. *Mart.* Miror, quod eum non víderim. *Nic.* Non est quod miréris. *Mart.* Quid ita? *Nic.* Quia vix sesquihóram hic morátus est. Cum enim de vehículo descendísset, meque paucis esset allocútus: Ascendámus, inquit, in tuum cubículum, ut tecum libérius cólloquar. *Mart.* Sed ántequam narres cétera, cúpio scire, quid sibi velit advéntus eius tam inopinátus. *Nic.* Falso quodam rumóre, ut fit, audívit me aegrótum esse. *Mart.* Quid ille, cum praeter spem te valéntem invénit? *Nic.* Mirífice afféctus est gaúdio. *Mart.* Quis dúbitet? *Nic.* Praetérea Deo óptimo máximo plúrimas egit grátias. *Mart.* Libénter haec aúdio: perge quaeso. *Nic.* Tunc me de valetúdine percontátur: una precámur, non sine gratiárum actióne: tandem quaerit, ecquid mihi

opus sit. Opus, inquam, pater. Qua, inquit, re eges? Libro, inquam, quáttuor nummórum. Tunc ílico promit ex marsúpio decem nummos: eos mihi in manum dat, et vale dicto, statim ábiit. *Mart.* Cur tibi plus dedit, quam petíveras? *Nic.* Istud inépte quaeris. Scílicet ita laetus erat, quia me, praeter spem, bene sanum offénderat. Quod si vel quíndecim nummos petivíssem, fácile dedísset mihi. *Mart.* O quantum debes illi summo Patri, qui tibi ádeo bonum patrem déderit! *Nic.* Ne cogitári quidem potest, quantum débeam. Sed quid cessámus audítum ire praelectiónem? *Mart.* Iam instat hora tértia. *Nic.* Paráta sunt mihi ómnia. *Mart.* Mihi quoque. *Nic.* Eámus ergo in auditórium.

ELOCÚTIO.

Vitae cursum confícere.
Iactári flúctibus ... hoc vulgi sermóne iactátur.
Profligáre bellum.
Quid-ni?
Dies noctésque de Dómino Christo cogitávi.
Cónfici maeróre ... curis, dolóre, sénio, senectúte.
Lítterae, quas núdius tértius ad me dedísti, intercéptae sunt.
Confído matrem tuam salvam esse.
Semper Deo confísus sum et deínceps quoque confídam ei.
Dolórem alicúius alleváre ... ánimum alicúius a maeróre alleváre.
Lamentári fortúnam advérsam.
Maceráre áliquem fame.
Speráre de áliquo áliquid.
Iactáre se de áliqua re ... in áliqua re, áliquid.
Intéllego ex lítteris patris matri bene esse ... matrem adhuc valére.
Omnes veri Christiáni spem omnem in Deo collocáre debent ... spem in Deo habére.
Imploráre áliquem ... auxílium ab áliquo et alicúius ... véniam delícti.
O rem audítu iucúndam.
Hoc est in ore ómnium.
Quodnam tibi est domicílium? domus patérna.
Confúgere ad príncipem tamquam asýlum ... ad vota et preces confúgere.
Confúgere ad opem alicúius.
Mercatúras obíre ... mortem ... munus.
Homo levis ... nullíus prétii, naúci, níhili.
Prófugus pátria ... servus a dómino prófugus.
Extóllere áliquem laúdibus ad caelum.

Commendáre salútem suam Deo, votis et précibus.
Effúndere preces ex imo péctore.
Emi hunc librum pecúnia mea.
Exígere ratiónem ... in exílium.
Descéndere de vehículo ... conscéndere equum.
Nemo hóminum est tam lenis, quin intérdum subirascátur.
Subiráscor tibi ... ádmodum proclívis est in iram ... valde irritábilis est ... iracúndus est ... fácile iráscitur ... cito iráscens, fácile placátur.
Miror, quod non vidísti cuppedinárium, cum sesquihóram hic morátus sit.
Nihil audíveram neque de tuo, neque de patris tui advéntu inopináto.
Paréntes meos praeter spem, insperáto, invéni valéntes.
Frater valet, bene habet, útitur próspera valetúdine.
Áffici gaúdio ... dolóre ... desidério ... morbo.
Prómere pecúniam ex marsúpio.
Prómere vinum ... áliquid ex, vel, de loco áliquo. Póculum vini bíbere.
Dícere triste vale.
Fáciat Deus Óptimus Máximus, ut te bene sanum et incólumem offéndam.

Collóquium XVII.

Arguméntum: ***A tutóre monétur quidam aduléscens, ut in admonéndo fratre natu minóre sit diligéntior. Pergéndum constánter in admonéndis ómnibus, praecípue qui nobis coniúncti sunt. Bonae índolis signum quodam in púero. Exémplum fratérnae admonitiónis.***

MARCÉLLUS TUTOR, ROBÉRTUS.

Marc. Frater tuus semper in schola aut garrit, aut inéptit, aut áliquem íncitat: ex quo fit, ut semper notándus sit, deínde vápulet. *Rob.* Quid vis, fáciam? *Marc.* Cur non saepe mones? *Rob.* Numquam desísto monére. *Marc.* Perge, precor. *Rob.* Nihil est, quod me precéris; numquam cessábo, donec, volénte Deo, áliqua ex parte emendétur. *Marc.* Sic usurpábis Catónis praecéptum: « Quando mones áliquem », nosti cétera. *Rob.* Sed oro te, mi Marcelle, ut quóties eum notáveris, id mihi renúnties. *Marc.* Numquam finis esset, adeo frequens est nomen eius in meis commentaríolis. *Rob.* Saltem fac me semel certiórem, cum pri-

mum commíserit, de quo sit accusándus: tum ego dicam patri, cuius verba magis timet, quam vérbera. *Marc.* Istud non est parvum bonae índolis arguméntum. *Rob.* Ita spero quidem. Fácies ígitur, quod rogo? *Marc.* Ego vero, atque libénter.

ELOCÚTIO.

Incitáre ad garriéndum áliquem ... equum incitáre.
Pergéndum est in admonéndis adulescéntibus.
Emendári.
Nomen tuum frequens est in catálogo abséntium.
Urbs pópulis frequens ... frequens est cum eo.
Tu saepe commíttis, de quo sis accusándus.
Fac me certiórem, quando ventúrus sis ... cértior factus sum fratrem tuum áliquid mali commisísse. Mater cértior facta est sorórem meam valde aegrotáre ... de neglegéntia fratris mei in stúdiis. Spero nos certióres factum iri, quo in statu res vestrae sint.
Magis timémus verba, quam vérbera.
Est bonae índolis arguméntum ... est índole praéditus ... puer bonae índolis et bona índole.
Libénter fáciam, quod rogásti me.

Collóquium XVIII.

Arguméntum: Nicoláus Gregório arcánum commíssum extorquére frustra conátur. Amícus, alter idem. Exémplum taciturnitátis in celándis amicórum consíliis.

NICOLÁUS, GREGÓRIUS.

Nic. Quid consílii tractábas modo cum praeceptóre? *Greg.* Si scire cupis, illum percontáre. *Nic.* Cur me celas? *Greg.* Ne palam fácias. *Nic.* Non ídeo, crede mihi, te rogo, ut id próferam, quid enim profícerem? *Greg.* Quam ob rem ígitur tam cúpide rogas? *Nic.* Nimírum ut tecum tácitus gaúdeam, si quid boni audíeris. *Greg.* Ítane parátus ádvenis, ut a me extórqueas, quod mihi uni, idque a praeceptóre, créditum est? *Nic.* Quod mihi díxeris, surdo et muto dictum púta. *Greg.* Égone tergum meum in fidem tuam commíttam? *Nic.* Id profécto potes, et quidem sine perículo. *Greg.* Numquam dices tam cómmode, ut istud mihi persuádeas.

Nic. Dabo fidem me tacitúrum. *Greg.* Etiámsi ter quater sanctíssime iuráveris, non prodam. Proínde, tu désine percontári. *Nic.* Hem, ubi est illa nostra amicítia? *Greg.* Nescis dictum illud sapiéntis? Quod tácitum esse vis, némini dic. *Nic.* Audívi aliquóties: sed quod amico dictum sit, némini dictum vidétur. Est enim amícus quasi alter idem. *Greg.* Éadem tibi dicet, qui scire ex te cúpiet, et item álius qui ex illo: atque ita ad aures ómnium pervéniet. Ítaque si me tibi posthac vis amícum esse, me missum fácito. *Nic.* Non sum imperátor, ut te missum fáciam. *Greg.* Pergin' moléstus esse? *Nic.* Abíre malim, quam tibi moléstiam afférre.

ELOCÚTIO.

Tractáre consília cum áliquo.
Celáre áliquem áliquid ... celáre áliquem de re ... celári de re.
Percontári áliquem ... áliquem áliquid.
Fácere áliquid palam ... proférre.
Tácitus secum gaudére ... in sinu gaudére.
Crédere occúlta alícui ... vitam suam alícui.
Créditum est mihi soli ... si crédere fas est.
Arcánum mihi commíssum frustra conáris extorquére.
Hoc tibi dictum puta ... hoc tibi persuádeas velim.
Commíttere áliquid fídei alicúius, vel, in fidem alicúius.
Commíttere consília alícui ... in tutélam alicúius ... se mari ... pecúniam alícui.
Persuadére alícui áliquid.
Quod tua non refert, percontári désinas.
Tacére áliquid ... de re áliqua ... tace modo.
Perveníre ad aures alicúius.
Fac me missum ... fac istum adulescéntem missum.
Malo tibi amícus esse, quam inimícus.
Quod tácitum esse vis, némini dic.

Collóquium XIX.

*Arguméntum: **Non est mentiéndum, ne in rebus quidem levióribus. Apud Deum nullum est leve peccátum : Peccáta nostra Deus propter Christum condónat, Christus deprecátor noster et advocátus. Nemo non peccat saepíssime, étiam in bonis opéribus. Quid agéndum sit, ut peccáta remittántur. S. Paulus véniam consecútus et quare :***

Divíni verbi stúdium inter exercitatiónes scholásticas annumerándum. Quorsum in lítteris humánis instruéndi sint adulescéntes.

ANSÉLMUS, DOMÍNICUS.

Ansel. Ecquid hódie precátus es domi? *Dom.* Cur quaeris istud? *Ansel.* Quia non interfuísti matutínae precatióni. *Dom.* Qui scis? *Ansel.* Observávi. *Dom.* Atqui tu non es observátor. *Ansel.* Non sum. *Dom.* Quam ob rem ígitur observásti? *Ansel.* Quia mihi es caríssimus. *Dom.* Quid tum? *Ansel.* Dolébit mihi, si vapulábis. *Dom.* Quid? an ego notátus fui? *Ansel.* Étiam dúbitas? *Dom.* Cum recitarétur catálogus, nemo me excusávit? *Ansel.* Nemo, quod sciam. *Dom.* Si me tantópere amas, ut dicis, cur tute non excusásti me? *Ansel.* Quid causae dixíssem? *Dom.* Comminísci debuísti áliquid. *Ansel.* Ergo mentítus essem. *Dom.* Quid inde? *Ansel.* Sed ex verbo Dei mentíri non licet. *Dom.* Fáteor: sed erat leve mendácium. *Ansel.* Nihil leve iudicándum est, quo Deus offénditur. *Dom.* Negáre hoc non possum: sed lévia ista fácile remíttit nobis propter Iesum Christum, qui est Deprecátor noster et Advocátus. Nam quotusquísque non peccat cotídie saepíssime. *Ansel.* Profécto nullus: quin étiam vix precámur, aut áliquid boni operámur, in quo non insit áliqua peccáti spécies. *Dom.* Quid ergo futúrum esset nobis, nisi Deus fácile ignósceret? unde et cotídie precántes dícimus: Dimítte nobis débita nostra. *Ansel.* Nihil dubitáre debémus, quin remíttat, si erráta nostra sério et vere agnovérimus, si ex ánimo petivérimus véniam, si fidem habébimus nobis ignósci. *Dom.* Quid ígitur restat? *Ansel.* Istud restat, ut neque delectémur peccátis, neque in his persistámus: neque malitióse, sciénter et de indústria peccátum committámus. Nimis enim multa sunt, quae per carnis infirmitátem peccámus, aut étiam per ignorántiam. *Dom.* Nihil dúbito de peccátis illis, quae ex imbecillitáte perpetrámus, qualis fuit Petri abnegátio: sed qui fit, ut peccémus per ignorántiam? *Ansel.* De hoc S. Pauli exémplum habes, qui scribens ad Timótheum, in prióre epístula palam profitétur se, quamvis Ecclésiam Dei persecútus sit, tamen véniam esse consecútum: quia ignórans id fécerit. *Dom.* Isto exémplo mihi abúnde satis fecísti: nam et ego id legísse mémini: sed scin' tu, quoto epístulae cápite id scriptum sit? *Ansel.* Équidem non sóleo vexáre memóriam retinéndis cápitum númeris: mihi hoc témpore satis esse vidétur áliquot senténtias quasi raptim annotáre: quas memóriae mandáre líceat, si quid intérdum ótii suffurári possim ex cotidiána studiórum praeséntium occupatióne. *Dom.* Útinam

ego quoque id fácere possem! *Ansel.* Quid ímpedit? *Dom.* Vix ego queo satis praeceptóri fácere in exercitatiónibus scholásticis: tantum abest, ut áliis stúdiis áliquid témporis impertíri concedátur. *Ansel.* Satis profécto cotídie sumus occupáti: sed haec tamen ferénda sunt, quam diu nobis opus esse ipsi Deo et paréntibus nostris visum fúerit. *Dom.* Ego proptérea libénter fero ac tólero omnes eiúsmodi labóres. *Ansel.* Qua spe tóleras? *Dom.* Quia futúrum spero, ut primi sint gradus, quibus ad maióra aliquándo pervéniam. *Ansel.* Sed de his álias plúribus: nunc agámus, quod instat. *Dom.* Quid hoc est? *Ansel.* Audin' tu ad cenam signum dari? *Dom.* Bonum signum núntias, nam sentiébam esúriem. *Ansel.* Nimírum quia meréndam praetermisísti. *Dom.* Útinam ea tam fácile semper abstinére possem, quam hódie cárui libénter. *Ansel.* Ego vero non libénter cáreo, nisi occupátus necessário negótio.

ELOCÚTIO.

Excusáre áliquem alícui et apud áliquem.
Quid causae dicis?
Comminísci áliquid.
Non licet mentíri ... non est mentiéndum, ne in rebus quidem levióribus.
Inésse alícui rei et in áliqua re.
Non dúbito, quin Deus remissúrus sit mihi peccáta mea ... Non dúbito Deum remissúrum esse mihi peccáta mea.
Delectári áliqua re.
Persístere in áliqua re ... in amóre ... in senténtia ... in impudéntia.
Perpetráre peccáta ex ignorántia ... peccáre per ignorántiam.
Deus remíttit peccáta ex ánimo véniam peténtibus.
Non dúbito, quin remissúrus sit mihi delíctum.
Petrus perpetrávit peccátum abnegatiónis ex carnis imbecillitáte.
Cónsequi véniam peccatórum.
Retinuísti númerum cápitis?
Raptim annotáre áliquid.
Suffurári áliquid ótii.
Impertíre áliquid témporis stúdio theológiae.
Vix mihi concéditur áliquid témporis capiéndi cibi (cibum).
Si Deo visum fúerit ... si tibi ita visum fúerit.
Toleráre labóres ... famem.
Pii tólerant afflictiónes spe felicitátis aetérnae.
Pervenire ad áliquid.
Séntio esúriem ... sitim ... premor fame, siti.

Collóquium XX.

Aeguméntum: ***Robértus Patrício commodátum reddit cum gratiárum actióne. Benefícia ultro citróque obláta. Exémplum aúlicae civilitátis propémodum símile.***

ROBÉRTUS, PATRÍCIUS.

Rob. Ecce, reddo tibi commodátum et grátias ago máximas. *Patr.* Non est, quod agas: sed tu satísne usus es? *Rob.* Satis diu usum concessísti, quae tua est humánitas. *Patr.* Quóties opus erit, quaeso ne pepérceris rebus meis. *Rob.* Non parcam, quando ita iubes. *Patr.* Pergrátum mihi féceris. *Rob.* Grátiam hábeo máximam: tu vero nostris vicíssim útere, si quid opus fúerit. *Patr.* Non, quod móneas; satis mea sponte sum ímpudens. *Rob.* Immo verecúndus nimis. *Patr.* Esto, aliquándo tamen sénties. *Rob.* Ita velim: bene vale. *Patr.* Te servet Dóminus Deus.

ELOCÚTIO.

Concédere alícui usum alicúius rei.
Si tua sponte id facis, non opus est, ut te móneam.
Dóminus Deus servet te.
Fácere pergrátum alícui.

Collóquium XXI.

Arguméntum: ***Quidam reprehénditur, quod ánimi causa nocúerat. Peccátum per ignorántiam. Deus ad usum nostrum creávit ómnia. Benefíciis Dei non abuténdum. Ignoscéndum púero sponte delíctum confiténti. Ad precándum admonítio. Singulórum secrétae preces. Perseverántia in verbo Dei. Exémplum raríssimum: puer, qui admónitus culpam libénter confitétur.***

ROMUÁLDUS, PAULUS.

Rom. Cur hic dispergébas pisa? *Paul.* Quando? *Rom.* Post prándium. *Paul.* Id faciébam ánimi causa. *Rom.* Sed ipsa illa unde habuísti? *Paul.* Accépi e córbula, ubi repósita erant, ut crástino die coqueréntur. *Rom.* Debuistíne ánimi causa malum fácere? *Paul.* Non putábam id esse malum. *Rom.* Annon est malum

conculcáre panem pédibus? *Paul.* Hoc ego nolim fácere. *Rom.* Cur nolis? *Paul.* Quia panis est nobis máxime necessárius. *Rom.* Et pisa et cétera, quae edúntur, Deus in usum nostrum creávit. *Paul.* Non ignóro: quin étiam pisis libénter vescor, si bene cocta et condíta sint. *Rom.* Praetérea vellésne abúti rebus tuis? *Paul.* Mínime. *Rom.* Tanto minus aliénis debes. *Paul.* Istud satis intéllego. *Rom.* Ergo non recte fecísti. *Paul.* Non recte, fáteor: non tamen malo ánimo. *Rom.* Cur ígitur fecísti? *Paul.* Mea inéptia me ad illud incitávit. *Rom.* Quid inde meruísti? *Paul.* Plagas. *Rom.* Recte dicis, sed, opínor, non ex ánimo. *Paul.* Immo certe: ne me accusáveris, oro. *Rom.* Quandóquidem sponte fatéris, non accusábo. Sic enim velle se dixit praecéptor saepíssime. *Paul.* Quid ille dixit? *Rom.* Ut de rebus eiúsmodi levióribus néminem ad ipsum deferámus, modo culpam libens agnóverit. *Paul.* Istud ergo benefícium tibi débeo, mi Romuálde. *Rom.* Nihil velim mihi débeas hoc nómine: sed mecum precáre Deum, ut a malo nos líberet. *Paul.* Cotídie in schola quater aut quínquies palam precámur. *Rom.* Quid tum? *Paul.* Praetérea privátim, quóties cibus súmitur, quóties cúbitum itur, quóties cúbitu súrgitur. Nonne satis haec sunt? *Rom.* Praeter illa, saepe monet praecéptor, ut intérdum quisque precándi causa secédat áliquo in secrétum locum: meminístin'? *Paul.* Mémini probe: sed, ut scis, difficile vidétur esse, ut adulescéntes secrétis précibus assuéscant. *Rom.* Et tamen paulátim assuéscere óptimum fúerit. *Paul.* Progréssu témporis Deus ipse noster ad eam rem nos incitábit atque assuefáciet. *Rom.* Ita fore sperándum est, si tamen in verbi eius tum lectióne, tum auditióne sédulo pergámus.

ELOCÚTIO.

Dispérgere multa perniciósa.
Bellum longe latéque dispérsum.
Conculcáre pédibus.
Cibus nec bene coctus, nec bene condítus.
Fáteor me male fecísse.
Incitáre áliquem ad male agéndum ... ad labórem incitáre ... incitári benefício alicúius.
Deférre áliquem ad iúdicem de rebus levióribus ... deférre querélas ad áliquem ... munus alícui, benefícium alícui ... deférre áliquem de furto.
Saepe mihi grátiae agúntur eo nómine a meis discípulis.
Súmere cibum ... cápere cibum.

Servus primus cúbitu surgat, postrémus cúbitum eat.
Secédere in locum áliquem secrétum.
Spero ita fore.

Collóquium XXII.

Arguméntum: ***Non est malum malo, sed malum bono compensándum.***

PATRÍCIUS, GEÓRGIUS.

Patr. Licétne malum malo repéndere? *Georg.* Cur hoc quaeris? *Patr.* Ut iis respondére possim, qui hac in re mihi contradícunt. *Georg.* Bréviter interrogásti, respóndeo brevíssime: non licet. *Patr.* Cur non? *Georg.* Quia vétuit Christus et post eum Apóstoli. *Patr.* Quid ígitur faciéndum est? *Georg.* Malum bono compensándum. *Patr.* Annon satis est bonum bono repéndere? *Georg.* Non satis Christiáno quidem. *Patr.* Quam ob rem? *Georg.* Nam Christiánum opórtet Christum Praeceptórem imitári. *Patr.* Quid fecit Christus in eo génere? *Georg.* Sanávit eum, qui ipsi cólaphum infrégerat: precátus est pro iis, qui ipsum in crucem sustúlerant: ália item multa fecit eiúsmodi. *Patr.* Nihílne ígitur facit, qui grátiam pro grátia repéndit? *Georg.* Tantum facit, quantum fáciunt éthnici? *Patr.* Quid illi fáciunt éthnici? *Georg.* Amícos díligunt, et réferunt grátiam, a quibus accepérunt. *Patr.* Nihílne ámplius? *Georg.* Nihil: nam quid ámplius exspéctes ab iis, qui verum Deum non novérunt? *Patr.* Quid fáciunt inimícis? *Greg.* Quibuscúmque modis possunt, eos persequúntur. *Patr.* Estne Christiáno peccátum? *Georg.* Si non licet, ut iam tibi probávi, conclúde id peccátum esse. *Patr.* Atqui, ut vulgo dícitur, vim vi repéllere licet. Quam senténtiam novus quidam poéta étiam látius interpretátus est his verbis: Péllere vim vi iura sinunt, et vúlnere vulnus. Quid ad hoc respóndes? *Georg.* Istud quidem permíttunt ethnícorum leges: sed lex divína longe áliter lóquitur. *Patr.* Quid divína lex? *Georg.* Idem quod Dei verbum. *Patr.* Quidquid ergo fit contra Dei verbum, estne peccátum? *Georg.* Procul dúbio peccátum est. *Patr.* Potésne ista probáre ex divínis lítteris? *Georg.* Quidni possim? nihil facílius. *Patr.* Affer mihi, quaeso, senténtias. *Georg.* Non credis id, quod est ómnibus in confésso? *Patr.* Immo vero indubitánter credo. *Georg.* Quid ígitur opus est testimóniis? *Patr.* Ut contradicéntibus certo respondére possim. *Georg.* Recte

intéllegis: sed quia non potes ex témpore memóriae mandáre, exspécta, dum tibi descríbam in chártula: in qua étiam sit locórum annotátio, ut possis, quibus voles, étiam dígito demonstráre. *Patr.* Óptimum ex témpore consílium: quanto istud mihi commódius fúerit! sic enim per ótium edíscam: ut ad manum hábeam; quóties erit opus. Sed quando mihi dabis? *Georg.* Cras, si libet, huc ad me revértere. *Patr.* Quota hora? *Georg.* A merídie prima. *Patr.* Sat hábeo: intérea vale. *Georg.* Te servet Dóminus Deus.

ELOCÚTIO.

Repéndere malum malo ... bonum bono ... grátiam pro grátia.
Contradícere alícui in áliqua re.
Malum bono compensáre.
Non est malum malo, sed malum bono compensándum.
Tóllere in crucem áliquem.
Vim vi repéllere licet.
Lítterae divínae.
Ómnibus in confésso est ... néminem latet, fugit; in conféssum hoc venit.
Demonstráre dígito ...; consílium ex témpore.
Hábeo ad manus.
Revérti ad áliquem.
Infríngere alícui cólaphum.
Infríngere dignitátem alicúius.

Collóquium XXIII.

Arguméntum: ***De scholástica societáte in conferéndis meréndae cibis. Auspicántur meréndam a cármine in Dei laudem. Cura paúperum. Matrum in fílios amor inéptus. Divináre ex coniectúris non est malum. Exhortátio ad divínas laudes et gratiárum actiónem. Notátur vorácitas in edéndo. Reprehénditur abúsus in verbórum notatióne. Latíne loquéndi servánda est propriétas. E prava institutióne vítia contrahúntur. Deterióra pertinácius haerent. Exémplum permíssae hilaritátis in Christianórum convíviis.***

PAULUS, MARCUS.

Paul. Tityre, qui patule resides sub tegmine mori,
Tunc hic solus eris tam laetus tamque supinus?
Marc. O Meliboee, Deus nobis haec otia fecit:

Ille Deus magnus, qui nostrum fecit in usum
Omnia, dans propriam cunctis animalibus escam;
Qui mare, qui terras, et quod tegit omnia, caelum
Condidit: Ille opifex rerum, qui Summus habetur.

Paul. Carmina mitte loqui: nunc me liquere Camenae,
Est mihi mens alibi: cupio certare merenda.

Marc. Sed tamen hac mecum poteris residere sub umbra:
Namque hic, ut cernis, locus est satis amplus utrique.

Paul. Mittámus ergo versículos: et meréndas nostras conferámus. *Marc.* Per me non stabit: scrutémur peras: age, éxplica tuam. *Paul.* Exspécta parúmper. Dic mihi prius, quid habes in meréndam? *Marc.* Panem. *Paul.* Quasi vero sine pane merénda esse sóleat. *Marc.* Ne panem quidem paúperes semper habent. *Paul.* In témpore ádmones: ponéndae erunt relíquiae nostrae in eórum córbula. *Marc.* Quid si reliquiárum nihil fúerit? *Paul.* Saltem restábit panis, et hoc satis erit; sed dic tandem, numquid habes obsónii? *Marc.* Étiam dúbitas? mater mea numquam commíttet, ut me in scholam mittat sine áliquo obsónio. *Paul.* Dic ergo, quid est? *Marc.* Divína. *Paul.* Non sum vates: nec velim hanc meréndae horam nugis térere. *Marc.* Saltem perículum fácies, quam váleas coniectúris: qua de re iam áliquid in praelectiónibus audívimus. *Paul.* Aut cáseus, aut caro est resídua ex prándio. *Marc.* Neutrum. *Paul.* Dic sodes: ut accingámus nos óperi. *Marc.* Ne te diútius tórqueam, sunt pira praecócia. *Paul.* Ain'tu: res nova: nondum hoc anno vidi. *Marc.* Vide nunc. *Paul.* Quam matúra sunt! *Marc.* Cur non addis étiam quam bona! *Paul.* Sed nondum gustávi. *Marc.* Satis acúte me reprehéndis. Áccipe et gusta. *Paul.* Heu, quam mítia! quam boni suci! *Marc.* Nonne mérito máximas grátias ágere debémus Deo nostro, tam benígno Patri, qui nobis indígnis tot bona, tam vária largítur? *Paul.* Qui non facit, is est profécto ingratíssimus. *Marc.* Ágedum, vescámur bonis eius cum gaúdio et gratiárum actióne. *Paul.* Iam dudum esúrio. *Marc.* Sed tu nullum habes obsónium. *Paul.* Vide frustum crassum vetústi cásei. *Marc.* Edámus primum pira: cáseo claudémus stómachum. *Paul.* Sed maturémus, ne forte hora nos ópprimat. *Marc.* Neutrum cessáre vídeo, certe quod ad me pértinet, non queo comésse cítius. *Paul.* Noli tamen ita devoráre, animálium more, ecquid pudet? *Marc.* Quia dixísti esse festinándum. *Paul.* Maturémus dixi, non autem festinémus. *Marc.* Ego non ádeo scrupulóse inter haec verba discrímen fácio. *Paul.* Vult tamen praecéptor ut próprie loquámur, quantum per ingénii captum licet. Nam bene loquéndo bene étiam scríbere condíscimus. *Marc.* Contra diligénter scribéndo consuéscimus étiam recte loqui. *Paul.* Haec duo inter se con-

iúncta sunt. Sed heus, otióse, inquam, edámus! satis habémus témporis. *Marc.* Nonne tota haec hora ad meréndam líbera est? *Paul.* Hódie quidem líbera, sed tamen desinámus, ne panis defíciat et ut quid réliqui fiat paupéribus. *Marc.* Eámus ergo ad púteum, ut aliquántum potémus. *Paul.* Hem, verbórum proprietáte semper abúteris: istud bíbere est, non potáre. *Marc.* Quod mihi non parcas, hábeo sane grátias. Ex prava institutióne prima haec vítia contráxi. *Paul.* Veríssime ígitur Quintiliánus dixit: Haec ipsa magis pertináciter haerent, quae deterióra sunt. Meminístin'? *Marc.* Mémini: sed ínterim iuva me, ut hauriámus aquam e púteo. *Paul.* Enítere validius: nímium me laboráre sinis. *Marc.* Tanto bibes iucúndius. *Paul.* Potum satis est: recipiámus nos in concláve, ne precatióni desímus et actióni gratiárum. *Marc.* Tu praecéde.

ELOCÚTIO.

Residére sub umbra árboris.
Iacet supínus sub árbore.
Habétur ópifex peritíssimus.
Mitte loqui cármina.
Caménae liquérunt me.
Est mihi mens álibi.
Scrutábor peram prius.
Explica cruménam tuam.
Quid habétis hódie in prándium?
Si sublátae sunt relíquiae mensae, ponéndae sunt in córbulis.
Non restat mica panis.
Omne tempus nugis téritis.
Caro est resídua ex prándio.
Accíngere se óperi, vel, ad opus ... accíngere se ad rem áliquam.
Torquére os ... ius ... torquére áliquem ... dies et noctes torquéri.
Nímium torques me.
Cáseo claúdere stómachum.
Hora nos ópprimet.
Dévorat animálium more.
Quantum per ingénii captum licébit.
Tota haec hora ad ludéndum líbera est.
Defícere ánimo ... defícere víribus ... defíceret me tempus.
Defícere ad hostes.
Contráhere amicítiam cum áliquo ... vítia ex áliqua re.
Contráhere aes aliénum ... frontem ... morbum ... matrimónium.
Quae deterióra sunt, pertináciter haerent.

Haurire aquam e fonte ... mánibus.
Eníti ope atque ópera ... eniténdum est.
Réddere urínam.

Collóquium XXIV.

Arguméntum: ***Simulatióne quadam hic quaesítum est colloquéndi arguméntum. Lex scholástica, ne adulescéntes res suas alienáre aúdeant. Christi exémplo advérsa ferénda propter ipsum. Sine divíni Spíritus auxílio nihil fíeri potest boni; précibus autem illud est impetrándum***

EDUÁRDUS, REMÍGIUS.

Eduard. Vis émere hoc cíngulum? *Remig.* Cur émam? unum mihi satis est: tu vero cur vis véndere? *Eduard.* Quia sunt mihi duo. *Remig.* Nec tamen licet vendas, nisi vis in poenam incúrrere. *Eduard.* Quid vetat me véndere res meas? *Remig.* Nihil adhuc tuum habes. *Eduard.* Eho! nihil; unde probas istud? *Remig.* Quia nondum es tui iuris, sed sub patris potestáte: dénique vis audíre bréviter tibi istud non licére? *Eduard.* Máxime velim. *Remig.* De hoc lex est scholástica, cuius haec est senténtia: adulescéntes iniússu paréntum nec vendant áliquid, nec emant, nec permútent, nec aliénent quovis álio modo. Qui contra fécerit, verbéribus plectétur. *Eduard.* Hoc ego non ignorábam: sed volébam perículum fácere, an constans esses in observándis légibus. *Remig.* Tu ígitur es simulátor. *Eduard.* In hac simulatióne nihil vídeo esse mali; nam tu interpretáris male. *Remig.* Mínime vero; nihil enim nocuísti mihi. *Eduard.* Quid si nocuíssem? *Remig.* Tulíssem aequo ánimo, ut Christiánum decet. *Eduard.* Útinam advérsa ómnia sic ferámus propter Christum: qui nihil non tulit salútis nostrae causa. *Remig.* Ferémus certe; si exémplum eius semper nobis proponámus ob óculos. *Eduard.* Difficile id quidem est. *Remig.* Immo impossíbile, nisi illíus Spíritu semper adiuvémur: quod quidem assíduis précibus est impetrándum. *Eduard.* O quam suavi sermóne tantíllum ótii consúmpsimus.

ELOCÚTIO.

Non licet fratri tuo vendere hoc cíngulum.
Incúrrere in poenam... in offensiónem alicúius.
Tu nondum es tui iuris.

Iniússu paréntum libri nec vendéndi, nec permutándi sunt.
Alienáre áliquem ab áliquo ... res suas.
Alienári mente; aliénus a lítteris ... aliénus cibus stómacho.
Aliénum nostra amicítia.
Plecti verbéribus ... cápite.
Interpretári áliquid in meliórem vel mitiórem partem ... áliquid in peiórem vel deteriórem partem; interpretári male.
Consúmere ótium.

Collóquium XXV.

Arguméntum: ***Simuláta oratióne quidam condiscípulum familiáriter obiúrgat, quod pecúniam a patre non petíerit. Condiscípuli super ea re prudens respónsum. Obláta occásio non est neglegénda. Locus ex dístichis morálibus. Natúra tenacíssimi sumus eórum quae rúdibus annis percépimus. Beneficiórum divinórum agnítio. Iocári et irridére. Patrum prudéntia in suppeditándo fíliis, quae opus sunt. Adulescéntes tractándae pecúniae mínime sunt idónei. Improbi adulescéntes neque obiurgatiónibus, neque flagris movéntur. Omnis boni laus soli debétur Deo. Falléndi consílium nemo dare debet. Simulátio vultu tégitur. Honéstae confabulatiónes in ótio útiles sunt. Lingua latína quibus adiuméntis potíssimum comparétur.***

AUGUSTÍNUS, RUDÓLPHUS.

Aug. Síccine me insciénte ábiit pater tuus, ut mihi non licéret eum conveníre? *Rudolph.* Cur post prándium non venísti in deversórium eius? *Aug.* Quia putávi tantum cras illum esse discessúrum. *Rudolph.* Ego quoque idem sum arbitrátus: sed nóluit occasiónem praetermíttere, quae se ex témpore obtúlerat. *Aug.* Adhuc ille méminit Catónis dístichon illud: Quam primum capiénda tibi est occásio prima: Ne rursus quaeras, quae iam negléxeris ante. *Rudolph.* Illud opúsculum sic memória tenet, ut in eo videátur aetátem contrivísse. *Aug.* Vide, quanta vis sit memóriae in iis, quae rúdibus annis didícimus. *Rudolph.* Ea est Quintiliáni super hac re senténtia: cuius verba, ut opínor, meminísti. *Aug.* Mémini: sed, ut ad rem, quae fuit patri occásio, ut ante discéderet, quam instituísset? *Rudolph.* Quidam Lugdunénses, quibúscum ad mercátum huc vénerat. *Aug.* Aderásne, cum proféctus est? *Rudolph.* Praestolábar illum in deversório. *Aug.* Unde scivísti mutásse eum consílium de profectióne? *Rudolph.* Eram in prándio, cum inter ipsos convénit, ut expedítis quibúsdam in urbe negótiis, vehícula

sub horam secúndam conscénderent. *Aug.* De cétero, satísne ex ánimi senténtia rem suam fecit? *Rudolph.* Ita felíciter, ut me ob eam rem ad divínas laudes veheménter hortarétur. *Aug.* Tunc ígitur, opínor, bene nummátus redis. *Rudolph.* Mene rides? *Aug.* Cur ego id fáciam? *Rudolph.* Pro tua libídine. *Aug.* Quasi vero ánimi grátia sóleam irridére céteros. *Rudolph.* Atqui ita putábam. *Aug.* Longe abérras. Nam áliud est iocári, áliud irridére. Álterum caret vítio, estque inter amícos satis frequens; álterum est vitiósum, atque ódio dignum, útpote quod ex contémptu fere proficiscátur. *Rudolph.* Ignósce ígitur mihi. *Aug.* Non gravis est culpa. Sed dic, rogo, nihil tibi pecúniae dedit pater? *Rudolph.* Ne petívi quidem. *Aug.* Tamen sponte dedit? *Rudolph.* Aliquántulum. *Aug.* Quantum ígitur? *Rudolph.* Perpusíllum. *Aug.* Dic sodes. *Rudolph.* Cur tam ávide inquíris? *Aug.* Ut amicórum more tibi grátuler. *Rudolph.* Nihil est gratulatióne dignum. *Aug.* Fatére tandem quid sit. *Rudolph.* Soli nummi quinque. *Aug.* Hui tantíllum! O stulte, qui non petivísti decem aut quíndecim! *Rudolph.* Non ausus sum. *Aug.* Quid ita? *Rudolph.* Tímui ne plane denegáret, atque aegre ferret, quod péterem. *Aug.* Numquam id fecísset: modo peténdi causam addidísses. *Rudolph.* Credo équidem: sed quid causae attulíssem? *Aug.* Rogas? nonne sunt res sescéntae, quibus índiget usus scholásticus? *Rudolph.* Multae sunt, fáteor. *Aug.* Tu vero adeóne abúndas rebus ómnibus, ut tibi desit nihil? *Rudolph.* Immo desunt plúrima: sed quibus fácile cáream. Praetérea satis novit pater, quae mihi opus sunt, tum studiórum causa, tum ad victum cultúmque córporis. *Aug.* Novit quidem: sed ália multa sunt illi et curánda et cogitánda. *Rudolph.* Credo esse illi praecípuam liberórum curam. *Aug.* Sed nimis ab eo remótus es. *Rudolph.* Sine me pervenire, quo volo. *Aug.* Age, sino. *Rudolph.* Novit étiam pater me nondum esse idóneum ad recte tractándam pecúniam. *Aug.* Cur non? an tu ad eam rem non satis aetátis habes atque prudéntiae? *Rudolph.* Istinc absum longíssime. Ítaque pater dedit praeceptóri in mandátis, ut ómnia mihi suppeditáret ad usus vitae studiorúmque necessários: ad quam rem praebet illi, quantum satis est pecúniae. *Aug.* Esto. *Rudolph.* Ergo si quid a patre petam, me statim ad praeceptórem remíttet: fortásse étiam irascátur, et me gráviter obiúrget. *Aug.* Fácile est obiurgatiónem pati, modo ne sequántur vérbera. *Rudolph.* Fácile est, credo, sed iis dumtáxat, quos neque pudor movet, neque ulla paréntum reveréntia. Ego autem ipsa vérbera ferre malim, quam patris pati obiurgatiónem. Ex quo fit, ut sédulo cáveam, ne quid illi praébeam causae ad irascéndum. Id enim quinto praecépto divínae legis continétur. *Aug.* Fácies, ut pium decet adulescéntem. *Rudolph.*

Eius rei laus non mihi, sed soli Deo tribuénda est. *Aug.* Nempe a quo proficíscitur, quidquid nobis inest boni. *Rudolph.* Fáciat Ille, ut quae bona inspiráverit nobis et sequámur ánimo promptíssimo. Sed, ut ad te rédeam, serióne reprehendébas, quod nullam pecúniam a patre rogássem? *Aug.* An ego te velim ad falléndum patrem indúcere? *Rudolph.* Mihi quidem non fit verisímile, me tamen ipsum fefellísti. *Aug.* Quómodo? *Rudolph.* Quia sério loqui videbáris, ádeo apte vultum verbis ipsis accommodábas. *Aug.* Sed quid cénses de hac nostra confabulatióne? *Rudolph.* Arguméntum satis aptum dedísti nobis in hoc ótio nostro vespertíno. *Aug.* Ecquid hábuit sermo noster, quod reprehénderet observátor, si forte, ut solet, nos observásset ex insídiis? *Rudolph.* Nihil, ut opínor. *Aug.* Profécto verum est, quod saepe nobis praecéptor incúlcat. *Rudolph.* Quid hoc est? *Aug.* Linguae latínae cópiam et facultátem comparári his potíssimum rebus: saepe scribéndo, confabulándo, legéndis auctóribus, vernácula in latínum, aut latína in vernáculum converténdo. *Rudolph.* Ergo his rebus diligénter nos exerceámus, adiutóre Dómino Deo, in cuius manu sita sunt stúdia nostra ómnia. *Aug.* Idem fáciat, ut eius erga nos benefícia vero cultu dignísque laúdibus perpétuo celebrémus. *Rudolph.* Hoc opus, hoc stúdium parvi fácimus pro dolor: haec sit votórum summa supréma, precor. *Aug.* Sed audi horológium. *Rudolph.* Nos opportúne ádmonet, ítaque desistámus. *Aug.* Alióqui solis occásus nos hic ópprimet.

ELOCÚTIO.

Pater ábiit me insciénte ... me ínscio.
Non lícuit mihi convenire praetórem.
Cave praetermíttas (néglegas) oblátam occasiónem.
Occásio prima capiénda tibi.
Omnem aetátem in hoc opúsculo contrívit.
Tenacíssimi sumus eórum, quae rúdibus annis percépimus (didícimus).
Ante discéssit, quam instituísset.
Hic praestolábor te, dum rédeas.
Princeps mutávit consílium de profectióne.
Sic convénit inter ipsos.
Fácere rem suam.
Arculárii fílius bene nummátus rédiit ex Gállia.
Quid causae est, quod non petíeris a patre pecúniam?
Quid causae áttulit?
Abundáre re áliqua.

Cántharus abúndat vino.
Multa mihi desunt.
Ália mihi nunc cogitánda.
Praecípua liberórum cura mihi est.
Adulescéntes non sunt idónei ad recte tractándam pecúniam.
Adulescéntes tractándae pecúniae mínime sunt idónei.
Non satis aetátis habes ad hoc.
Suppeditáre alícui ómnia necessária ad usus vitae.
Cave, ne quid causae mihi praébeas ad irascéndum tibi.
Sequi admonitiónes alicúius ánimo promptíssimo.
Indúcere in fraudem ... in regnum suum ... in spem áliquem.
Vultum verbis accommodáre.
Observáre áliquem ex insídiis.
Haec summa voti mei est.
Solis occásus oppréssit ipsos.

Collóquium XXVI.

Arguméntum: ***De quodam convívio. Qui convívae, quae ferculórum varíetas et cópia, qui ordo fúerit, etc. Notátur óbiter conviviórum luxus. Obiurgátur ipse convivátor de luxu.***

REMÍGIUS, STÉPHANUS.

Remig. Quid est, quod hódie tam cito a pátruo redíeris, praesértim cum fúerit convívium? *Steph.* Quid illic fácerem diútius? *Remig.* Cenam debuísti exspectáre, ut éderes de prándii relíquiis. *Steph.* Satis éderam in prándio. Praetérea iussit pátruus, ut domum redúcerem praeceptórem, quem ego ad convívium dedúxeram. *Remig.* Quid frater tuus patruélis? cur in ludum vobíscum non rédiit? *Steph.* A matre reténtus est unum aut álterum diem. *Remig.* Quam ob rem? *Steph.* Ut ei resarciántur vestiménta. *Remig.* Haec est mulíerum cura. Sed age, quóniam nunc otiósi sumus, narra mihi, quaeso, áliquid de convívio. *Steph.* Quid de illo scire cupis? *Remig.* Primum, qui convívae fúerint: deínde quam lautum et opíparum convívium. *Steph.* Convívae fuérunt hi praecípui: quáttuor praefécti, alter a praefécto urbis et álii duo primae notae e senatórum número. *Remig.* Nostíne? *Steph.* De fácie quidem, sed eórum non téneo nómina. *Remig.* Nullíne praetérea? *Steph.* Duo item ex pátrui mei familiáribus. *Remig.* Quotus accumbébat praecéptor? *Steph.* Quotus esset, non obser-

vávi: sed erat in média fere mensa e contrária parte pátrui mei. *Remig.* Tu vero? *Steph.* Hem! inépte, qui istud roges! Égone homúnculus cum tantis viris epulárer? Satis hoc mihi honorífícum fuit, quod ministrárem. *Remig.* Nullaéne erant mulíeres? *Steph.* Nullae, praeter uxórem pátrui, quae quidem sedébat in mensa extréma. *Remig.* Quid ita tam remóta? *Steph.* Sic vóluit ipsa, ut idéntidem commódius súrgeret: propter órdinem ministérii. *Remig.* Quid fílius? *Steph.* Iuxta matrem assidébat. *Remig.* Hábeo de convívis; nunc exspécto de convívio. *Steph.* Onus mihi valde magnum impónis ac diffícile máxime propter memóriam, sed quando, ut dixísti, plúsculum ótii nacti sumus hoc postmeridiáno témpore, dabo équidem óperam, ut áliqua ex parte éxpleam desidérium tuum. *Remig.* Pergrátum mihi féceris. *Steph.* Ea tamen lege, ut par pari réferas, si quando dábitur occásio. *Remig.* De hoc nihil est, quod dúbites; íncipe. *Steph.* At ego intérea sedére volo, quia longa est narrátio. *Remig.* Eámus sub pérgulam, ut in umbra commódius fabulémur. *Steph.* Audi nunc iam. *Remig.* Quia, ut ais, longa est narrátio, dic mihi primum, quota hora accúbitum est? *Steph.* Fere décima. *Remig.* Quota surréctum? *Steph.* Paulo ante merídiem. *Remig.* Sedebántne omnes cómmode? *Steph.* Commodíssime. *Remig.* Nunc ad rem aggrédere. *Steph.* Áccipe ígitur promúlsidem. *Remig.* Appóne cum voles. *Steph.* In primis appósita sunt tenélla crústula mellíta óperis pistórii cum aromatíte. *Remig.* Óptimum sane exórdium, et ad conciliándos ánimos aptíssimum. *Steph.* Omítte, quaeso, istas interpellatiónes, ne mihi perturbétur memória. *Remig.* Posthac non interpellábo, nisi quid opus erit requírere. *Steph.* Secútae sunt pernae salítae, hilla infumáta, lucánicae linguae búbulae, sale quoque et fumo indurátae. Atque haec ad excitándam appeténtiam, et sitim acuéndam. *Remig.* Quasi vero non satis acuátur solis aestu et fervóre. *Steph.* Sic docti solent fácere convivatóres. *Remig.* Istaec aúdio libénter: praesértim cum éxprimas ómnia própriis et significántibus verbis. Perge porro. *Steph.* Eódem órdine interpósita sunt acetária e lactúcis capitátis, óvium intestína frixa, minutália ex vitulína cum ovórum vitéllis íntegris. Et haec háctenus de praelúdiis, qui missus primus fuit. *Remig.* Nihil ínterim bíbitum est? *Steph.* Indígna hómine quaéstio. Quis enim vino hic párceret? vix tres, et quidem strenuíssimi, fundéndis pótibus sufficiebámus. Sed de pótibus agam postérius: sine me cibos expedíre. *Remig.* Age, sino. *Steph.* In secúndo missu haec fere fuérunt: artócreas, pulli gallinácei elíxi cum lactúcis, búbula, vervecína, vitulína, suílla recens salsa, ius cárnium cum ovórum vitéllis, croco, et omphácio suavíssime condítum, áliquot item iúscula ex oléribus. *Remig.* Hic plus

opínor ablátum, quam esum fuísse: quia scílicet assa exspectabántur. *Steph.* Vix mensam attígerant, cum illa tóllere iussi sumus. Vénio ígitur ad tértium missum, in quo assa haec fuérunt expósita: pulli gallinácei, pulli columbíni, ansérculi fártiles, et súculae, item cunículi, armi vervecíni, postrémo ferína duórum génerum, ópere pistório incrustáta. *Remig.* Quid praetérea? *Steph.* Quid? hem, paene praetermísi, duae perdíces interiéctae cum lepúsculo, fabae vírides frixae, et pisa cocta cum síliquis. *Remig.* Nihílne píscium? *Steph.* In témpore ádmones. Erat tructa ingens, quae divísa fúerat in partes quáttuor, praeter caudam, praegrándis item lúcius ad eúndem modum quadripartítus. Táceo minútos pisces, et medíocres, partim elíxos, partim assátos aut frixos, item cancros fluviátiles, magno ómnia número: Sed haec magis ad ostentatiónem, quam ad necessitátem: de iis enim fere nihil gustátum est. *Remig.* Unum mihi vidéris praetermisísse. *Steph.* Quid est? *Remig.* Nullíne erant intínctus? *Steph.* Immo síngulis propémodum férculis áddita erant scitíssimi sapóris embámmata, quae coquus ipse miro artifício concinnáverat. Nec vero defuére cáppari in óleo et acéto, mala cítrea, olívae conditívae cum sua múria, acétum rosáceum, et sucus oxálidis. *Remig.* O quot et quanta gulae irritaménta! *Steph.* Adde etiam córporis et ánimi impediménta. *Remig.* Sed quis quaeso fuit últimus actus fábulae? *Steph.* Tandem cum iam nec carnes nec pisces ullus éderet, iubet pátruus appóni bellária: in quibus haec fuérunt praecípua: cáseus recens pinguíssimus, itémque vetus múltiplex, scriblítae, placentae, oryza in lacte cocta, et sáccharo bene condíta, pérsica praecócia, ficus, cérasa, uvae passae, tragémata serótina, sálgama multórum génerum, et ália, quae nunc mihi non occúrrunt. Tanta dénique fuit ómnium esculentórum affluéntia, ut mensa ipsa vix sustinéret. Quid quaeris? quater aut quínquies mutáti sunt órbes et quádrulae, cibos crassos et durióres magna ex parte íntegros in culínam rettúlimus: ádeo pauci attigérunt propter delicatiórum abundántiam et divérsitátem. *Remig.* Quid confert tanta cibariórum abundántia et divérsitas? *Steph.* Ad gravándum stómachum, et morbos complúres generándos. Sed quid agas? sic fere hoc témpore vívitur. *Remig.* Qui tálibus viris convívia fáciunt, certáre vidéntur de cópia, de apparátu, de splendóre et lautítia. *Steph.* Et tamen exstant inter huius urbis leges quaedam, ut audívi, sumptuáriae. *Remig.* Silent leges inter convívia, ut óbiter e Ciceróne detorqueámus áliquid. *Steph.* An putas omnes convívas illa súmptuum immanitáte delectári? *Remig.* Non puto, nisi forte sint lurcónes, aut asóti, aut Apiciáni, ut ita dicam, ventrícolae. Céterum quid est in causa? *Steph.* Rogas? convivatórum non modo stultítia, sed etiam insá-

nia. *Remig.* Máxima pars hóminum morbo iactátur eódem, ut ait Horátius. *Steph.* Sed nos hanc censúram omittámus, iuxta provérbium: Ne sutor, etc. *Remig.* Redeámus ad propósitum. Quale vinum appósitum est? *Steph.* Si de colóre quaeris, album, nigrum, fulvum, sanguíneum: deque síngulis coloribus vina multiplícia; si de bonitáte, ómnia fere generosíssima: sed imprímis commendábant illud vini genus ex Burgúndia. *Remig.* Unde hoc petebátur? *Steph.* E pátrui cella vinária. *Remig.* Habétne multum eiúsmodi? *Steph.* Duo dolia vini hélvoli: duo item albi limpidíssimi. *Remig.* Quis fuit prándii éxitus? *Steph.* Ubi videt pátruus convívas omnes paene deféssos edéndo, bibéndo, colloquéndo, tunc vinum fundi iubet síngulis; omnes ad extrémum potum invítat: ipse vero pátruus clara voce agit grátias univérso coétui: tandem primus praeféctus, conviválum nómine, satis accuráto sermóne públicas agit convivatóri grátias: simul obiúrgat eum, quod tam magnífico et sumptuóso apparátu convivátus fúerit. Immo, inquit pátruus, mihi quaeso ignóscite, quod vos pro dignitáte non satis ámpliter tractáverim. His dictis: surgunt e mensa omnes: magna pars valedícto statim discédit: ceteri manent, stantes et colloquéntes in triclínio. *Remig.* Quid vos intérea, qui ministraverátis ad mensam? *Steph.* In culínam ad prándium nos recépimus: corpus illic otióse et ex ánimi senténtia curávimus. *Remig.* Ubi erat ínterim praecéptor? *Steph.* Pátruus illum seórsim vocáverat ad collóquium. *Remig.* Credo, ut se et fílium suum commendáret. *Steph.* Illud est verisímile. *Remig.* Nescis, quae fúerit causa tanti convívii? *Steph.* Quid mea scire refert? *Remig.* Atqui non sum dialécticus. *Steph.* Sed age, dic mihi sério, non ego te tractávi magnífice? *Remig.* Tali convívio numquam intérfui. *Steph.* Gaúdeo stómacho tuo satis esse factum. *Remig.* Est Dei benefício, qui dedit nobis ótium tam iucúndum. *Steph.* Surgámus tandem, nam aúdio adulescéntes a lusu discédere.

ELOCÚTIO.

Édere de prándii relíquiis.
Lautum et opíparum convívium.
Vir primae notae e senatórum número.
Novi hunc de fácie, sed non téneo nomen ipsíus.
Quotus tu accubuísti? ... tértius, quartus.
Epulári cum áliquo.
Sedi in mensa extréma cómmode, quo commódius súrgerem.
Assidére iuxta matrem, assidére matri.

Ággredi ad áliquid ... ággredi causam.
Appónere cibos.
Conciliáre ánimum alicúius sibi.
Excitáre appeténtiam.
Acúere sitim.
Éxprimam verbis significántibus et própriis.
Ego solus fundéndis póculis non suffício.
Ius male condítum.
Condíre cibos.
Plus de mensa ablátum quam esum est.
A patre iussus sum tóllere mensam ... pater iussit ut tóllerem.
In secúndo missu coquus expósuit assa.
Ferína ópere pistório incrustáta.
Embámma scitíssimi sapóris.
Concinnáre cibos.
Mensa vix cibos sustinébit.
Mutáre orbes.
Reférre cibos íntegros in culínam.
Graváre stómachum cibis crassis et durióribus.
Generáre morbos.
Fácere convívia alícui.
Certáre de cópia cibórum ... pignore certáre.
Silent leges inter convívia ... inter arma silent leges.
Iactári morbo.
Stérnere, adornáre mensam ... instérnere mensae tapétem.
Dare aquam lavándis, abluéndis mánibus.
Convivári magnífico et sumptuóso apparátu.
Tractáre pro dignitáte áliquem satis ámpliter, magnífice.
Ministráre ad mensam.
Recípere se ad prándium.
Commendáre áliquem de melióre nota.

Collóquium XXVII.

Argumentum: ***Fámulum erus, quid et quanti obsonátus sit, intérrogat, et aegre fert eum cibos, quibus delectári solébat, non emísse. Exémplum prudéntiae in eméndo.***

RUDÓLPHUS ERUS, STÉPHANUS FÁMULUS.

Rudolph. Fuistíne hódie in foro? *Steph.* Fui. *Rudolph.* Quando? *Steph.* Post perácta sacra. *Rudolph.* Quid emísti nobis? *Steph.*

Nihil fere. *Rudolph.* Quid autem? *Steph.* Butyrum. *Rudolph.* Quanti? *Steph.* Denário. *Rudolph.* Tantíllum. *Steph.* Non ausus sum ámplius émere. *Rudolph.* Quid timuísti? *Steph.* Ne bonum non esset. *Rudolph.* Satis prudénter factum. *Steph.* Cur hoc dicis, ere? *Rudolph.* Quia malim te esse hac in re timidiórem, quam audaciórem. Sed quid emísti praetérea? *Steph.* Nihil. *Rudolph.* Eho nihílne? *Steph.* Nihil prorsus. *Rudolph.* Vah, quam parce nobis obsonátus es? *Steph.* Quid áliud émere possem? *Rudolph.* Quasi néscias, quibus cibis oblectári sóleam. *Steph.* Scio te amáre cáseum molliúsculum et pira et álios fructus recéntes. *Rudolph.* Recte dicis; cur ergo non emísti? *Steph.* Cáseus ipse cárior erat pro nostra pecuníola. *Rudolph.* Quid fructus? *Steph.* Álii erant non satis matúri: de áliis ego dubitávi, esséntne boni. *Rudolph.* Miser! non potuísti gustáre? *Steph.* Atqui istae mulíeres nihil gustári permíttunt, nisi te emptúrum affírmes. *Rudolph.* Nihil mirum: multi enim gustárent ánimi tantum grátia. Tu ígitur esto álias prudéntior. *Steph.* Quo modo? *Rudolph.* Si víderis pulchrum áliquem fructum, eme aliquántulum denário, ut fácias perículum. *Steph.* Quid tum praetérea? *Rudolph.* Si tibi sapúerit, tum émito ámplius: sin minus, relínquito, et álio te conférto. *Steph.* Bona est ista caútio. *Rudolph.* Memíneris ígitur, ut ipse póstea utáris. *Steph.* Ego, ut spero, recordábor diligénter. Num quid vis praetérea? *Rudolph.* Ut cures, quae tui sunt offícii, deínde lítteris incúmbas.

ELOCÚTIO.

Tímeo, ne hoc butýrum bonum non sit.
Oblectáre áliquem áliqua re.
Deléctor cáseo.
Cáseus cárior est pro mea pecúnia.
Oblectáre se cum áliquo ... oblectáre áliquem.
Dúbito de his frúctibus, sintne boni.
Dúbito an hi fructus boni sint.
Dúbius alicúius rei ... dubitáre de áliqua re.
Gustáre cibum ... gustáre áliquid primis vel prióribus labris, idem quod attíngere, delibáre, degustáre.
Álio me cónferam.
Ea potíssimum nobis curánda, quae nostri sunt offícii.

Collóquium XXVIII.

Arguméntum: ***De carnis emptióne. Divinátio ex coniectúris contra vulgi opiniónem de fortúna. Mali mores tenácius retinéntur. Linguae lapsus ex imprudéntia. Memória exercénda. Dóciles proficiunt admóniti.***

ALBÉRTUS, THOMAS.

Albert. Unde redis? *Thom.* E foro. *Albert.* Quid emísti? *Thom.* Carnem. *Albert.* Qualem? *Thom.* Vitulínam. *Albert.* Osténde, quaeso, fere nova res est hoc témpore. *Thom.* Vide. *Albert.* Bona vidétur mihi. *Thom.* Non fálleris, opínor. *Albert.* Quot sunt librae? *Thom.* Nolunt lánii appéndere vitulínam. *Albert.* Cur non? *Thom.* Propter novitátem. *Albert.* Vide astútiam: scílicet quisque vendit quam potest caríssime. *Thom.* Rem acu tetigísti. *Albert.* Quantum putas péndere? *Thom.* Duas libras, et paulo ámplius. *Albert.* Quanti emísti? *Thom.* Age, divína. *Albert.* Non sum divínus. *Thom.* Atqui multi divínant, qui tamen diví̇ni non sunt. *Albert.* Fíeri potest, sed ex quibúsdam coniectúris, alióqui divinátio vétita est divínis lítteris. *Thom.* Divína ígitur ex coniectúra. *Albert.* Emísti totum duóbus nummis? *Thom.* Paulo minóris. *Albert.* Quanti ergo? *Thom.* Tenta íterum. *Albert.* Uno nummo. *Thom.* Nolo te diútius torquéri de níhilo. *Albert.* Dic ígitur, sodes. *Thom.* Hoc totum cónstitit mihi tribus denáriis. *Albert.* Profécto fortúna tibi pulchra fuit. *Thom.* Quam mihi narras fortúnam? *Albert.* Hic mos est loquéndi. *Thom.* Mos, ut dícitur, tyránnus est péssimus. Atqui útinam bonos mores tam studióse colerémus, quam obstináte retinémus malos. *Albert.* Tunc mélius se habérent ómnia. *Thom.* Nos ígitur fortúnam istam éthnicis et ímpiis relinquámus. Fortúna nihil est: solus est Deus, qui favet nobis, solus est adiútor noster. *Albert.* Istud quidem certo scio, fidéliter credo et vere confíteor: sed quid agas? saepe lábitur lingua, nihil mali cogitánte ánimo. *Thom.* Oportébat te hoc meminísse, ne lingua praecúrreret mentem. *Albert.* Istud quidem didícimus e septem Sapiéntum dictis: sed non semper occúrrunt eiúsmondi pulchre dicta, licet ea mandavérimus memóriae. *Thom.* Tanto ígitur magis illa est exercénda, ut nobis, cum opus est, súppetat. *Albert.* Isto tuo admónitu discam esse álias prudéntior. *Thom.* Sed aúdio signum dari: desinámus.

Appéndere carnem.
Caro pendit tres libras.
Péndere pecúniam, vectígal, poenam, supplícium, magni.
Divináre futúra ... áliquid.
Fortúna tibi pulchra fuit ... fortunátus fuísti, fortúna favit tibi.
Mos tyránnus est péssimus.
Cólere bonos mores studióse.
Lapsus sum lingua ... lingua praecúrrit mentem.
Hoc mihi non occúrrit.
Non súppetit consílium ... nihil mihi súppetit; súppetit in tértia persóna idem quod adest, in promptu est, súfficit, satis est.

Collóquium XXIX.

Arguméntum: ***Áliquot nómina carnis génerum. Reprehénditur quidam imperíte locútus. Vivárium ferárum. Stips secréto data.***

STÉPHANUS, THEOBÁLDUS.

Steph. Nunc demum redis a foro. *Theob.* Quid demum? tanta fuit ad laniénam turba, ut vix accédere possem. *Steph.* Quas attulísti nobis carnes in diem crástinum? *Theob.* Búbulam et vervecínam. *Steph.* Estne in foro cárnium magna cópia? *Theob.* Tanta profécto, ut mirer tam caras esse. *Steph.* Nihil mirum; ut multae sunt carnes, ita multi, qui carnes edunt cotídie. *Theob.* Sed quae potíssimum vidísti carnis génera? *Steph.* Vidi búbulam, vitulínam, vervecínam, suíllam, haedínam, agnínam. *Theob.* Nihil-ne ámplius? *Steph.* Quid velis praetérea? *Theob.* Nihil ígitur erat ferínae? *Steph.* Non queo referre simul ómnia: immo étiam ferínam vidi. *Theob.* Qualem? *Steph.* Cervínam et aprúgnam: o quam pinguis est aprúgna! *Theob.* O quam inéptus es! *Steph.* Quid ita? *Theob.* Quia fálleris in rerum nomínibus. Nam quod in sue domé-stica dícitur arvína, id in sue fera, id est apro, callum vocátur, et est in eo génere duríssimum. *Steph.* Istud quidem audivísse non mémini. *Theob.* Nunc audísti: manda, si vis, memóriae. *Steph.* Tu vero, doctor, unde istud didicísti? *Theob.* Domi nostrae ferína caro res est frequentíssima. *Steph.* Unde vobis tanta est cópia? *Theob.* Pater habet ruri ferárum multárum vivárium, ex quo intérdum sólidi apri in urbem afferúntur. *Steph.* Quale est vivárium istud? *Theob.* Locus est fere quadrangulári forma amplíssimus,

muris altíssimis saeptus úndique, cónsitus multis et procéris arbóribus: inter quas sunt duméta máxime densa. *Steph.* Quales sunt illic árbores? utrum urbánae an silvéstres? *Theob.* Silvéstres fere omnes: sed in his sunt potíssimum quercus et fagi, quarum glande pascúntur cervi, apri, dammae. *Steph.* O quantas mérito grátias Deo debétis, qui vobis largítus est tantam rerum ómnium abundántiam! *Theob.* Non sumus immémores beneficiórum eius. Pater enim plúrima bona in paúperes érogat: quod tamen tibi uni dictum esse velim. *Steph.* Cur ita? *Theob.* Quia tália non vult praedicári. *Steph.* Tanto magis laudándus, quod Christi praecéptum vere séquitur, cuius verba apud Matthaéum scripta sunt: cum facis, inquit, eleemósynam, et quae sequúntur. *Theob.* Quoto cápite? *Steph.* Sexto, nisi me fallit memória. *Theob.* Sed haec háctenus, satis enim sumus collocúti, et iam ad disputándum convenítur. *Steph.* Eámus ígitur. *Theob.* Séquere me: aut, si mavis, praecéde. *Steph.* Ego neutrum fáciam, sed una íbimus.

ELOCÚTIO.

Magna hóminum turba est in foro.
Miror in tanta cárnium cópia eam tam caram esse.
Non queo referre ómnia carnis génera.
Brássica múria condíta nobis est res frequentíssima.
Unde vobis tanta cibórum cópia?
Hortus noster muris úndique saeptus est.
Sues pascúntur glándibus.
Páscere gregem ... pasci re áliqua, ut, bibliothéca alicúius, discórdiis.
Erogáre stipem in paúperes.
Praedicáre multa de se.
Praecédere áliquem ... áliquem auctoritáte, humanitáte, eruditióne.

Collóquium XXX.

Arguméntum: Colloquúntur discípuli inter se de vindémia et árborum frúctibus. Prudens respónsio. Provérbium: Saepe étiam est ólitor verba opportúna locútus. Per occasiónem pauca de praeceptóris in dictándis provérbiis diligéntia, et de discípulis paedagogórum praelectióne non onerándis, interseruntur.

THOMAS, VINCÉNTIUS.

Thom. Salve, Vincénti! *Vinc.* O Thoma, auspicáto ádvenis: valésne bene? *Thom.* Óptime, Dei benefício: tu vero, quómodo

vales? *Vinc.* Recte sane, Dei benefício, sed quando redísti domo? *Thom.* Núdius tértius. *Vinc.* Bene habet, opportúne venísti. *Thom.* Nempe sciébam instáre vacatiónis finem. *Vinc.* Placétne, ut otióse aliquámdiu confabulémur? *Thom.* Máxime, dúmmodo semóti simus ab hac turba clamósa ludéntium. *Vinc.* Bene mones, secedámus in auditórium illud, quod est apértum. *Thom.* Quam apte hic sedémus! Age loquámur líbere. *Vinc.* Suntne peráctae vestrae vindémiae? *Thom.* Omníno. *Vinc.* Quantum témporis posuístis in toto ópere? *Thom.* Dies círciter quíndecim. *Vinc.* Tu ígitur semper interfuísti? *Thom.* Nullum intermísi diem. *Vinc.* Quid agébas? *Thom.* Uvas saépius colligébam. *Vinc.* Verbo « colligébam » debuísti áliquid áddere. *Thom.* Quidnam, quaeso? *Vinc.* Et edébam. *Thom.* Quid opus fuit? de hoc nemo dúbitat. Quis enim fructus bonos et matúros legit, neque edit étiam ex óptimis? *Vinc.* Profécto recte lóqueris: euge, respónsum laudo. *Thom.* Iamne putavísti os occlusísse mihi? *Vinc.* Hoc ne cogitávi quidem. *Thom.* Quid ígitur? *Vinc.* Non exspectávi tam promptum tamque prudens respónsum. *Thom.* Nihil est, quod miréris. Nam, ut est in provérbio: Saepe étiam est ólitor verba opportúna locútus. *Vinc.* Cui debes provérbium? *Thom.* Magístro Iuliáno. Is enim dictat nobis intérdum provérbia eiúsmodi et pulchras senténtias ex bonis auctóribus deprómptas. *Vinc.* Óptime vobis cónsulit; sed quibus horis id solet fácere? *Thom.* Nonnúmquam post cenam: saépius autem, cum in auditório nihil debémus réddere. *Vinc.* Útinam sic omnes fácerent: dúmmodo ne sint impediménto cotidiánis scholae exercitatiónibus. *Thom.* Bene subiunxísti istam exceptiónem per advérbium dúmmodo. Sunt enim quidam paedagógi, qui suis dictátis et privátis disciplínis sic ónerant discípulos suos, ut non possint in schola satisfácere. Inde fit ut ipsi praeceptóres intérdum conquerántur de tálibus paedagógis. Sed quid ágimus? redeámus ad sermónem institútum. *Vinc.* Placet. *Thom.* Fuistíne semper occupátus in uvis colligéndis? *Vinc.* Opus illud paucis diébus absólvitur, proptérea quod ita magnus operariórum número ad id locári solet. *Thom.* Quid deínde fit? *Vinc.* Calcántur uvae: vinum haurítur e cupis maióribus; eádem ópera diffúnditur in dólia: deínde uvae ipsae, nondum expréssae, subiciúntur prelo in torculári: postrémo exportántur et abiciúntur vinácea. *Thom.* Atqui non curábas ista? *Vinc.* Immo curábam áliqua in parte. Nam agéndis ómnibus intéreram, máxime ut urgérem operários. *Thom.* Eras ergo illis tamquam praeféctus et quasi magíster óperum. *Vinc.* Immo étiam revéra magíster óperum et praeféctus. Pater enim me praefécerat. *Thom.* Quam gaudébas isto magistério; quam pulchrum erat vidére te cum tua gravitáte áliis imperántem,

álios adhortántem, álios dénique arguéntem! *Vinc.* Profécto, si vidísses, me dixísses álium esse quam in schola discípulum. *Thom.* Ut vídeo, non eras otiósus. *Vinc.* Immo ut bonus paterfamílias adhibébam saepenúmero manus óperi, ut ipsos operários meo exémplo instigárem. *Thom.* Non abs re, ut appáret, pater te huic múneri praefécit. *Vinc.* Nempe áliis in rebus expértus erat meam diligéntiam. *Thom.* Absit tamen verbo iactántia. *Vinc.* Ego sic intéllego: sed líbere sic loquor, ut cum familiári meo. *Thom.* Sed pergámus. Quanta est vobis vini cópia? *Vinc.* Medíocris, qualis fere hoc anno ubíque esse dícitur: tamétsi vinum rubéllum habémus áffatim, album non item. Verum quidquid est, conténti eo sumus, et de manu Dómini cum gratiárum actióne recípimus. *Thom.* Quot implevístis dólia? *Vinc.* Plus minus quadragínta: sed suntália áliis maióra. *Thom.* Heu! Non tibi vidétur magnus provéntus? *Vinc.* Satis quidem, sed non pro ratióne anni superióris. *Thom.* Quid refert? quanto minor est cópia, tanto etiam pluris veníbit. *Vinc.* Sic fere solet eveníre. Sed nonne tibi vídeor satis narrásse de vindémiis? Quid praetérea desíderas? *Thom.* Quóniam sic abundámus ótio, volo étiam áliquid ex te audíre de frúctibus árborum. Est enim quasi áltera vindémia. Nonne habétis multos? *Vinc.* Eórum sunt plena hórrea, quae est Dei benígnitas. *Thom.* Quando collécti sunt? *Vinc.* Quo témpore vinum faciebámus, família colligébat. *Thom.* Quae sunt vobis eiúsmodi frúctuum géne-ra? *Vinc.* Mala, pira, castáneae, iuglándes: sed malórum et pirórum multa est varíetas. *Thom.* Quid cotónea? non étiam habétis? *Vinc.* Immo habémus: sed ea malórum génere continéntur: unde et álio nómine appellántur mala cydónia. *Thom.* Quid autem attulísti huc rédiens? *Vinc.* Nihil, nisi quasíllum uvárum selectárum: sed síngulis posthac hebdómadis mihi afferéntur plenis saccis mala, pira, castáneae. *Thom.* Intérea da mihi, quaeso, áliquid ex uvis tuis. *Vinc.* Eámus in cubículum meum, illic dabo tibi. *Thom.* Équidem parátus sum: eámus. *Vinc.* Illic étiam agémus de repeténdo último in diem lunae collóquio. Nam, ut opínor, praecéptor éxiget.

ELOCÚTIO.

Quómodo váles? ... non satis recte váleo ... omnes recte valémus.

Semovére áliquid.

Muséum semótum a turba hóminum.

Quantum témporis auctor pósuit in hoc toto ópere? tres íntegros annos.

Légere cum cura ... poma.
Ex frúctibus óptimis édere.
Subiúngere exceptiónem.
Oneráre discípulos praelectiónibus ... promíssis áliquem.
Cónqueri de áliquo.
Locáre áliquos ... operários; locáre in matrimónium; locáre áliquid faciéndum alícui.
Diffúndere vinum in dólia.
Subícere prelo ... ignem, exémplum, tutélae.
Exprímere uvas torculári.
Urgére áliquem ... bello áliquem ...
Praefícere áliquem alícui ... ducem, imperatórem, magistrátum.
Praeféctus urbis.
Adhibére manum óperi.
Instigáre áliquem ... in áliquem, instigári exémplo praeceptóris.
Conténtus re áliqua ... natúra paucis conténta.
Magnus nobis hoc anno vini provéntus, sed non pro ratióne anni superióris.
Abundáre ótio.
Futúra hebdómada, afferéntur mihi pira plenis saccis.
Quasíllus uvárum.
Da mihi áliquid ex uvis tuis ... ex pane tuo.

Collóquium XXXI.

Arguméntum: ***Ólerum quorúndam nómina enumerántur. Morétum Vergiliánum. Laetítia ob rem culináriam. A púero fructus et ólera cárnibus praeferúntur. Studiósis satis sit módicum aliméntum. Paréntes aegre ferunt, nisi fílios in schola bene curátos vident. Matrum indulgéntia. Paréntum amor in líberos non fácile immutátur.***

THEODÓRUS, VENÁNTIUS.

Theod. Ubi fuísti hódie post prándium? *Ven.* In horto praeceptóris. *Theod.* Quid illuc íeras? *Ven.* Ille me míserat petítum ólera. *Theod.* Quae tandem ólera collegísti? *Ven.* Vix enumeráre possum ómnia. *Theod.* Saltem quae occúrrent memóriae. *Ven.* Sed cur istud quaeris? *Theod.* Ut ínterim recordémur áliqua rerum nómina, quae párvuli didícimus. *Ven.* Pulchra est exercitátio, praesértim cum áliquid nobis súppetat ótii. Audi ígitur: collégi állia, serpyllum, pórros, cepas, nastúrtium, cumínum, feníc ulum,

thymum, amáracum, hyssópum, ápium, sálviam, saturéiam. *Theod.* Herbae sunt oléntes, quas adhuc enumerásti. *Ven.* Sic instítui, memóriae grátia. *Theod.* Perge porro. *Ven.* Paucae quidem restant, ut beta, cichórium, lactúca, óxalis, cruca, brássica, portuláca: plures non occúrrunt. *Theod.* Qui potuísti tot meminísse? *Ven.* Praecéptor mihi déderat scriptum catálogum. *Theod.* Et nóveras omnes? *Ven.* Noram: alióqui eum interrogávi. *Theod.* At ego non novi omnes, quamvis nómina didícerim. *Ven.* Ego tibi plures étiam demonstrábo, cum licébit nobis in hortum ire. *Theod.* Multúmne attulísti? *Ven.* Plenum cálathum. *Theod.* Sed de síngulis quantum? *Ven.* Nimis es curiósus: quid vis? de síngulis áttuli quantum opus fuit. *Theod.* Quamquam curiósus tibi vídeor, tamen hoc mihi velim respóndeas: Scin'tu, in quem usum praecéptor tot ólerum génera curet apparánda? *Ven.* Partim ut ius bene condiátur, partim ut minútal ex oléribus fiat. *Theod.* Quam bene cónsulit nobis! *Ven.* Óptime, sed tamen ea non est causa praecípua. *Theod.* Quaenam ígitur? *Ven.* Legistíne umquam morétum Vergílii? *Theod.* Carmen équidem legi: sed morétum numquam edi nec vidi, quod sciam. *Ven.* At vidébis, spero. Nam praecéptor uxórem dócuit confícere: et illa confécit ex eius praescrípto. *Theod.* An apponétur nobis áliquid in cenam boni? *Ven.* Saltem ius cárnium pingue, bene condítum, carnes óptimae, et minútal ex oléribus. *Theod.* Unde scis ista? *Ven.* Ómnia vidi in culína, cum iussus sim adiuváre, praecípue in meis oléribus repurgándis. *Theod.* Quid morétum? non saltem gustábimus? *Ven.* Immo dábitur nobis: nam conféctum est quod satis sit ómnibus. *Theod.* Ista mihi sápiunt magis, praesértim aestáte, quam carnes ipsae, aut piscículi. *Ven.* Optáverim profécto ut servéntur carnes in híemem, et ut tota aestáte ólera et fructus esitémus. *Theod.* Atqui, ut accépi, ista minus alunt. *Ven.* Id ego audívi quoque aliquóties: sed quid opus est tanto studiósis aliménto? *Theod.* Non tanto, fáteor, si tamen paréntes nos vidérent pállidos et maciléntos, statim eius rei culpam assignárent praeceptóri: nonne sic est? *Ven.* Non est dúbium: sed quid agas? Paréntes, praecípue matres, nobis indúlgent nímium. *Theod.* Vera quidem dicis: sed tu ínterim matris indulgéntia libénter frúeris. *Ven.* Quasi vero tu minus. *Theod.* Ne méntiar, quod tibi adscríbo, in me quoque frequénter expérior. *Ven.* Non póssumus paréntum erga nos afféctum, nisi nostris vítiis, immutáre, tantum caveámus eórum abúti benevoléntia: sed imprímis laudémus illum Patrem nostrum benignísimum, qui nobis tales paréntes dedit. *Theod.* Ista libens aúdio; sed nos hora vocat. *Ven.* Age, finem imponámus.

ELOCÚTIO.

Occúrrere memóriae.
Si áliquid ótii súppetet ... si vita súppetet.
Sumptus ei súppetunt ... pecúnia ei súppetit.
Cálathus plenus pirórum vel piris.
Affer mihi de síngulis frúctibus.
Curiósus in áliqua re, vel, alicúius rei.
Accípitur in bonam vel malam partem.
Fácere minútal ex oléribus.
Áliquid boni nobis appósitum est in cenam.
Esitáre ólera.
Assignáre alícui culpam alicúius rei.
Imputáre alícui culpam.
Adscríbere alícui áliquid.
Impónere finem alícui rei.
Paréntum amor in líberos non fácile immutátur.

Collóquium XXXII.

*Arguméntum: **De iis, quae in óculos íncidunt. Amícus amíco, nulla spe mercédis addúctus, opitulátur. Óculus membrum inter exterióra nobis caríssimum. Zacharíae locus de pupílla óculi. Experiéntia. Iocus oblíque notátus. Iocándum intérdum, modo cum fructu.***

GEÓRGIUS, AEGÍDIUS.

Georg. Óbsecro te, Aegídi, da mihi óperam paulísper. *Aeg.* Quid hoc est? *Georg.* Néscio quid íncidit mihi in óculum, quod me habet valde male. *Aeg.* In utrum óculum íncidit? *Georg.* In dextrum. *Aeg.* Vis inspíciam? *Georg.* Ínspice, precor te. *Aeg.* Áperi, quantum potes: ac tene immóbilem. *Georg.* Non queo a nictu continére. *Aeg.* Mane, égomet tenébo sinístra manu. *Georg.* Ecquid vides? *Aeg.* Vídeo áliquid minútum. *Georg.* Éxime, quaeso, si potes. *Aeg.* Quin iam exémi. *Georg.* O factum bene! Quid est? *Aeg.* Cerne tu ipse. *Georg.* Est mica púlveris. *Aeg.* Et quidem usque ádeo pusílla, ut vix cerni possit. *Georg.* Vide, quantum dolóris áfferat óculis res tam exígua. *Aeg.* Haud mirum quidem. Nullum enim e membris exterióribus óculo tenérius esse dícitur. Inde étiam fit, ut experiámur nihil esse nobis cárius. *Georg.* Hoc Deus ápprobat, cum de sua in nos caritáte loquens apud Zacharíam C. 2,8. sic ait: Qui vos tangit, tangit pupíllam óculi mei.

Aeg. O imménsam Dei bonitátem, qui nos tantópere caros habet! *Georg.* Num mihi rubet óculus? *Aeg.* Aliquántulum, nempe quia fricuísti. *Georg.* Credin'tu adhuc mihi dolére? *Aeg.* Quidni credam, qui tóties talem moléstiam sum expértus? *Georg.* Experiéntia est rerum magístra. *Aeg.* Ita vulgo dícitur. *Georg.* Quid prétii dabo isti médico pro labóre? *Aeg.* Quantum pacti sumus. *Georg.* Brevis est conclúsio: ergo nihil, sed tamen hábeo tibi grátiam: atque útinam detur referéndae locus. *Aeg.* Quin pótius avértat Deus. *Georg.* Bene correxísti, díxeram imprudénter, at sine dolo. *Aeg.* Sic accépi: sed ínterim iocári licet, praesértim, ut in lingua latína nos exerceámus. Intérea vale. *Georg.* Vale, Aegídi caríssime.

ELOCÚTIO.

Íncidit mihi pulvis in óculos.
Hoc me valde male habet ... máximum mihi parit dolórem, infert, éxcitat, affert.
Non queo óculos continére a nictu.
Continére risum, lácrimas, cupiditátes, se domi.
Exímere dentem ... áliquem ... número ... alícui curam.
Tam exígua res máximum affert óculis meis dolórem.
Nihil óculo tenérius.
Qui pios tangit, tangit pupíllam óculi Dei, Zach. C. 2 v. 8.
Óculus mihi rubet.
Pacísci cum áliquo de áliqua re, sive áliquid.
Útinam darétur mihi locus referéndae grátiae.
Exercére se áliqua re, vel, in áliqua re.

Collóquium XXXIII.

Arguméntum: ***Reprehénditur neglegéntia in cultu córporis. Excusátur a penúria rei nummáriae. Verecúndia in peténdo. Mediócritas et modus. Verecúndia ubi sit uténdum. Hóminum socíetas. Abúsus in rebus. Hortátio ad peténdam fidúciam. Exémplum admonitiónis líberae inter familiáres.***

VINCÉNTIUS, ALEXÁNDER.

Vinc. Demíror tuam neglegéntiam. *Alex.* Qua in re tandem? *Vinc.* Quod te non curas diligéntius. *Alex.* Ego vero me curo fortásse nimis. Satis edo, bibo, dórmio, quae est Dei erga me

benígnitas: praetérea pecto capíllum, lavo manus, fáciem, dentes, óculos, et haec mane praecípue, quin étiam, cum tempus póstulat, corpus exérceo, reláxo ánimum, et ludo cum céteris, quid vis ámplius? *Vinc.* Mittámus ista, non ea sunt, quae in te repreháendo. *Alex.* Quid ígitur? *Vinc.* Circúmspice vestiménta tua a calce ad vérticem: nihil íntegrum invénies, ómnia sunt lácera et obsoléta, ista profécto nequáquam vestrum genus decent; si saltem curáres vestítum tuum sarciéndum, aut quoquo modo instaurándum. *Alex.* Lóqueris tu quidem, quae libent: quod si paréntes habéres tam procul remótos, fortásse non esses elgántior. Si mihi pecúnia suppéteret, non páterer me usque ádeo pannósum esse. *Vinc.* Nec ídeo tamen cares neglegéntia. Cur enim non petis aliúnde mútuo? *Alex.* Unde petam? *Vinc.* Si non aliúnde: certe a praeceptóre possis. *Alex.* Quid si dare nolit? *Vinc.* Némini dénegat ex díscipulis domésticis: si quidem videt opus esse. *Alex.* Id ego non ignóro: sed sum verecúndior, quam ut aúdeam ex eo pétere. *Vinc.* Ah! rústicus est iste pudor. *Alex.* Malo tamen verecúndus esse quam ímpudens. *Vinc.* Verecúndia, ut dixit quidam, est bonum in adulescénte signum: sed ubíque adhibénda est mediócritas. *Alex.* Ego eo sum ingénio, ut semper vérear offéndere quémpiam. *Vinc.* Ingénium laudo: sed est modus in rebus. Nam ille offendéndi metus habére locum debet in rebus malis, aut certe indecóris: hic vero nihil tale vídeo. Est enim usitátum in hóminum societáte, ut álii aliórum ópera indígeant: Quis ígitur mihi vítio dabit, si quid ab amícis aut commodáto petam, aut mútuo? *Alex.* Nemo repreháendet, nisi forte rebus eiúsmodi abúti velis. *Vinc.* Tu vero, quantum ego te novi, abúti nolis. *Alex.* Ápage istum abúsum. *Vinc.* Quid ergo iam obstat, quo minus petas, praesértim ab hómine facíllimo, tuíque, ut appáret, amantíssimo. *Alex.* Age, petam: sed per epístulam, quam ut reddas, tibi dabo. *Vinc.* Reddam profécto libentíssime, teque illi commendábo diligénter. *Alex.* Équidem non parvam tibi grátiam hábeo, quod me tanti féceris, ut ad hanc fidúciam sis hortátus. *Vinc.* Nunc restat, ut scribas, quam dicis epístulam, réliqua mihi commíttas. *Alex.* Bene vertat Deus, quod coépimus. *Vinc.* Ne dubitáveris: res próspere succédet.

ELOCÚTIO.

Relaxáre alvum.
Vestiménta lácera et obsoléta.
Curávi vestítum sarciéndum.
Instauráre túnicam advérsus híemem.

Instauráre bellum.
Carére neglegéntia.
Dare vítio alícui áliquid ... hoc datur, vértitur tibi crímini, vítio.
Quod áliis vítio vertis, tibi laudi ne dúxeris.
Ápage istum abúsum.
Homo facíllimus.
Ego sum amántior tui.
Appáret hunc esse amantíssimum tui.
Res próspere succédet.

Collóquium XXXIV.

*Arguméntum: **Baptísta domum se non ante dicit itúrum, quam Deo visum fúerit: aut ipse a patre arcessátur. Paréntibus mos geréndus est. Sermónes nostri non debent esse infructuósi. Exémplum oboediéntis fílii.***

AEGÍDIUS, BAPTÍSTA.

Aeg. Quando vis abíre domum? *Bap.* Néscio. Ubi Deo visum fúerit, id enim pendet ex voluntáte eius, non mea. *Aeg.* Quid si te arcéssat pater? *Bap.* Tunc intéllegam Deum sic velle, ideóque parébo. *Aeg.* Quid si ália fúerit Dei, ália patris tui volúntas? *Bap.* De hoc non est meum disputáre; sed, ut confído, pater non témere me arcésset. *Aeg.* Ego quoque non áliter séntio: sed vólui tantísper tecum fabulári. *Bap.* Gaúdeo hunc nostrum sermónem non fuísse fabulósum. *Aeg.* Útinam in scholis frequentióres essent sermónes eiúsmodi. *Bap.* Tum erunt, cum Deus ipse puerórum ánimos timóre sui affécerit. *Aeg.* Ergo precémur eum, ut id brevi contíngat.

ELOCÚTIO.

Témere arcessítus sum a patre.
Sermónes eiúsmodi frequéntes sunt in foro.
Affícere timóre sui ánimum alicúius.
Contíngat hoc númquam, ne contingat hoc umquam.

Collóquium XXXV.

Arguméntum: ***Confabulátio de profectiónis in Itáliam causa. Locórum fama et rerum novárum cupíditas nos indúcunt ad peregrinándum. Laus Itáliae.***

ALEXÁNDER, BENÍGNUS.

Alex. Salve, ambulátor optatíssime. *Benign.* Et tu salvus sis, cessátor occupatíssime. *Alex.* Satísne recte vales, mi Benígne? *Benign.* Immo rectíssime, quae est Dei óptimi máximi benígnitas. *Alex.* Équidem ex ánimo gaúdeo: tibíque veheménter grátulor réditum istum incólumem; ubi fuísti hoc toto anno? *Benign.* In Itália. *Alex.* Quam ob causam ánimum indúxeras illuc proficísci? *Benign.* Ob famam regiónis: de qua tam multa ubíque praedicántur. Nec ignóras, quam simus rerum novárum cúpidi. *Alex.* Sic est natúra comparátum: sed quid illic invenísti? *Benign.* Certe multo plura, quam ex fama audíveram. *Alex.* Multa, credo, vidísti. *Benign.* Sed quod ad regiónem áttinet, terra est longe fertilíssima, omni optimórum frúctuum génere valde abúndans, praecípue vino praestantíssimo. *Alex.* Scílicet ea potíssimum res tibi arridébat. *Benign.* Ut verum fátear, mire afficiébat palátum. *Alex.* Sed quid tandem egísti in Itália? *Benign.* Invísi, ánimi grátia, áliquot urbes celebrióres: alícubi etiam stúdui aliquámdiu. *Alex.* Quas urbes invisísti potíssimum? *Benign.* Multas quidem vidi in tránsitu: sed paucas contemplátus sum otiósus; nimírum Génuam, Floréntiam, Venétias, dénique Romam illam, quae orbis terrárum caput dícitur. *Alex.* Vidistíne Summum Pontíficem? *Benign.* Vidi, cum in Templum Petriánum veherétur. *Alex.* Visitastíne étiam statiónem radiophónicam Vaticánam? *Benign.* Ita sane et ibi recordátus sum matris meae, quae cotídie orándo comitátur rosárium illinc emissum. *Alex.* Spero te quoque intérdum matris tuae oántis sócium esse. *Benign.* Intérdum sane, sed fáteor me nonnúmquam circa eándem horam álias sequi cum amícis rádio-emissiónes, televisiónes vel étiam spectácula cinematográphica. *Alex.* Tibi símilis es! Sed digréssi sumus. Revertámur ad iter tuum. In quibus óppidis commorátus es studiórum grátia? *Benign.* Roma rédiens tránsii Bonónia, Patávio, Medioláno. In his síngulis úrbibus menses círciter tres versátus sum in vário litterárum génere. Vólui enim e síngulis paúcula quasi degustáre. *Alex.* Quid autem vidísti novi in tot celebérrimis úrbibus? *Benign.* Rogas? ómnia fere mihi nova videbántur: sed longum est ómnia tibi narráre, praesértim nunc, cum mihi est áliquo properándum.

Alex. Quo tandem? *Benign.* Ad pátruum, qui me ad cenam invitávit. *Alex.* Nolo ígitur te remorári diútius, sed quando licébit nobis magis otióse confabulári? *Benign.* Cras post prándium, si volúeris. *Alex.* Ego vero id percúpio. *Benign.* Ad horam ígitur primam exspécta me in cubículo. *Alex.* Fiet, hora est ad meréndam opportúna.

ELOCÚTIO.

Non satis recte váleo.
Várie válui.
Rectíssime váleo, quae Dei est benígnitas.
Grátulor tibi réditum incólumem.
Non indúco ánimum illis crédere.
Indúxi ánimum proficísci Romam.
Rerum novárum cupíditas indúxit me ad peregrinándum.
Plura vidi Venétiis, quam ex fama audívi.
Terra frúctibus abúndans ... terra fertilíssima.
Comparáre áliquid alícui ... áliquid cum áliquo ... quaedam inter se.
Nullo modo cum áliis comparándus.
Offérre arguméntum.
Amáre ad delícias áliquem.
Terra sua sponte prodúcit flores.
Súmere vinum moderáte.
Áffici ánimo ita ... áffici delectatióne ... metu ... praémio.
Concípere cogitatiónes.
Extínguere ignem.
Invísere urbes.
Roma orbis terrárum caput dícitur.
Tres annos círciter in vário litterárum génere versátus sum.
Áliquem transíre ... ad hostes ... flumen, mare ... siléntio.
Tránseat hoc.
Remorári áliquem a re áliqua ... remorári spem alicúius.
Ire in milítiam.
Est belli, milítiae.
Valedícere lítteris.
Iam pridem bibliopólae fílium cepit litterárum satíetas.
Matre invíta proféctus est.
Lúdere álea ... latrúnculis lúdere vel proélia latrónum lúdere; manubriáto retículo ac pila lúdere; manubriáti retículi ludus.
Áleam subíre.
Frater revénit ex Gállia ... rédiit bírota automatária, rhaeda automatária, autocinéto, aëronávi, velívolo.

Si recte méminit mater.
Excípere áliquem vultu seréno, fronte seréna ... áliquem hospítio.
Excípere verba alicúius.
Non sustíneo te aspícere.
Sustinére partes cónsulis ... áliquem auctoritáte sua.
Nec salutatióne nec allóquio pater dignátus est fílium.
Abi e conspéctu meo.
Hac nocte contubernális meus non cúbuit domi nostrae.
Ira defervéscit.
Mitigáre patrem irátum.
Redíre cum áliquo in grátiam.
Excandéscere ira.
Accípere áliquem gráviter ... leníre iram ... cessátum est a lusu.

FINIS LIBRI QUINTI ET ULTIMI

INDEX

Hoc quicumque cupis carmen cognoscere lector ...
Prooemium

LIBER PRIMUS

QUI EST DE RUDIMENTIS ET PRIMIS STUDIORUM INITIIS, ET QUO PRIMUM DISCIPULORUM INTER SE, DEINDE IPSORUM CUM PRAECEPTORIBUS COLLOQUIA CONTINENTUR.

Colloquium I. 11

Duo discipuli ad praelectionem repetendam se parant. Quae quis in schola didicerit, saepe repetenda.

Colloquium II. 12

Exordium est repetendae praelectionis.

Colloquium III. 12

Idem cum proximo superiore.

Colloquium IV. 13

Exordium est colloquendi. Qui bene agit, ne reprehendatur non timet. Prudenter igitur facit, qui praeceptum illud usurpat: Sic age, ne timeas.

Colloquium V. 14

Admonitio brevis, sed discipulis aptissima.

Colloquium VI. 14

Idem est argumentum ac superius: Praeterea qui errat, corrigitur ab altero et admonetur. Laudatur memoria, et divinum esse donum agnoscitur.

Colloquium VII. 15

Otto et Paulus certant, uter melius pronuntiet aliquid eorum, quae in schola edidicerint. Praetorius iudex. Exemplum honesti studiorum certaminis.

Colloquium VIII. 17

Robertus et Saturninus ante lusum tractant studiorum aliquid. A lusu ad studium reditur difficilius. Exemplum iuvenum studiosorum.

Colloquium IX. 19

Attingitur differentia inter hortum et hortos. Rerum nomina tenere non satis est, nisi res ipsas cognoscamus.

Colloquium X. 20

Nominum secundae declinationis repetitio. Repetitiones confirmandae memoriae serviunt.

Colloquium XI. 21

Nominum tertiae declinationis repetitio. Tempore non est abutendum. Praeceptor non est metuendus in re bona.

Colloquium XII. 23

Adiectivi tertiae declinationis repetitio.

Colloquium XIII. 23

Nominum tertiae et quartae declinationis repetitio. Repetitiones saepius iterandae.

Colloquium XIV. 24

Verbi secundae coniugationis repetitio. Lusibus statuendus est modus. Studia iucunde conferenda.

Colloquium XV. 25

Verbi tertiae coniugationis repetitio. Studiorum collatio comis esse debet, nec austera. Gratulandum aliis, si officium recte faciunt.

Colloquium XVI. 26

Verbi quartae coniugationis repetitio. Utilitas publica omnibus modis procuranda.

Colloquium XVII. 27

Andreas cuiusdam orationis partes et adiuncta audit ex Beato.

Colloquium XVIII. 28

Duo pueri diligenter repetunt, quae sunt in auditorio reddituri. Exemplum diligentiae in pueris, pro captu aetatulae. Utinam aetate et doctrina provecti hoc imitarentur exemplum.

Colloquium XIX. 29

Discipulus ultro salutatum venit praeceptorem, comiter ab illo excipitur, reddit, quae praescripta fuerunt. Laudatur a magistro. Deum laudat, munusculis blandis invitatur. Exemplum ad iuvenes blande et comiter in schola tractandos, ne severitate disciplinae absterreantur.

Colloquium XX. 31

Discipuli extra ordinem ludendi veniam petunt.

Colloquium XXI. 32

Magister a discipulo interrogatus, respondet humaniter. Bonus praeceptor bene optat discipulis. Regula citra exceptionem vix ulla est. In dubiis grammaticis consulendae sunt regulae. Studiosus doctos ad imitandum observare debet. Praeclara opera longiore tempore indigent. Experientia. Patrum indoctorum stultitia. Tempus exspectandum. Scientia magnis laboribus comparatur. Exemplum boni praeceptoris et discipuli studiosi.

Colloquium XXII. 35

Paedagogus a puero rationem studii exigit: reddit puer alacriter. Admonetur, ut a mendacio caveat. Formula ad verborum declinationem pueris breviter indicandam, postquam exempla generalia didicerint.

Colloquium XXIII. 37

Discipulus magistrum de dubio quodam consulit. Magister benigne respondet. Analogiae non ubique fidendum. Latinitas quibus constet maxime. Aetatis progressus quid requirat. Omnis profectus noster Deo tribuendus.

Colloquium XXIV. 38

Discipuli, qui in cotidiano sermone ad latine loquendum diligenter exercentur, multa discunt sine regulis grammaticis. Bene precandum omnibus, maxime nostris.

Colloquium XXV. 40

Parvulus puer ludendi copiam sibi et condiscipulis impetrat.

Colloquium XXVI. 41

Exemplum ad discipulos in rebus latinis germanice vertendis paulatim exercendos.

LIBER SECUNDUS

QUI EST DE LITTERARUM STUDIIS REBUSQUE EO PERTINENTIBUS ET EXERCITATIONIBUS LUDICRIS.

Colloquium I. 47

Discipulus de diligentia in litteris admonitus, frustra ait se moneri, quod aliquam artem malit discere, quam litteras. Cui ars discenda sit ingenio suo apta.

Colloquium II. 50

Discipulus infeliciore ingenio docetur, quibus adminiculis ad eruditionem fiat progressus. Virtutis studium non parum ad eruditionem adipiscendam confert. Qui virtutis rationem habet, dotibus animi augetur a Deo.

Colloquium III. 53

Hic probi adulescentis admonitio contemnitur ab improbo. Scientia res inaestimabilis. Misericordia. Bona externa per-

dunt multos. Divitiae sunt Dei donum, virtutis et scientiae possessio. Mens bona.

Colloquium IV. 55

Patris docti diligentia in filiis domi docendis. Beneficium Dei agnoscendum ab iis, qui bonos parentes habent. Fratres ex fide in Christum.

Colloquium V. 59

Eduardus et Felix conferunt annos suos. Laudatur docti paedagogi diligentia: item boni patris prudentia in liberorum instituendorum cura. Agnoscitur ea in re Dei beneficium. Exemplum exercitationis in lingua latina a teneris annis peractae.

Colloquium VI. 61

Liber eleganter compactus ostentatur. Reprehenditur stulta quaestio: excusatur, quasi iocus fuerit. Iocus inter familiares usitatus. In iocis nostris Deus non est offendendus.

Colloquium VII. 63

Georgius ab Henrico librum commodato petitG non dat Henricus, quia iam alteri dederat. Idem mavult iniuriam pati, quam accusare condiscipulum ob privatam iniuriam. O caritatem rarissimam! Consilium bonum res est tutissima.

Colloquium VIII. 64

Quaeritur liber per oblivionem relictus. Arguitur neglegentiae, qui reliquit.

Colloquium IX. 65

Liber inventus redditur suo domino. Summo iure non est semper agendum Leges scolasticae. Leges aequitate regendae. Causa sine periculo. Petitur gratiae relatio. Exemplum hoc est caritatis.

Colloquium X. 67

Ludovicus et Maximilianus suos sibi vicissim libros enumerant. Legendi interdum libri extraordinarii: praestat sero quam numquam discere.

Colloquium XI. 68

Liber commodato petitur, isque impetratur, sed ab alio quodam repetendus. Beneficio non abutendum.

Colloquium XII. 69

Repetitur commodatum, dilationem petit, qui commodato accepit, eamque impetrat.

Colloquium XIII. 70

Brevis confabulatio, sed doctrina plena. Vir bonus et prudens occasionem docendi capit e re minima.

Colloquium XIV. 71

Amici libera reprehensio si bene accipiatur, haud mediocriter prodest.

Colloquium XV. 72

Oblata occasione quidam profectus sermonem ad parvuli captum, docendi gratia, accommodat. Exemplum est, quod nulla bene agendi occasio, praesertim in docendo, sit praetermittenda.

Colloquium XVI. 74

Quidam occupatus in merenda monetur instare praelectionis tempus: Sic iuvenes studiosos mutua decet admonitio.

Colloquium XVII. 75

Discipulus languens parentum desiderio retinetur a praeceptore, et a condiscipulis, ne domum abiens perdat tempus, admonetur.

Colloquium XVIII. 76

Scripturus quidam detractat praelectionem repetere. Ludo temporis, quid detrahendum, idque studiis impendendum. Exemplum pueri lusibus dediti.

Colloquium XIX. 78

Valerianus arguit Augustinum neglegentiae. Augustinus fatetur culpam: promittit diligentiam in posterum. Exemplum bonae indolis in iuvene.

Colloquium XX. 79

Excusatur cuiusdam in lignis struendis occupatio, quod ad scholam non veniat.

Colloquium XXI. 80

Vehementer dolet Bernardus se a suorum studiorum socio Christophoro deseri, adeo ut ne amicis quidem et salutaribus admonitionibus leniatur dolor. Locorum intervallum non semper dirimit amicitias.

Colloquium XXII. 82

Doctrina pueris maxime necessaria. De fugienda videlicet pravorum consuetudine, et maxime impostorum. Exemplum amici fidi in dando consilio.

Colloquium XXIII. 84

Quidam, quod afuerit, quaerit ex condiscipulo, quid actum sit in auditorio.

Colloquium XXIV. 85

Puer cenatus praelectionem repetit. A cena non statim studendum. Praelectiones saepius legendo facile ediscuntur.

Colloquium XXV. 86

Ferdinandus conferre studet de oratione sacra: Georgius recusat atque offenditur. Exemplum in morum dissimilitudine.

Colloquium XXVI. 88

Gregorius Hugonem ad repetendam praelectionem invitat. Exemplum diligentiae in studio.

Colloquium XXVII. 89

Praemii parvitas contemnitur a sordido. Praemium non lucri, sed honoris causa datur.

Colloquium XXVIII. 89

Omnis victoria, nisi ad Dei gloriam referatur, mera est vanitas. Victoria modesti adolescentes recte utuntur: stulti contra faciunt. Curiositas. Discipulis tria potissimum curanda. Sine Deo nihil fit boni. Spiritus divinus in nobis operatur. Omne bonum a Deo esse confitendum est. Deus auctor fidei, idem et perseverantiae. Spes bona. Adulescentium ingenuorum consensio in bonum.

Colloquium XXIX. 93

Latinus sermo colloquiis exercetur. Colloquiorum materia. Otiosus sermo qui sit. Docilitas.

Colloquium XXX. 95

Martinus et Nicolaus iocantes se exercent in usu et syntaxi huius nominis: domus; et obiter alia simul tractant. Sine Dei voluntate nihil fit.

Colloquium XXXI. 97

Euntes in scholam latine loquuntur. Simile gaudet simili. Improborum mores probis odiosi.

Colloquium XXXII. 99

Res ad bonam scripturam necessaria. Probus puer bene merendi occasionem non modo exspectat, sed etiam quaerit. Caritas Christiana. Spiritus auctor eius. Exemplum diligenter notandum.

Colloquium XXXIII. 101

De emptione scalpelli librarii et eius exploratione. Solus Deus bona docet.

Colloquium XXXIV. 103

Consilii mutatio propter spem lucri. Consilium bonum etiam inimicis dandum. Christus magister optimus. Doctrina Christi studiose sequenda Spiritus divini instinctu.

Colloquium XXXV. 103

Scalpellum commodato petitur, datur, sed addita condicione. Qui commodo accepit, non debet abuti commodato.

Colloquium XXXVI. 104

Cultellus datur commodato, sed aegre.

Colloquium XXXVII. 105

Theodorus et Villerius de scalpello recens empto colloquuntur. Res inventa restituenda est domino, si cognosci potest. Inventori dandum aliquod praemium. Deus precandus et laudandus.

Colloquium XXXVIII. 107

Pennae venales. Diversa vivendi ratio pro locorum diversitate. Hic observa communem emptorum morem, qui tot verbis conantur de pretio proposito aliquid detrahere.

Colloquium XXXIX. 109

Arnulphus a Bernardo pennam commodato petitam accipit.

Colloquium XL. 109

De lapide et penna.

Colloquium XLI. 110

De lapidibus emptis et acuendis.

Colloquium XLII. 111

Eduardus et Fridericus experiuntur atramenti sui mixturam. Mediocritas. Experientia. Ex duobus corruptis aliquid boni componitur.

Colloquium XLIII. 114

De emptione chartae. Auctarium in emptione. Suam quisque utilitatem curat.

Colloquium XLIV. 114

Quidam ex iis, qui profecti sunt, dissimulanter recusat iuveni chartam in libellum compingere: sed oblata occasione de minutis rebus cum illo fabulatur, ut eum sic in lingua latina exerceat. Eadem opera, ut iuvenis caritatis exemplum discat, compingit ei libellum chartaceum. Postremo illum paucis et brevibus praeceptis instituit. Exemplum dissimulationis in bonum.

Colloquium XLV. 117

Duo discipuli de usu chartarum pueriliter disputant.

Colloquium XLVI. 118

Charta mutuo data reposcitur. Prudentis est prius referre in codicem expensi, quam aliquid credere sive dare mutuo.

Colloquium XLVII. 119

De scriptione colloquuntur.

Colloquium XLVIII. 120

Ludovicus Michaeli vult dictata describere. Michael permittere non audet, ne a praeceptore arguatur. Nec fallendum, nec mentiendum est. Praestat discipulum timidiorem esse, quam audaciorem.

Colloquium XLIX. 121

Evocatur Michael a fratre per Augustinum internuntium.

Colloquium L. 122

In hoc colloquio quaesita est colloquendi materia ex simulato ludendi praetextu. Exemplum bonae indolis iuvenum, cum alter bene monet, alter paret sine controversia.

Colloquium LI. 123

Invitatio ad animum relaxandum. Corporis exercitatio confert valetudini.

Colloquium LII. 123

Invitatio ad ambulationem. Dei opera invitare debent ad eum imitandum.

Colloquium LIII. 124

Invitatio ad lusum. Eventus ludi. Quidquid nobis accidit, est boni consulendum. Ditare aliquem solius est Dei. Spe lucri non est ludendum. Ethnicorum doctrina de fortuna. Admonitio careat odio et invidia. Solus Deus est animorum scrutator. Exemplum admonitionis mutuae.

Colloquium LIV. 126

Invitatur ad lusum quidam: ille studium praefert lusui. Exemplum rarum pueri studiosi. Omnia tempus habent. Utendum remissionibus in tempore.

Colloquium LV. 127

Silverius et Theodorus parant se ad ludendum pila manuali.

Colloquium LVI. 128

Non solum nobis nati sumus, sed alius alium sollicite curare debet in tempore. Exemplum tempestivae admonitionis.

Colloquium LVII. 129

Diligentiae laus.

LIBER TERTIUS

De moribus aliisque extra litterarum studia actionibus.

Colloquium I. 133

Praeceptum de parentum oboedientia refertur ad omnes, qui nobis praesunt. Contentiones vitandae.

Colloquium II. 134

Admonitio de civilitate morum.

Colloquium III. 135

Duo ad tonsorem euntes colloquuntur. Nemo gaudet se adiri intempestive.

Colloquium IV. 136

Desiderius et Dionysius colloquuntur de matrimonio. Adolescens doctus et bene moratus. Puella bene instituta. Exemplum prosperi coniugii.

Colloquium V. 137

Docti adulescentis colloquium cum puero qui mediocriter profecit. Admonitio ad praestandam mutuam opem. Precatio. Quid pueris agendum, cum mane surrexerint. Deus agnoscendus est adiutor. Spes certa in Deo posita neminem frustratur. Philosophi ethnici multa verbo divino consentanea dixerunt.

Colloquium VI. 139

Admonitionem bonam iuvenis bonus in partem bonam accipit et gratias habet monitori.

Colloquium VII. 140

Gabriel Germanum christiane et humaniter admonet: eidem bene ultro facit. Caritas. Verecundia in petendo. Liberalis in dando, petere quoque non dubitat.

Colloquium VIII. 141

Admonitus monitorem vicissim monet. Suspectus caveas, ne sis miser omnibus horis; nam timidis et suspectis aptissima mors est. In suspiciosos.

Colloquium IX. 142

Desiderius Iacobum monet, ne sit curiosus alienarum rerum percontator. Horatius: Percontatorem fugito: nam garrulus idem est: Nec retinent patulae commissa fideliter aures. Exemplum in percontatores.

Colloquium X. 143

Lambertus cum Leonardo mictum ire cupiens confabulationis ergo ab eo reprehenditur.

Colloquium XI. 144

Marcus officium petit a Methodio: hic occupationem causatus belle denegat. Alter non urget ulterius. Exemplum modestiae, tum in petendo, tum in denegando.

Colloquium XII. 145

Ab amico petitur aliquid operae: promittitur per opportunitatem. Exemplum amici officiosi.

Colloquium XIII. 145

Officium promittitur amici absentis nomine.

Colloquium XIV. 146

Quidam domum profecturus paulo ante vindemiam promittit amico se curaturum, ut et ille eodem arcessatur. Exemplum puerilis amicitiae.

Colloquium XV. 147

Richardus a Rogerio eunte domum petit, ut sibi uvas afferat. Exemplum puerilis desiderii.

Colloquium XVI. 149

Stephanum in cubiculum euntem orat Simon, ut sibi afferat cingulum.

Colloquium XVII. 149

Dives ex occasione pauperi opem pollicetur. Deus hominum opera nos necopinantes iuvat. Deus afficit animos ad bene agendum. Deus hominum affectus gubernat. Exemplum insigne caritatis erga pauperes.

Colloquium XVIII. 151

Pecunia cum offertur, nuntius affertur vulgi opinione iucundissimus. Reprehensio libera in familiares. Evangelium, id est gratia Dei a Christo nuntiata. Cur Evangelio non omnes credant.

Colloquium XIX. 153

De accepta pecunia et mutuo facile data. Amicus verus. Exemplum animi ad bene merendum promptissimi.

Colloquium XX. 155

Benedictus a Baldo pennam commodato petit: hic primo fingit se commodare nolle: deinde dono dat. Christi praeceptum. Christianus debet Christum praeceptorem imitari. Colloquendi occasio quaesita per simulationem.

Colloquium XXI. 156

Amicus amico pecuniam ultro offert. Beneficium voluntarium. Humana beneficia diligentius quam divina expendimus. Exemplum liberalitatis rarissimum.

Colloquium XXII. 157

Longa insinuatione petitur mutua in futurum pecunia: ea statim promittitur. Exemplum astutiae, item animi prompti ad bene merendum.

Colloquium XXIII. 158

Ab amico quidam mutuo pecuniam impetrat: obiter mentio fit de providentia Dei.

Colloquium XXIV. 159

Forestus a Friderico quinque nummos mutuo petit: solum duos accipit.

Colloquium XXV. 159

Gregorius habens pecuniam Gratiano paucillum petenti denegat: spem tamen dat in posterum.

Colloquium XXVI. 160

Conrado Alfredus promptissime dat mutuam pecuniam. Exemplum expromptae liberalitatis.

Colloquium XXVII. 161

Pecuniam creditam reposcit a debitore creditor. Deus omnia gubernat.

Colloquium XXVIII. 162

Redditur commodatum, cum excusatione dilationis. Non debemus offendi, nisi ubi Deus offenditur.

Colloquium XXIX. 163

Nicolaum in portum euntem, ut visat, ecquid sibi alimenti advectum sit, comitatur Marcellus, idque confabulandi gratia.

Colloquium XXX. 164

Alter alterum quanti vivat, percontatur.

Colloquium XXXI. 164

Paulo frustum panis petenti abunde dat Camillus. Paulus non allatum panem excusat matris absentia et domesticorum occupatione.

Colloquium XXXII. 166

Panis mutuo dandus appenditur.

Colloquium XXXIII. 167

Invitat Silvium ad ientandum Stephanus. Exemplum convictus, oboedientiae et studii.

Colloquium XXXIV. 167

Theophilus et Thomas de prandii horis inter se colloquuntur: ille maturius ait se prandere, hic serius, idque propter patrem e curia exspectandum: eademque de causa psalmorum cantioni se interesse non posse. Modus servandus. Offensiones mutuo remittendae.

Colloquium XXXV. 169

Theodorus Thomae de sua merenda impertit, et simul rationem ostendit, qua sibi ille in posterum merendam et ientaculum prospiciat.

Colloquium XXXVI. 170

Exemplum oblivionis.

Colloquium XXXVII. 170

De carnium differentia et beneficiorum divinorum agnitione. Mendacium vitandum est. Christus veritas. Christiani sunt filii Dei et Christi fratres. Caritas in pauperes.

Colloquium XXXVIII. 172

De puero contra vetitum praeceptoris in foro dulciola emente.

Colloquium XXXIX. 172

Vestis mane induenda, non interdiu mutanda.

Colloquium XL. 173

Interrogatiuncula de morbo. Deus est medicorum princeps.

Colloquium XLI. 174

Ernestus Eusebio aegrotanti suadet, ut quiescat. Paret Eusebius.

Colloquium XLII. 175

De frigoris acerbitate et hypocausti incommodo.

Colloquium XLIII. 176

Curiosus res novas audire semper captat.

Colloquium XLIV. 177

Interrogationes curiosae de rebus minutissimis, nec tamen inutiles. Praeparatio in rebus omnibus. Patris familias diligentia in rei familiari.

Colloquium XLV. 179

Iulius de patre rogatus a Iacobo, Antverpiam ait hunc ad mercatum abisse, eiusque reditum in horas exspectari: Deus ubivis locorum suos conservat.

Colloquium XLVI. 180

Lucas Lamberto de patris adventu gratulatur. Temporis habenda est ratio.

Colloquium XLVII. 181

Interrogatiuncula de profectu ad locum et reditu ex loco.

Colloquium XLVIII. 181

De reditu ex villa.

Colloquium XLIX. 182

Robertus et Alphonsus de reditu a vindemia deque uvis allatis colloquuntur.

Colloquium L. 183

Albertus percontatur de rebus ad Georgium pertinentibus.

Colloquium LI. 184

Interrogatiuncula de acceptis litteris.

LIBER QUARTUS

QUI DE PRAECEPTIS VEL IIS, QUAE PRO PRAECEPTIS OBTINENT, CUM DISCIPULIS COLLOQUIA CONTINET.

Colloquium I. 187

Paedagogus, ad exercendam suorum discipulorum memoriam, a quodam eorum exercitationis matutinae rationem exigit. Narrat iuvenis ordine et distincte singula, idque memoriter, et audientibus condiscipulis. Exemplum iuvenes in simplici narratione exercendi, ut puro sermoni paulatim assuescant.

Colloquium II. 189

Prosequitur discipulus narrationem ante prandium inceptam.

Colloquium III. 191

Paedagogus discipulum divinis rebus per otium instituit. Divinorum beneficiorum commemoratio. Christi mors salus est omnium fidelium. Laudatur discipuli studium ac diligentia. Locus ex Ioannis Evangelio.

Colloquium IV. 193

Quidam discipulus studere mavult quam ludere. Exemplum in discipulis rarissimum.

Colloquium V. 193

Quidam paedagogus discipulum educit ambulatum. Exercitatio corporis, Socratis apophthegma. Ambulatio fit propter comites iucundior. Exemplum honestae remissionis in studiis.

Colloquium VI. 194

Praefectus officium diligenter facit in requirendis absentibus.

Colloquium VII. 195

Discipuli a lusu revocantur.

Colloquium VIII. 196

De quodam discipulo rus profecto cum patre.

Colloquium IX. 196

Exemplum diligentiae in agendis rebus.

Colloquium X. 197

Publica tutoris admonitio ad condiscipulos in conclavi communi. Admonitionis summa: ne discipuli tempore abutantur. Extemporalis responsio cuiusdam primae classis discipuli.

Colloquium XI. 199

Tutoris diligentia in eligenda a discipulis oratione. Bene sibi conscius securo est animo.

Colloquium XII. 200

Faceta observatoris confabulatio cum discipulo vere candidi et simplicis ingenii.

Colloquium XIII. 201

Observator de minutis rebus interrogans, tentat deprehendere discipulum quemdam in mendacio.

Colloquium XIV. 202

Hic nihil invenit repetitor, quod notet.

Colloquium XV. 202

Discipulos in otio deprehensos non deterret praefectus, sed eos humaniter admonet. Exemplum praefectis imitandum in causis levioribus, praesertim cum discipuli non sunt contumaces.

Colloquium XVI. 204

Rector observatores publicos admonet de ipsorum officio.

Colloquium XVII. 206

Admonitus ludimagister de classe doctore vacua statim providet.

Colloquium XVIII. 207

Duo aut tres ex domesticis discipulis praeceptorem mane salutatum veniunt, ut sciat, an omnes surrexerint. Admonitio praeceptoris. Exemplum diligentiae observatu dignum.

Colloquium XIX. 208

Interogatus filius a patre de oratione sacra, nihil respondet.

Colloquium XX. 210

Nimio somno deditus discipulus reprehenditur ob veniendi in gymnasium tarditatem. Mendacio et causa frivola purgare se conatur. Eidem, ut verum fateatur, promittitur impunitas. Poenarum metu post aliquot tergiversationes, rem omnem confitetur: diligentiam promittit in posterum. Docetur qua illam ratione praestare queat. Multis verbis, ut mutet mores, humanissime commonetur. Ex paenitentiae signo, quod prae se fert, bonam spem promittit. Exemplum in somniculosos.

Colloquium XXI. 213

Stulte interrogatur magister a quodam discipulo de eo, quod palam dictum est. Exemplum est puerilis imprudentiae, ut discant adulescentes ad verba doctoris attentiores esse.

Colloquium XXII. 214

Praemium victoriae causa petunt iuvenes: datur a magistro, sed non sine admonitione. Obligatur aliquis ex promisso. Solus Deus successum dat studiis. Sine Deo omnia vana.

Colloquium XXIII. 215

Hugo a praeceptore petens mutuo pecuniam mittitur ad hypodidascalum.

Colloquium XXIV. 216

A praeceptore chartam petens discipulus ad eius famulum mittitur.

Colloquium XXV. 216

Duo fratres, ituri domum, monentur a praeceptore de testimonio afferendo, aut teste adducendo.

Colloquium XXVI. 217

Filius in villam a patre ablegandus veniam petit et testimonium se allaturum promittit.

Colloquium XXVII. 218

Filius suam patri in scribendo navaturus operam a praeceptore petit veniam, et iubetur postero die afferre testimonium.

Colloquium XXVIII. 218

Iturus ad patrem in cauponam.

Colloquium XXIX. 219

Lucius scribendi causa iturus ad tutorem, veniam impetrat, sed prius diligenter interrogatur.

Colloquium XXX. 220

Ituri ad nuptias, pridie veniam petunt, ut domi vestimenta mutent: admonentur paucis a praeceptore.

Colloquium XXXI. 221

Iturus ad forum. Proverbium de pane.

Colloquium XXXII. 221

Michael ad forum iturus paucis interrogatur a praeceptore.

Colloquium XXXIII. 222

Nicolaus et frater panem petitum ituri, diligenter a praeceptore, ne fallant eum, interrogantur.

Colloquium XXXIV. 223

Empturus cultros admonetur, ut sibi imponi caveat.

Colloquium XXXV. 224

Onofrius vestificem aditurus.

Colloquium XXXVI. 224

Iturus ad vestificem.

Colloquium XXXVII. 225

Paulus ad vestificem iturus et eadem opera ad chirurgum.

Colloquium XXXVIII. 226

Petrus de variis negotiis obeundis veniam petit.

Colloquium XXXIX. 227

De suburbana deambulatione. Georgius et Adolphus discipuli veniam impetrant eundi ambulatum, ut ceteris ludentibus, liberius et iucundius colloquantur. Dei laudandi argumentum cultoribus eius numquam deest.

Colloquium XL. 228

Robertus multorum nomine veniam petit prodeundi ad mercatum.

Colloquium XLI. 228

Iturus domum ob levem causam, non impetrat, adeoque obiurgatur. Exemplum observatu dignum, ne pueri cursitare temere permittantur.

Colloquium XLII. 229

Quidam prodire volentes obiurgantur, et in posterum diem reiciuntur.

Colloquium XLIII. 230

Sebastianus iubetur scribere ad patrem cuiusdam pueri de remittendo ad scholam filio.

Colloquium XLIV. 231

Stephanus a negotio reversus, praeceptori, ut moris est, se sistit.

Colloquium XLV. 231

Sero quidam ad scholam accedens, excusat se, quod fratrem exspectaverit, eumque in foro restitisse ait, ut atramentum emeret. Inter fratres omnia debent esse communia. Fraternitas.

Colloquium XLVI. 232

Puer interrogatus de absentia, causam affert honestam, eamque scriptam profert.

Colloquium XLVII. 233

Excusat se quidam, quod inconsulto praeceptore prodierit: cuius rei testes producit.

Colloquium XLVIII. 233

Arguitur, qui exiit iniussu praeceptoris: sed veniam exorat.

Colloquium XLIX. 234

Quaerit praeceptor de famuli absentia.

Colloquium L. 235

Praeceptor ex Valerio cognita fratris eius valetudine, iubet domum ut eum Valerius deducat.

Colloquium LI. 236

Praeceptor a puero patris nomine salutatus: et ubi parentes sint, quique valeant, percontatus, vicissim patri salutem nuntiat.

Colloquium LII. 236

Quidam puer patris nomine praeceptorem in hortos invitat, praeceptor obiter aliquid docet ad mores pertinens.

Colloquium LIII. 237

Magister ad prandium invitatus excusationem mittit.

Colloquium LIV. 238

Praeceptor docens revocatur ex auditorio.

LIBER QUINTUS

De rebus gravioribus et quae iudicium postulant atque exercent.

Colloquium I. 241

Nuntius laetus de studiis.

Colloquium II. 242

Agitur de Evangelio diligenter audiendo, ut Deum secundum illud colamus, et iuste sobrieque vivamus. Voces iuste et sobrie, quid significent.

Colloquium III. 243

Puer a patre commendatur praeceptori. Verus amor patris in filium. Correctio necessaria puero. Hortatio ad diligentiam. Exemplum pueri studiosi et oboedientis.

Colloquium IV. 244

Officia domestici apud ludimagistrum hypodidascali.

Colloquium V. 247

Studiosus quidam adulescens apud familiarem conqueritur de habitationis suae incommoditate ad litterarum studia. Cupit in aedibus scholasticis habitare. Narrat, cur non liceat. Attendit condiscipulus. Consultant una de ineunda ratione ad rem perficiendam. Hortatio ad Deum invocandum. Non prodest consilium nisi iuvante Deo. Deus, qui dat consilium bonum, dat etiam effectum.

Colloquium VI. 251

Quidam ultro vult venire habitatum in ephebeo: gaudet amicus eius, eumque ad maturandum hortatur. Patris lenitas in filium. Plerique pueri habitationem in schola tamquam carcerem refugiunt: Improbi adolescentes a studio probos absterrent. Aliquot genera exercitationis scholasticae, praecipue latine loquendi. Praeceptor in schola severior quam inter domesticos; et quare magistri gravitate schola in officio contineatur. Disciplinae scholasticae bona. Quibus rebus inducantur adolescentes ad amorem litterarum. Praeceptor bonus a studiosis diligatur. Disciplina severior quibus adhibenda. Mens bona et sincerum iudicium a Deo. Exemplum rarissimum adulescentis, qui ultro quaerit in schola habitare.

Colloquium VII. 257

Tres pueri paedagogum suum quasi improviso adeunt: suam quisque pronuntiat sententiam, ut ipsos ducat deambulatum: ille concedit libenter. Sic studiosos pueros tractare decet, ut sint ad suum munus obeundum alacriores.

Colloquium VIII. 259

Patientia in parvis exercitata paulatim crescit. Memoriae exercendae ratio. Neglegentia. Brevis exhortatio ad excutiendam neglegentiam, pigritiam, tarditatem.

Colloquium IX. 260

De neglegentia quidam admonetur. Admonitio ad somniculosos. Praeceptorum moralium usus. Cotidie proficiendum. Vitia naturalia. Armis spiritualibus pugnandum contra vitia.

Colloquium X. 262

De studiorum tempore amisso. Eius recuperandi spes, et quibus modis id fieri possit. Viva magistri vox. Hortatio ad animum bonum.

Colloquium XI. 263

Praeceptoris accusatio in vernaculo sermone loquentes. Eiusdem ad latine loquendum exhortatio. Interpretatio edicti de vetito vernaculo sermone. Male acturi quaerunt latebras. Nitimur in vetitum. Exhortatio ad recte vivendi studium.

Colloquium XII. 265

Discessus quidam ante vocationem scholasticam deprehenditur a condiscipulo.

Colloquium XIII. 266

In vacatione scholastica studiosi adulescentes libenter quidem relaxant animos, non tamen omnino cessant, nec otio illo per ignaviam abutuntur. Fides etiam inimico servanda. Agendi affectus addit celeritatem. Solus Deus suorum ductor. Exemplum studiosis observatu dignissimum.

Colloquium XIV. 267

De exercitationibus post vacationem scholasticam revocatis. De classium exploratione ante promotiones. De spe praemii. De eadem in adversis rebus. De fructibus autumnalibus. De maximo vini proventu. De abusu vini in summa copia. De admonitionum contemptu. De iis, qui se dociles praebent ad verbum Dei audiendum.

Colloquium XV. 270

De moribus adulescentis ingenui tam absente patre quam praesente. De quinto Decalogi praecepto. Locus S. Pauli de honore liberorum erga parentes. Exemplum simulatae repugnantiae ad eliciendum colloquium.

Colloquium XVI. 273

Nicolaus narrat Martino de inopinato patris adventu, ob falsum de morbo rumorem. Cito irascens facile placatur: Ira puerorum brevis. Exemplum paternae diligentiae in liberorum cura.

Colloquium XVII. 275

A tutore monetur quidam adulescens, ut in admonendo fratre natu minore sit diligentior. Pergendum constanter in admonendis omnibus, praecipue qui nobis coniuncti sunt. Bonae indolis signum quodam in puero. Exemplum fraternae admonitionis.

Colloquium XVIII. 276

Nicolaus Gregorio arcanum commissum extorquere frustra conatur. Amicus, alter idem. Exemplum taciturnitatis in celandis amicorum consiliis.

Colloquium XIX. 277

Non est mentiendum, ne in rebus quidem levioribus. Apud Deum nullum est leve peccatum: Peccata nostra Deus propter Christum condonat, Christus deprecator noster et advocatus. Nemo non peccat saepissime, etiam in bonis operibus. Quid agendum sit, ut peccata remittantur. S. Paulus veniam consecutus et quare: Divini verbi studium inter exercitationes scholasticas annumerandum. Quorsum in litteris humanis instruendi sint adolescentes.

Colloquium XX. 280

Robertus Patricio commodatum reddit cum gratiarum actione. Beneficia ultro citroque oblata. Exemplum aulicae civilitati propemodum simile.

Colloquium XXI. 280

Quidam reprehenditur, quod animi causa nocuerat. Peccatum per ignorantiam. Deus ad usum nostrum creavit omnia. Beneficiis Dei non abutendum. Ignoscendum puero sponte delictum confitenti. Ad precandum admonitio. Singulorum secretae preces. Perseverantia in verbo Dei. Exemplum rarissimum: puer, qui admonitus culpam libenter confitetur.

Colloquium XXII. 282

Non est malum malo, sed malum bono compensandum.

Colloquium XXIII. 283

De scholastica societate in conferendis merendae cibis. Auspicantur merendam a carmine in Dei laudem. Cura pauperum. Matrum in filios amor ineptus. Divinare ex coniecturis non est malum. Exhortatio ad divinas laudes et gratiarum actionem. Notatur voracitas in edendo. Reprehenditur abusus in verborum notatione. Latine loquendi servanda est proprietas.

E prava institutione vitia contrahuntur. Deteriora pertinacius haerent. Exemplum permissae hilaritatis in Christianorum conviviis.

Colloquium XXIV. 286

Simulatione quadam hic quaesitum est colloquendi argumentum. Lex scholastica, ne adulescentes res suas alienare audeant. Christi exemplo adversa ferenda propter ipsum. Sine divini Spiritus auxilio nihil fieri potest boni; precibus autem illud est impetrandum.

Colloquium XXV. 287

Simulata oratione quidam condiscipulum familiariter obiurgat, quod pecuniam a patre non petierit. Condiscipuli super ea re prudens responsum. Oblata occasio non est neglegenda. Locus ex distichis moralibus. Natura tenacissimi sumus eorum quae rudibus annis percepimus. Beneficiorum divinorum agnitio. Iocari et irridere. Patrum prudentia in suppeditando filiis, quae opus sunt. Adulescentes tractandae pecuniae minime sunt idonei. Improbi adulescentes neque obiurgationibus, neque flagris moventur. Omnis boni laus soli debetur Deo. Fallendi consilium nemo dare debet. Simulatio vultu tegitur. Honestae confabulationes in otio utiles sunt. Lingua latina quibus adiumentis potissimum comparetur.

Colloquium XXVI. 290

De quodam convivio. Qui convivae, quae ferculorum varietas et copia, qui ordo fuerit, etc. Notatur obiter conviviorum luxus. Obiurgatur ipse convivator de luxu.

Colloquium XXVII. 294

Famulum erus, quid et quanti obsonatus sit, interrogat, et aegre fert eum cibos, quibus delectari solebat, non emisse. Exemplum prudentiae in emendo.

Colloquium XXVIII. 296

De carnis emptione. Divinatio ex coniecturis contra vulgi opinionem de fortuna. Mali mores tenacius retinentur. Linguae lapsus ex imprudentia. Memoria exercenda. Dociles proficiunt admoniti.

Colloquium XXIX. 297

Aliquot nomina carnis generum. Reprehenditur quidam imperite locutus. Vivarium ferarum. Stips secreto data.

Colloquium XXX. 298

Colloquuntur discipuli inter se de vindemia et arborum fructibus. Prudens responsio. Proverbium: Saepe etiam est olitor verba opportuna locutus. Per occasionem pauca de praeceptoris in dictandis proverbiis diligentia, et de discipulis paedagogorum praelectione non onerandis, interseruntur.

Colloquium XXXI. 301

Olerum quorundam nomina enumerantur. Moretum Vergilianum. Laetitia ob rem culinariam. A puero fructus et olera carnibus praeferuntur. Studiosis satis sit modicum alimentum. Parentes aegre ferunt, nisi filios in schola bene curatos vident. Matrum indulgentia. Parentum amor in liberos non facile immutatur.

Colloquium XXXII. 303

De iis, quae in oculos incidunt. Amicus amico, nulla spe mercedis adductus, opitulatur. Oculus membrum inter exteriora nobis carissimum. Zachariae locus de pupilla oculi. Experientia. Iocus oblique notatus. Iocandum interdum, modo cum fructu.

Colloquium XXXIII. 304

Reprehenditur neglegentia in cultu corporis. Excusatur a penuria rei nummariae. Verecundia in petendo. Mediocritas et modus. Verecundia ubi sit utendum. Hominum societas. Abusus in rebus. Hortatio ad petendam fiduciam. Exemplum admonitionis liberae inter familiares.

Colloquium XXXIV. 306

Baptista domum se non ante dicit iturum, quam Deo visum fuerit: aut ipse a patre arcessatur. Parentibus mos gerendus est. Sermones nostri non debent esse infructuosi. Exemplum oboedientis filii.

Confabulatio de profectionis in Italiam causa. Locorum fama et rerum novarum cupiditas nos inducunt ad peregrinandum. Laus Italiae.

GLOSSARIUM

VOCABULORUM RARIORUM

N. B. - *Quinque linguae secundum ordinem alphabeticum dispositae sunt: anglica, gallica, germanica, hispana, italica.*

abacus games-board tableau (pour jeu) Spielbrett tablero (de juego) tavoletta da gioco
acetari salad salade Salat ensalada insalata
aënum kettle chaudron Kessel olla caldaio
aequor plain (sea) plaine (mer) Ebene (Meerespiegel) llanura superficie piana (mare)
affatim enough assez hinlänglich bastante abbastanza
agedum! come on! allons! wohlan! anda! vamos! orsù!, suvvia!
alioqui otherwise autrement andernfalls de otra manera altrimenti
alixus boiled bouillé gesotten cocido lesso
allium garlic ail Knoblauch ajo aglio
amaracum marjoram marjolaine Majoran mejorana maggiorana, amaraco
anhelus breathless essoufflé atemlos sin aliento anelante
apium celery célerie Eppich, Sellerie apio apio, sedano
aprugnus boar (-meat) de sanglier (vom) Wildschwein del jabalí di cinghiale
arcularius jewel-box-maker bijoutier Schmuckkästchen-Macher que hace arquetas stipettaio
ardalio idler fainéant Müssiggänger (geschäftiger) vago fannullone
armus fore quarter râble Vorderbug lomo omero, spalla
aromatites flavoured (wine) aromatisé (vin) gewürzter Wein aromatizado (vino) vino aromatizzato
artocreas meat pie pâté de viande Fleischpastete pasticcio di carne
arvina bacon lard Speck tocino lardo
asotus libertine débauché Wüstling disoluto dissoluto, scapestrato
assus grilled grillé geschmort asado stufato
auspicari = initium sumere ab
autocinetum car auto Automobil automobil automobile
automataria (birota) motorcycle motocyclette Motorrad motocicleta motocicletta

beta beet bette Mangold acelga bietola
bibliopola bookseller libraire Buchhändler librero libraio
birota bicycle vélo (Fahr)rad bicicleta bicicletta
brassica cabbage chou Kohl berza cavolo
bubula beef de boeuf Ochsen (-Fleisch) de buey, bovina di bue, bovina

calathu basket corbeille Körbchen cestidio canestro
callum hide couenne Schwarte callo cotenna
Camenae = Musae
capitatus head (salad) pommé Kopf (-Salat) con cabeza (latuca) capuccia
capparis caper câpre Kaper(staude) alcaparra cappero
cedo! give it here! donnez-moi! gib her! dame! dammi qua!
cenatorius table- de table Tisch- de mesa da tavola
cepa onion oignon Zwiebel cebolla cipolla
cerasum cherry cerise Kirsche cereza ciliegia
cervical -alis pillow oreiller Kopfkissen almohada capezzale, guanciale
cessare etiam = cunctari, morari
circumforaneus peddler fahrender (Verkäufer) vendedor ambulante venditore ambulante
citreum (malum) lemon citron Zitrone limón limone
civilitas good manners bonnes manières Höflichkeit, Anstand educación buone maniere
cochleatae (scalae) circular (stares) (escalier) tournant Wendel(-Treppe) (escalera) de caracol (scala) a chiocciola
colaphus punch coup de poing Faustschlag puñetazo pugno
colophon -onis peak, end sommet, fin Gipfel, Ende colofón fine, chiusa
comissatio banquet festin, orgie Gelage banquete, comilona gozzoviglia
concedĕre leave for s'en aller (fort)gehen nach marcharse recarsi a, partire
cotoneum (malum) = **cydonium** quince coing Quitte membrillo cotogna
crepida shoe demi-soulier Halbschuh zapato scarpa
crepare burst with, speake always about im Munde führen no hablar más que de ripetere a iosa
crocus saffron safran azafrán croco
crumena wallet porte-monnaie Geldbörse monedero borsa, marsupio
crustulum sweets (candies) sucreries Zuckerwerk dulces ciambella
cumīnum caraway (seed) cumin Kümmel comino comino
cuniculus rabbit lapin Kaninchen conejo coniglio
cuppedia fondness for candies friandise Naschhaftigkeit golosinas ghiottoneria
cuppedinarius of dainty dishes or delicacies candies de confiseries Näschereide confiteria, de dulces di ghiottume, leccornia, dolci

damma deer chevreuil Rehwild ciervo, antilope caprioli
deglubĕre flay écorcher schinden despellejar scorticare
dulciola -orum candies sucreries Süssigkeiten dulces dolci
dumtaxat = solummodo

eccum = ecce eum
ecquid what by chance si quelque chose was etwa algo che cosa mai
edulia -ium food nourriture Lebensmittel comestibles comestibili
eho! hey there! vous là! he da! hör einmal! oye! Ehi, olà!
elixus boiled bouillé gesotten cocido lesso
embamma -atis sauce sauce Tunke salsa salsa
emplastrum plaster emplâtre Pflaster emplasto impiastro
erus master, boss padron Herr amo, dueño padrone
esitare = comedere, manducare

fartilis fattened engraissé gemästet engordado ingrassato
femoralia pants, trousers pantalons Beinkleider pantalones calzoni
feniculum fennel fenouil Fenchel hinojo finocchio
ferculum course service Gang plato portata
ferina game gibier, venaison Wildbret caza selvaggina
fluviatilis (cancer) river (crayfish) fluviale (écrivisse) Fluss-(krebs) de río di fiume

follis bellows soufflet Blasebalg fuelle soffietto
frixum fried grillé gebraten frito arrosto
frugi good brave brav bueno buono

graculus (jack)daw choucas Dohle choya taccola, gracchio

helvolus pink, tawney rosé, jaunâtre rötlich, gelblich rosáceo, amarillento rossiccio, gialliccio
heus hallo there! vous là! hallo! oye! olà, ehi!
hilla saveloy (sausage) (saucisse dite) knackvourste Knackwurst salchichón cervellata, salsicciotto
hypocaustum furnace-room foyer, chauffe Heizraum hogar riscaldamento
hyssopum hyssop hyssope Ysop hisopo issopo

immoris work oneself to death travailler à mort sich totarbeiten matarse (trabajando) lavorare a morte
incommodare bothe (annoy) incommoder lästig sein fastidiar dar fastidio
ineptire talk nonsens bavarder des folies Unsinn schwatzen hacer tonterías faccio o dico cose sciocche, inezie
infumatus smoked fumé geräuchert ahumado affumicato
iuglans -dis nut noisette Nuss nuez noce
intinctus -ūs sauce sauce Tunke salsa salsa
itare = ire
ius (carnium) broth bouillon (Fleisch-)Brühe caldo brodo

lactuca lettuce laitue Lattich (Kopfsalat) lechuga lattuga
laniena butcher-shop boucherie Fleischbank carnicería macello
lanius butcher boucher Metzger carnicero macellaio
latex -icis = vinum (poëtice)
lautitia magnificence grandiosité Grossartigkeit grandiosidad grandiosità
lepusculus little hare petit lièvre Häschen lebrato leprotto
licitari bid offrir bieten pujar (en una subasta) offrire all'incanto
ligula strap (lace) courroie Bändel cordón legaccio
linquo = relinquo
liquare melt faire fondre flüssig machen derretir render fluido
lucius pike brochet Hecht lucio luccio
lurco glutton gourmand Schlemmer glotón grapulone, epulone

macilentus haggard maigre abgemagert macilentor macilento
mala check joue Wange mejilla guancia
mantele -is towel serviette Handtuch toalla tovagliolo
mantissa bonus extra Zugabe propina aggiunta
manubriatum reticulum tennis racket raquette de tennis Tennis-Schläger raqueta racchetta da tennis
medicamentarius pharmacist pharmacien Apotheker farmaceútico farmacista
meiĕre urinare pisser pissen mear orinare
mellitus honeied mieleux honigsüss, aus Honig mielado melato
minutal minced meat hachis Hackspeise menudillos, carne picada carne battuta
missus -ūs course service Gang plato portata
moretum cold soup of garlic, rue, vinaigre and oil soupe faite d'ail, de rue, de vinaigre et d'huile Mörsergericht gazpacho specie di panzanella
muria brine saumure Salzbrühe sopa muria

nasturtium cresse cresse Kresse berro crescione, nasturzio
naucum empty nut noisette creuse (taube) Nuss nuez vacía noce vuota
nebulo -onis windbag; good for nothing vaurien, vantard Windbeutel, Taugenichts un inútil venditore di fumo
nummatus moneied riche mit Geld versehen adinerado danaroso

obdere place before poser vorlegen echar (el cerrojo) porre (la barra)
obsonare (-ari) shop for food acheter de la nourriture einkaufen (zum Essen) comprar de comer comprar da mangiare
obsonium food nourritures (Zu)speise alimentos companatico, vivanda
occipio = incipio
occiput back of the head occiput Hinterkopf occipucio occipite
olitor gardener jardinier (Küchen)gärtner jardinero ortolano
olus vegetable (cabbage) légume (choux) Kraut, Kohl col ortaggio
ominari wish souhaiter anwünschen desear augurare
opiparus gorgeous magnifique herrlich, reich opíparo splendido, sontuoso
oryza rice riz Reis arroz riso
oxalis -idis sorrel oseille Sauerampfer acedera acetosa

pannosus ragged déguenillé zerlumpt andrajoso cencioso
pastinare dig bêcher umgraben cavar scavare
patina platter plat de service Schüssel fuente piatto
patruelis cousin cousin Geschwisterkind, Vetter primo cugino
patulus open ouvert offen abierto, patente aperto
pectĕre comb peigner kämmen peinar pettinare
pellio -onis leather-worker (pelletier) coroyeur Kürschner guarnicionero pellettiere, cuoiaio
penaria (cella) storeroom chambre aux provisions Vorrats-(Raum) despensa dispensa
perdix -īcis partridge perdrix Rebhuhn perdiz pernice, starna
periscelis -idis garter jarretière Strumpfband ligas legaccio da calza
perna ham jambon Schinken jamón prosciutto
persicum (malum) peach pêche Pfirsich melocotón pesca
pessulus bolt verrou Riegel cerrojo catenaccio
pharmacopola pharmacist pharmacien Apotheker farmaceútico farmacista
pica magpie pie Elster picaza gazza
pistrinum (tread)mill moulin Stampfmühle molino mugnaio
pisum pea pois Erbse arbejilla pisello
pituita a cold rhume Schnupfen resfriado raffreddore
placenta cake pâtisserie Kuchen pastel focaccia
porrus (-um) leek poireau Lauch puerro porro, aglio
praecox early ripe précoce frühreif tempranero precoce
promulsis -idis hors d'oeuvres hors d'oeuvres Vorspeise entremeses antipasto
propediem soon bientôt nächstens pronto fra breve
pulvinus cushion coussin Polster cojín cuscino

quadrula bicuit biscuit Plätzchen bizcocho biscottino, pastello di zucchero
quando etiam = quoniam
quasillus a little basket petit panier Körbchen cestina cestino
qui = quomodo
quidni = cur non?

raedarius driver cocher Kutscher cochero cocchiere
recipĕre etiam = promittere
regelare melt (se) fondre tauen derretir(se) scioglier(si)
remorari hold back retarder aufhalten, verzögern detener ritardare
ronchus snor ronflement Schnarchen ronquido ronco

salsus, salitus salted salé gesalzen salado salato
salgama -orum salted conserve conserve salée (in Salz) Eingemachtes conservas saladas legumi di conserva
salvia sage sauge Salbei salvia salvia
sarcina load charge Gepäck, Last carga bagagli, carico
sarrire hoe sarcler jäten rastrillar sarchiare

satureia savory sarriette Saturei ajedrea santoreggio
scabiosus rough rougueux rauh, räudig tiñoso ruvido, scabroso
scirpus rush jonc Binse (knotenlos) junco giunco
scriblita cake gâteau Torte galleta torta
semis -issis a half une moitié Hälfte, ein halb mitad mezzo (asse)
serotinus late tard spät tardío serotino, tardivo
serpyllum thyme serpolet Quendel (Thymian) sérpol serpillo, timo
serum (lactis) whey petit-lait Molke suero siero
sesquilibra one pound and a half une livre et demie ein einhalb Pfund una libra y media una libbra e mezza
sesquioctava one and one eighth un et un huitième ein ein Achtel uno y un octavo che contiene un intero più un ottavo
siliquae legume, (pod-) vegetable légumes Hülsenfrüchte legumbre legumi
sinciput forehead front Vorderkopf frente sincipite
situla bucket seau Eimer cubo secchia
sodes please s'il vous plait gefälligst por favor di grazia, prego
subalbidus pale blême bleich pálido bianchiccio
sucula young pig lutin Ferkel cerdito porcello
suillus porc de porc Schweine-(fleisch) de cerdo di porco, porcina
sumptuarius regarding expenditure ayant rapport à la dépense Aufwand betreffend concerniente al lujo riguardante il lusso
suppetiae help aide Beistand ayuda aiuto
susceptor tutor instituteur Erzieher educador educatore

tapes -tis table cloth nappe (Tisch-) Tuch mantel tovaglia
tenellus delicate délicat sehr zart tierno tenerello
tertiana (febris) three-day de trois jours dreitägig terciana terzana
teruntius = parvus nummus
thorax coat veston Jacke chaqueta giacca
thymum thyme serpolet Quendel tomillo timo, serpillo
tibialia stockings bas Strümpfe calcetines calze
tolutarius (equus) at a trot au trot trabend al trote trottatore
tonstrina barber shop chez le coiffeur Barbierstube barbería barbieria
tragemata dessert dessert Nachtisch, Naschwerk postre popasto, generi di credenza
triclinium diningroom salle à diner Eszimmer comedor sala da pranzo
tricorpor threebodied de trois corps dreileibig de tres cuerpos che ha tre corpi
trivialis (schola) common (school) école publique öffentliche (Schule) publica (escuela) pubblica (scuola)
tructa trout truite Forelle trucha trota
tute = tu (ipse)
umbella parasol parasol (Sonnen-) Schirm sombrilla ombrello, parasole
umbilicus navel (end of the scroll) nombri (le bout du rouleau) Ende (der Schriftrolle) ombligo, fin ombelico, la fine di un rotolo (libro)
ut = quomodo? etiam directe interrogans

ventricola tripe tripes Magen, Herz ventrículo ventricolo, trippa
verbero -onis rascal polisson Schlingel pillo biricchino
veredarius courier currier Kurier correo, mensajero corriere
vervecina ram- de mouton, de bélier Hammel- de carnero di montone
vitellus (egg-) yolk jaune d'oeuf Eidotter yema torlo d'uovo
vitricus stepfather beau-père Stiefvater padrastro patrigno
vitulinus calf- de veau Kalbs- de ternera di vitello

Stampato presso l'Istituto Grafico Tiberino - Roma

Printed in Italy - Stampato in Italia